SANCTI PATRIS NOSTRI

BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI.

COMMENTARIA IN ESAIAM PROPHETAM.
LIBRI V CONTRA EUNOMIUM.
LIBER DE SPIRITU SANCTO.
LIBRI II DE BAPTISMO.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

COMMENTARIA IN ESAIAM PROPHETAM.

CAPUT VII.

I. « Et factum est in diebus Achaz filii Joatham, filii » Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Aram, et Phacee » filius Romeliæ rex Israël in Jerusalem, ad præliandum » contra eam, et non potuerunt oppugnare eam. Et annun- » tiatum est domui David, qui dicebant : Consensit Aram » cum Ephraïm, et stupefacta est anima ejus, et anima » populi ejus, sicut lignum in sylva a vento movetur[1]. » Is hujus sententiæ sensus est. Duo reges, unus Syriæ, alter Israëlitici populi, ascenderunt in Jerusalem ad bellum gerendum, nec eam expugnare potuerunt. Nomen regi Syriæ, Rasin, regi vero Israël, Phacee [2]. Venerunt autem nuntii, qui regiæ domui nuntiarent conspirationem regum Syri et Israël. Syrus enim juxta hebraïcæ linguæ proprietatem vocatur Aram : Israël vero nominatur Ephraïm, quod ex illa tribu prodierit Jeroboam qui initio defecit [3]. Itaque

[1] Esaï. vii, 1, 2. — [2] 4 Reg. xvi, 5. — [3] 3 Reg. xi, 26 et xii, 20.

iis auditis, perculsus timore est et rex, et populus omnis, et ita commotus fuit et conturbatus, ut eorum tumultus sylvæ ligno, quod vehementissimo ventorum flatu agitatur, conferretur. Et quidem hæc est verborum simplex narratio. Sed si quis diligentius hanc perscrutetur sententiam, ei ex iis, quæ commemorata sunt, compertum erit nonnihil horum ad nos et ad Ecclesiæ ædificationem pertinere. Quinam igitur sint reges isti, qui inter se conspirarint, pro virili inquirendum nobis est. Equidem qui sermo per hujus sæculi sapientiam adversus Dei scientiam affertur, eum arbitror per Aram significari. Aram enim si quis interpretetur, sonat « Sublimem. » Talis autem est sermo principum hujus sæculi, cum circa astronomiam, motiones stellarum, conjunctiones et figuras versetur, causasque humanarum rerum hinc dependere affirmet. Is porro sublimis est tum ob existimationem de se conceptam, tum ob superbum illum fastum, quem is solus, qui Sanctus est, verbis veritatis evertere ac deprimere novit, siquidem Spiritus sancti virtute dejicit « Omnem altitudinem sese adversus Dei » scientiam extollentem [1]. » Arbitramur autem scientiam, quæ quidem ex susceptis Scripturis divinis hauritur, sed a recto sensu detorta est, falsumque nomen habet, Ephraïm vocari. Jeroboam enim ab hac tribu sumpsit originem, qui primus a semine David discidit tribus decem, ac Salomonis factus olim servus fugitivus [2], abiit in Ægyptum [3], sororemque Thecеminæ uxoris Pharaonis in matrimonium duxit [4]. Hic et vitulas aureas finxit [5], et dies festos e corde suo eruit. Cum igitur gentilis sermo fastu atque arrogantia ob dialecticas argumentationes plenus, societatem cum hæretico et perverso sermone inierit, tunc Aram cum Ephraïm dicitur conspirare : quippe ædes Davidis ædificia-

[1] 2 Cor. x, 5. — [2] 3 Reg. xi, 26, et xii, 20. — [3] Id. xi, 40. — [4] Ibid. 19 apud LXX. — [5] Id. xii, 28.

que cupit demoliri, et locum veri cultus devastare. Voti tamen compos non fit. Neque enim Jerusalem expugnare poterit, quod tueatur eam ac defendat Dominus. Et fortasse hi ne poterunt quidem inter se conspirare, nisi abundaverit nostrum peccatum. Nam ii etiam, qui juxta historiam in diebus Achaz conspirarant, conspirationem mutuam patefecerunt ob peccatum Achaz, qui non fecit rectum coram Domino, sed filium suum traduxit in igne, et adolebat in excelsis [1]. Attamen malorum regum adversus ecclesias conatus conturbat Davidis domum, populique animum stupore percellit, ita ut ob strepitum ex hac turbatione nascentem, ligno infructuoso consimilis sit. Sed benignus Deus perturbationem eorum sanans, mittit propheticum sermonem, qui e corde populi expellat timorem, dum dicit: « Ne timeas, neque anima tua infirmetur a duo» bus lignis fumigantibus istis [2]. »

II. Vide autem num etiam ex ipsa nominum interpreta tione ansam possis arripere ea, quæ ad hunc locum spectant, adhuc dilucidius perspiciendi. Achaz enim, si interpreteris, dicitur « Retentio : » Joatham « Joa consummatio, » Ozias « Fortitudo Joa : » Aram, ut supra dictum est, « Su» blimis, » Phacee « Adapertio : » Romelias, « Elatus circum» cisionis. » Itaque et sermo, qui sublimis est, et sermo, qui se divinarum Scripturarum pollicetur esse explanatorem, inter se conspirant. Nam Phacee, quem interpretantur « Adapertionem, » id indicat : quasi recondita Scripturæ testimonia promittat sua ipsius opera explanatum iri. Quod autem duorum regum (tum ejus, qui gloriatur de mundi sapientia, tum ejus, qui se abstrusa Scripturæ loca profitetur explanaturum) adversus Jerusalem concordia, existimantium se eos, qui res ecclesiasticas edocti sunt, in suam potestatem redacturos, in dogmatis doctrinisque in-

[1] 4 Reg. xvi, 2-4. — [2] Esaï. vii, 4.

ter se pugnantibus posita sit, ex sequentibus patet. Inierunt enim consilium malum Aram et filius Romeliæ, dicentes: «Ascendemus in Judæam, et colloquentes cum eis, avertemus eos ad nos.» Nimirum docet perspicue sententia isthæc id eos sperasse, ut ad se verborum suasione averterent Davidis domum. Imo etiam pollicentur constituturos se regem filium Tabeel. Interpretantur autem Tabeel, «Bonum Deum.» Qui autem ecclesiis moliuntur insidias, iis peculiare est polliceri se ea, quæ ad Dei filium spectant, tradituros, atque tali blandiloquentia in errorem pelliciunt simpliciores. Hæc autem ænigmata esse, quæ per historiam adumbrata ad præsentem ecclesiarum statum pertineant, luculenter ostendit orationis series, his verbis: «Nisi crediderítis, non intelligetis.»

III. «Et dixit Dominus ad Esaïam: Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub filius tuus, ad piscinam superioris viæ agri fullonis. Et dices ei: Observa, ut sileas: et ne timeas, neque anima tua infirmetur a duobus lignis titionum fumigantium istorum. Cum enim ira furoris mei extiterit, rursum sanabo. Et filius Aram, et filius Romeliæ, quoniam inierunt consilium malum de te dicentes: Ascendemus in Judæam, et colloquentes cum eis, avertemus eos ad nos, et constituemus regem ejus filium Tabeel. Hæc autem dicit Dominus: Non manebit consilium hoc, neque erit. Sed caput Aram, Damascus; et caput Damasci, Rasin. Sed adhuc sexaginta et quinque annis, deficiet regnum Ephraïm de populo; et caput Ephraïm Somorom, et caput Somorom filius Romeliæ. Et nisi credideritis, non intelligetis[1].» Equidem arbitror Prophetas nequaquam percepisse verbum Dei sensili auditu per aëris percussionem: sed cum animæ spirituali aures suæ non desint, ad illas citra ullum sonum

[1] Esaï. VII, 3, 9.

pervenisse rerum significatarum notitiam. Atque hoc eis contingebat splendore veræ lucis ad eorum mentem pertingente, illustrandisque Prophetis subserviente. Hanc autem vocem percipiebant hi, qui a sensibus corruptioni obnoxiis excesserant, atque quam celeriter e corpore egredi studebant. Cum enim in divinarum rerum contemplatione versatur animus, ab ea, quam cum corpore habet, necessitudine et conjunctione sese avocans, exire dicitur : cum vero humanis detinetur negotiis vel ob necessariam corporis servitutem, vel quod rebus præstantioribus attendere non amplius queat, quasi ab externis ad interiora se confert; perinde ac si reciperet se in domum quamdam aut civitatem, corporis affectiones participaturus. Quoniam igitur par erat ut Dei verba audiret Propheta, ideo ei ante omnia dictum est : « Egredere tu, et » filius tuus. » Tale est quodam modo illud etiam Genesis, juxta primum oraculum Abrahæ redditum : « Egredere de » terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui [1]. » Nam perfectissimus egressus est ascensus ab omnibus rebus corporeis, quæ sunt terra appellatæ, estque fuga a sensibus, qui cognatio sunt vocati, et animus aversus a vita crimini obnoxia, in qua quis contrariis quæ domus patris nuncupata sunt, sese prius addixerat. Et paulo post scriptum est de eodem Abrahamo : « Eduxit eum Deus foras [2]. » Postquam enim conspexit illud, quo tenebatur egrediendi desiderium, ipse eum veluti manu duxit ad operis perfectionem. Nam opus per se non poterat efficere. Quare et in primo præcepto, si modo exierit foras, bonorum fruendorum accipit promissionem [3]. Sed cum eduxisset eum Deus, tunc ipsum superna, ubi Christus est, quærere docuit.

IV. Quin et Moses, cum se ab administratione humana-

[1] Gen. xii, 1. — [2] Id. xv, 5. — [3] Ibid.

rum rerum submovisset, mentemque contulisset ad divinorum eloquiorum contemplationem, longe a castris tabernaculum suum fixit[1]. Quapropter quisquis quærebat Dominum, ad tabernaculum egrediebatur[2]. Itaque qui se plurimum removerit ab humanis negotiis, extrinsecus figet suum tabernaculum, ut ipsius vita jam firmata et stabilita, permaneat inconcussa. Quamobrem et nunc Esaïam, qui erat vaticinaturus, Deique nuntiaturus præcepta, egredi Dominus jubet, nec Esaïam solum, sed et filium ejus Jasub, qui fuerat derelictus. Palam est autem, quantum ex his verbis colligere licet, filium unicum ex multis fuisse ei superstitem : quem ipsum etiam nolebat Scriptura a paternis moribus recedere, sed una cum patre egredi, ut ea, ad quæ Deus cohortabatur, conficeret. Sed quia Jasub, si interpreteris, idem est ac « Convertens, » ostendit Scriptura unicuique nostrum, qui per pœnitentiam a turbulentis carnis affectibus exire volumus, posse nos ad hunc exitum pervenire, si modo cum Propheta fuerimus. Jubetur autem superiorem viam, quæ ad piscinam agri fullonis ducit, arripere. Hic autem locus etiam per historiam notus est et insignis. Scriptum quippe est Rhapsacem ab Assyriorum rege e Lachis in Hierusalem cum ingenti manu missum fuisse, atque ad aquæductum piscinæ superioris in via agri fullonis constitisse[3]. Forte etiam in Scripturæ verbis documentum aliquod continetur, quod ad morum pertineat emendationem, videlicet quod oportet recedere nos a rebus abjectis humique jacentibus, atque ad superna festinare; quo progressi, aquam ad expurgandum idoneam, et agrum fullonis sordes extergentis sumus inventuri : id quod nobis prodest ad implendum præceptum Ecclesiastæ, qui dicit : « In omni tempore sint tua vestimenta candida[4]. » Quin et Dominus cum Moysi oracula ederet,

[1] Exod. XVIII, 24. — [2] Id. XXXIII, 7. — [3] 4 Reg. XVIII, 17. — [4] Eccl. IX, 8.

præcipit ut populus Deum auditurus sua lavaret vestimenta. « Descendens testimonium redde populo, et purifica illos hodie, et cras, et lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertiam [1]. » Qui autem eo usque pertigerit, vestem etiam nuptialem præparatam habebit, ut ne ligatis manibus ac pedibus, e sponsi thalamo ejiciatur in tenebras exteriores [2]. Dic igitur, inquit, Achaz : « Observa ut sileas. » Id autem nobis quoque utile fuerit et opportunum, ut cor nostrum cum omni custodia servemus [3]. « Si enim fortis custodiat atrium suum, vigilans, in pace sunt omnia quæ possidet [4] : » qui etiam turba tumultuque sedatis conquiescit, nec eo timore corripitur, quem parere solent turbulentæ ac concitatæ animi commotiones, nec amplius infirmo est animo, sed spiritu fortitudinis obarmatur.

V. « Neque timeas a duobus lignis titionum istorum fumigantium. » Jubemur non metuere a persuasibilibus gentilium argutiis, neque ab heterodoxorum blasphemiis, quæ sunt ligna duo, vel potius titiones duo, qui vitali plantæ virtute ac ligni robore destituti, ignis splendore præditi non sunt, sed sunt titiones fumigantes, qui eos, a quibus tanguntur, denigrant maculantque, et oculos sibi proxime accedentium provocant ad lacrymas. Quod si nosse vis quantum afferat detrimenti fumus titionum fumigantium, memineris Salomonis, qui dicit : « Sicut uva acerba dentibus est noxia, et fumus oculis : sic iniquitas eis, qui utuntur ea [5]. » Enimvero, opinor, peccatum in nequitiæ actionibus situm, vocatur uva acerba : noxa vero a falsa scientia ortum habens, ac mentis nostræ vim videndi confundens, fumus dicitur. « Cum autem extiterit, inquit, ira furoris mei, rursum sanabo. » Hoc est, post plagas emendandi causa inflictas, ubi idoneam ac sufficientem

[1] Exod. XIX, 10. — [2] Matth. XXII, 13. — [3] Prov. IV, 23. — [4] Luc. XI, 21. — [5] Prov. X, 26.

videro emendationem, non sinam eos pœnis gravioribus affligi; quasi ægrotis dicat medicus: « Ubi primum secuero, et admovero cauterium, neque partes sectas, neque ulcera ex cauterii ustione remanentia negligam. Postquam enim id fuerit factum, ob quod nascuntur molestiæ, tum demum medelam reliquam inducens, restituam sanitatem. »

VI. « Et filius Aram et filius Romeliæ, quoniam inierunt consilium malum, dicentes: Ascendemus in Judæam » et colloquentes cum eis, avertemus eos ad nos, et constituemus regem ejus filium Tabeel. Hæc autem dicit Dominus Sabaoth: Non manebit consilium hoc, neque » erit[1]. » Siquidem duo sermones a veritate alieni conspirant adversus Ecclesiam, tum filius Aram, seu sermo sublimis, adversus Dei scientiam sese efferens[2], tum filius Romeliæ, seu elatæ circumcisionis sermo, qui scientiæ prætextu, ac doctrinæ altioris specie, a veritate Ecclesiæ Dei avocat. Inierunt igitur hi consilium pravum, in eo quod sint Judææ populum allocuti, hoc est, eos, quorum confitens est anima. Etenim Dei confessio transnominatur Judæa, quam suasoriis dialecticæ argutiis avertemus ad nos, pollicentes daturos nos, non alium regem, nisi filium Tabeel, hoc est, filium boni Dei; quem quidem Dei boni filium dicunt, ipsum vero non nominant bonum, improbe hanc Evangelii vocem accipientes: « Quid me dicis bonum? » Nemo bonus nisi solus Deus[3]. » Cum igitur videris hæreticos pollicentes scientiam, gentilium inducentes sapientiam, bellum Ecclesiæ Dei inferentes, arbitrare filium Aram et filium Romeliæ etiamnum consilium pravum inire. Cæterum, uti tradidimus, adversus malignum illud filii Aram et filii Romeliæ consilium hæc declarat Dominus, fore videlicet ut stet et permaneat Dei consilium, consi-

[1] Esaï. VII, 4-7. — [2] 2 Cor. X, 5. — [3] Luc. XVIII, 19.

lium vero eorum qui decertant contra veritatem, nequaquam stet, sed cadat ac subvertatur. Quapropter ait: «Caput Aram Damascus, et caput Damasci Rasin.» Hoc est, sublimium caput est execrabile, ac plenum sanguinis: quandoquidem Damascus, si interpreteris, sonat sanguinem sacci. Et vero saccus, pœnitentiæ signum est: qui autem conspersus est sanguine, neutiquam est purus. Potest igitur pro apparente pœnitentia accipi, cum alioqui non sit vera pœnitentia, quod in sanis sincerisque dogmatibus non agatur. Rursus autem caput Damasci, seu ejus pœnitentiæ, quæ pura non est, sed quæ letalibus peccatis inquinatur, appellatur Rasin, cum et ipse nullius dogmatis sani aut puri symbolum sit.

VII. «Sed adhuc sexaginta et quinque annis, inquit, deficiet regnum Ephraïm a populo, et caput Ephraïm Somorom, et caput Somorom filius Romeliæ[1].» Est igitur regnum Ephraïm dominatus quidam ditioque heterodoxorum, propterea quod ex hac tribu exortus sit is, qui Israël a Juda discidit[2]. Caput igitur Ephraïm est Somorom, id est, Samaria. Est autem Samaria inimicorum quorumdam regio, qui doctrinam sanam depravarunt, quod a judaïsmo declinarint Samaritæ. Quemadmodum autem Damascus erat Syriæ caput, et Rasin erat Damasci caput: ita Samaria erat caput Ephraïm, et filius Romeliæ erat Samariæ caput. Malorum accessio quædam nimietasque nobis exhibetur a Scriptura, adeo ut fieri non queat, ut talium conspirationem faciamus irritam, aut vim ullam habeamus ad tuendos eos, quibus insidias struere conantur. «Et nisi crediderilis, non intelligetis.» Oportet utique Scripturis, utpote divinum sensum complectentibus, fidem commodare, atque hoc pacto ad eorum, quæ scripta sunt, intelligentiam progredi. Oportet enim ut prætergredientes figu-

[1] Esaï. VII, 8, 9. — [2] 3 Reg. XI, 26, et XII, 20.

ras, tum demum rerum nobis patefactarum veritatem assequamur. Prius namque fides simplex Scripturis est adhibenda, cum sint divinitus inspiratæ ac utiles : deinde sensus in ipsis delitescens subtiliter et accurate est pervestigandus.

VIII. « Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : » Pete tibi signum a Domino in profundum aut in excel» sum[1]. » Quæ quidem conveniebat Achaz facere, ea ab Esaïa in superioribus edocetur, nempe ut ageret silentium, et ne a duobus titionibus fumigantibus metueret. Nunc vero ipse, qui scilicet animo docili et obsequenti Prophetæ doctrinam excepisset, oraculis divinis dignus habetur. « Ad» jecit enim Dominus loqui ad ipsum Achaz. » Et fortasse docemur eum, qui fuerit eruditus ab aliquo, qui divinæ voluntati famuletur, si deinde proficiat, posse et ipsum Domini responsa excipere. Sunt quidem nonnulli, qui citra hominum operam a Deo edocti, potuerunt initio, utpote puri, illustrationes Spiritus suscipere. Ejusmodi erat Abraham, Moses, Elias, Jeremias, et si qui sint his similes. « Et adjecit Dominus loqui. » Adjectio isthæc sermonem connectit cum præcedentibus. Et certe post editum vaticinium, quo prænuntiabatur fore ut rueret Ephraïm, hoc est, Israël deficeret, consequens erat ut Propheta tandem prædiceret quemadmodum venturus esset Emmanuël per intemeratam Virginem. Quid igitur ipsi Achaz præcipit sententia illa? « Pete, inquit, tibi signum a Domino Deo » tuo in profundum aut in excelsum. » Signum utique est res conspicua, aliquid in se occulti obscurique indicans. Hunc ad modum Jonæ signum descensum ad inferos, et rursus ex mortuis ascensum ob oculos ponit iis, qui mysticam eorum quæ fiunt rationem intelligere possunt[2]. Oportet autem signum semper adesse, atque in præsenti consi-

[1] Esaï. VII, 10, 11. — [2] Matth. XII, 40.

derari ; sed res ab ipso significata in tria tempora est plerumque dispertienda. Sunt enim præsentia præsentium signa ; exempli causa, fumus e domo exiens ignem intus accendi indicat. Sunt et præsentia futurorum eventuum indicia, ut est nubium concursus oculis subjectus qui imbrem prænuntiat in terram casurum. Sunt itidem præsentia signa præteritorum, uti sunt carbonum reliquiæ, quæ rogum ibi fuisse incensum ostendunt. Ea autem quæ sunt admirabilia, quæque mysticum quemdam sermonem exprimunt, a Scriptura vocantur signa. Quid autem admirabilius aut divinius potest usquam audiri aut conspici, quam ille Dei nostri ex Virgine ortus? « Quamobrem a Domino tuo signum pete in profundum, sive in altum; cum nullus alius id præstare valeat. » Profecto id quod suapte natura in mundi situ infirmum locum obtinuit, terra est : id vero quod supra res quaslibet visibiles eminet, cœlum est. Cum igitur Verbum caro factum sit, prophetia isthæc per illas voces, « In profundum, » terram significat et carnem ab ea assumptam : per has vero, « In excelsum, » designat cœleste Verbum principatu omni et potestate superius, eum videlicet, qui « In principio erat apud Patrem, et » Deus Verbum erat[1]. » Aut forte « Profundum » infirmas partes significat inferorum, « Excelsum » vero regionem cœlestem; uti docet nos Apostolus, dicens : « Ne dixeris in corde » tuo : Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere; » aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex » mortuis revocare[2]. » Quoniam igitur « Qui descendit, » ipse est et qui ascendit[3], » signum illud « In profundum » sive in excelsum, » dici potest de Domini descensu. « Et » qui ascendit ipse est super omnes cœlos[4]. »

IX. « Et dixit Achaz : Non petam, neque tentabo Do- » minum[5]. » Dei quidem donum magnum est, divesque et

[1] Joan. I, 1. — [2] Rom. x, 6. — [3] Ephes. IV, 10. — [4] Ibid. — [5] Esaï. VII, 12.

largum. Achaz autem, utpote magna et cœlestia exposcere nondum edoctus, quærere signum recusat, quod id superaret humanam naturam, vel quod exequi vellet mandatum, quod dicit : « Non tentabis Dominum Deum tuum [1]. » Sermones autem, qui tantis de rebus habentur, regi, qui tunc imperabat, apposite et utiliter fiunt, ut per ipsum isthæc vaticinia in omnes divulgarentur. Forte enim vel ob hominum illa ætate degentium invidiam, vel ob reliquam vitæ humilitatem, fuisset Esaïæ denegata fides, quasi a Domino oraculum non excepisset de Emmanuëlis adventu, sed confinxisset hunc sermonem, atque e proprio corde deprompsisset. Achaz autem recepit futurorum prædictionem sicut Laban [2], Abimelech [3], Nabuchodonosor [4], Pharao [5], ac tandem sicut Caïphas [6], non propter vitæ meritum, sed quod ejus dignitas eum fide dignum redderet. Non enim reverentia et religione ulla inductus Achaz refugiebat a petendo signo. Etenim si id ei non fuisset conducibile, ne initio quidem hoc ipsi præcepti dedisset Deus. Quapropter quæ subjunguntur, reprehensionem continent adversus Achaz. Nam sermone in Davidem deflexo, ait : « Audite nunc, domus David : Numquid parum est vobis » exhibere hominibus molestiam? et quomodo Domino ex» hibetis [7] ? » His utique verbis videtur Propheta ægerrime tulisse contumaciam Achaz. Hanc autem sententiam explanatius exprimit editio altera, quæ sic habet : « Numquid » parum a vobis molestia affici viros, quia molestia etiam » afficitis Deum ? » Quomodo autem homo facessit Deo negotium, cum ægritudo metus sit ruinæ atque infortunii? Verum hanc Deo affectionem nequaquam tribuit, sed per illud ægritudinis vocabulum ostendit animum eorum, qui ejus præceptis refragantur, adversum esse et infensum.

[1] Deut. vi, 16. — [2] Gen. xxxi, 24. — [3] Id. ii, 3. — [4] Dan. ii, 1. — xli, 1. — [6] Joan. xi, 24. — [7] Esaï. vii, 13.

X. « Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum [1]. » Dabit, inquit, vel non petentibus. Etiamsi non reperiat quemquam dignum qui recipiat, nihilominus tamen ob præfinitam dispensationem carnalis ortus Domini, ipse, inquit, Dominus Deus dabit signum. Conveniebat enim ut intelligeret Achaz res humanas non aliter emendari posse, nisi per solum Dei Verbi ad nos adventum, ac peteret signum in profundum, aut in altum. Quoniam autem sese judicabat indignum, quandoquidem exposcere magna et cœlestia signa non noverat, idcirco ait : « Dabit Dominus » ipse vobis signum, » non per aliquem servum, aut ministrum, aut famulum dat, sed ipse per se, ut doni inde declaretur magnitudo. « Etenim legem ordinavit per Angelos » in manu mediatoris Mosis [2] : » signum vero dedit ipse domui David. Nec jam ipsi Achaz datur, sed omni domui David : quoniam Dominus est « Ex semine David secundum car» nem [3] ; » ob idque faustus felixque de Christi adventu nuntius ad totam Davidis cognationem pertinebat.

XI. « Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et » vocabis nomen ejus Emmanuël [4]. » Reclamant LXX interpretum editioni Judæi, dicentes non reperiri in Hebræo hoc vocabulum « Virgo, » sed illud « Puella, » quasi mulier, quæ ætate floret, puella dici possit, mulier vero, quæ omnino nuptialis thalami expers est, non item; quibus facile et celeriter respondemus. Si enim signum rei cujuspiam stupendæ et a communi hominum consuetudine alienæ demonstratio est, quid erat miri, si mulier una e multis, quæ cum viro consuetudinem habuisset, fieret pueri mater? Quomodo etiam id quod natum esset ex carnis voluntate, vocari potuisset Emmanuël? Itaque si quod datur, id signum est, sit oportet et ipsa generatio admirabilis

[1] Esaï. VII, 14. — [2] Gal. III, 19. — [3] Rom. I, 3. — [4] Esaï. VII, 14.

et stupenda. Quod si modus, quo generatus est puer, fuit communis, neque dicatur signum, neque appelletur Emmanuël. Proinde quæ peperit, si virgo non est, quale extitit hoc signum? Et nisi ortus illi foret divinior quam vulgi, quomodo jam advenit Emmanuël? Quod autem nomen, « Puella, » proprie dicatur de virginibus, patet ex his Deuteronomii verbis : « Quod si in agro invenerit puel- » lam desponsatam, et vim inferens concubuerit cum ea, » interficietis hominem solum; et puellæ nihil facietis, » quia non est puellæ peccatum mortis. Quia quemadmo- » dum si quis homo insurrexerit adversus proximum suum, » et occiderit ipsum : sic res hæc. In campo invenit eam : » clamavit puella, et non erat auxiliator[1]. » Itaque quæ clamavit, utique ante corruptionem virgo erat. Hæc igitur verba, « Clamavit virgo, » idem valent atque illa, « Clama- » vit puella. » Et in tertio Regnorum libro Somanitis illa, quæ calefaciebat David, quæque virgo erat, nec unquam virum fuerat experta, puella vocatur. « Invenerunt enim, » inquit, Abisac, et adduxerunt eam ad regem : et puella » pulchra usque valde, et ministrabat regi, et rex non » cognovit eam[2]. » Itaque Emmanuël ex sancta Virgine exortus est, quæ dixerat : « Quomodo erit mihi istud, » quoniam virum non cognosco[3]? » Cui angelus : « Spiritus » Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit » tibi[4]. » Virgo hæc legi purificationis nequaquam erat obnoxia. Scriptum est enim in Deuteronomio : « Mulier, quæ » conceperit semen, et pepererit masculum, immunda erit » septem diebus[5]. » Hæc autem cum facta sit Emmanuëlis mater sine semine, pura sanctaque et intemerata est. Imo posteaquam effecta mater est, adhuc virgo permansit. Nam cum primus Adam non ex viri ac fœminæ congressu

[1] Deut. XXII, 27. — [2] 3 Reg. I, 3, 4. — [3] L   4. — [4] Ibid. 35. — [5] Lev. XII, 2.

editus esset in lucem, sed ex terra conformatus[1]; etiam novissimus Adam corruptionem illius instauraturus, formatum in virginali utero corpus assumpsit: ut in similitudine peccati esset per carnem[2]. Sed ne ii, qui ægre admodum incarnationem divinam admittunt, fidem omnem stupendæ huic generationi negarent, animalia quædam, quæ solius fœminæ opera citra marium copulam parere possent, rerum Opifex procreavit. Nam animalium naturam qui consulto perquisiere, talia de vulturibus memoriæ prodiderunt.

XII. « Butyrum et mel comedet: antequam sciat ipse » aut præeligat mala, eliget bonum[3]. » Utitur puerili cibo Emmanuël propter carnem, nempe butyro et melle. Et tamen, licet in statu infantili constitutus, per inhabitantem in se virtutem bonitatis, ante maturam perfectamque ætatem, ut reprobabit nequitiam, ita bonum eliget. Quare natura nostra habet æqualem ad utrumque propensionem, et sæpe quidem ad malum, sæpe vero ad bonum quoque deflectit, quemadmodum fit in statera, modo demittente se anima ad vitiosas turbulentasque affectiones, modo eamdem attrahente ratione ad melius. At Dominus non item, sed ea, quam cum bono habuit, necessitudo statim a primo ortu apparuit[4]. Quid enim scriptum est? « Antequam sciat ipse, aut præeligat mala, eliget bo» num. » Quod si recurras ad ea, quæ in Genesi scripta sunt de scientia boni et mali; illic reperies statum, in quo positus fuit Adamus ante peccatum, ei statui, qui nunc describitur, consimilem esse, siquidem malum ignorabat utpote illud non expertus. Quapropter et Dominus cum in habitu quidem adhuc puerili consisteret, id quod in Adamo purum manserat et incorruptum, imitatus est:

[1] Gen. II, 7, et 1 Cor. XV, 47. — [2] Rom. VIII, 3. — [3] Esaï. VI, 15. — [4] Gen. III, 2.

cum vero reprobavit nequitiam, violationem legis ex contumacia partam emendavit.

XIII. « Sed, inquit, adducet Deus super te, et super » populum tuum, et super domum patris tui dies, qui nec- » dum venerunt, ex quo abstulit Ephraïm a Juda, regem » Assyriorum [1]. » Sententia hæc significare videtur dies postremos post passionem Domini, cum Jerusalem obsessa est a Romanis. Etenim post Emmanuëlis adventum, inducet Dominus super Achaz, et populum ejus, et domum patris ipsius dies, qui nondum venerunt, ex quo separatus est Ephraïm a Juda, abductus ab rege Assyriorum in captivitatem. Defecit autem Ephraïm a Juda diebus Jeroboam filii Nabat, qui, Israële in peccatum impulso, primus fuit auctor defectionis, dicens: « Non est nobis pars » in David, neque hæreditas in filio Jesse [2]. » Quapropter Ephraïm avocavit regem Assyriorum a Juda adversum se: quippe eum habuit contemptui, nec sivit obsidionem Jerusalem valde ab ipso urgeri. « Et erit in die illa: Sibilabit » Dominus muscis, quod dominatur parti fluminis Ægypti, » et api, quæ est in regione Assyriorum. Et venient et re- » quiescent omnes in convallibus regionis, et in foramini- » bus petrarum, et in speluncas, et in omnem fissuram, » et in omni ligno [3]. » Descendit, inquit, populus meus in Ægyptum, illic habitaturus [4], atque apud Assyrios vi sunt abducti [5]. Quare sive quis ex populo in Ægypto sit, sive apud Assyrios commoretur, prænuntiat eos tempore ortus Emmanuëlis esse egressuros, eosdemque cum in Judææ regionem jam redierint, in nativis et vacantibus receptaculis esse conquieturos. Ait autem muscas in partem fluminis Ægypti dominium habere, et apes in regione Assyriorum versari, ut adversantium exercituum ostendat

[1] Esaï. VII, 17. — [2] 3 Reg. XII, 16. — [3] Esaï. VII, 18, 19. — [4] Gen. XLVI, 6. — [5] 4 Reg. XV, 29, et XVII, 6.

vilitatem. Musca siquidem animal est, quod originem suam a stercore sumit, infestum hominibus genus, et sordidum : quarum etiam vita molesta est, et mors execrabilis. Tunc parte fluminis Ægypti potientur. Nam Nilus e supernis locis ab Æthiopibus ducens originem, modica sui parte qua se in mare exonerat, Ægyptum habet adjacentem : quo in loco quadrupedia omnia, belluæ, reptilia et volatilia pro diis habita coluntur. Has igitur muscas, imbecillitatem scilicet adversarii exercitus delebit Dominus sibilo suo, hoc est, spiritu oris sui interficiet [1]. « Et api in regione » Assyriorum. » Est quoque apis parvum animal et infirmum, quod ulciscendo moritur. Nam ubi primum immisit aculeum, ex plaga inflicta interit, atque eum quidem, qui sauciatus est, paululum lædit, sibi vero ipsa vitam adimit. Ejusmodi est natura amarorum hominum et pugnantium adversus Spiritum; qui nequitia sua sibi ipsis majus damnum afferunt quam quicumque alii ex eorum iracundia recipiant.

XIV. « Et in die illa radet Dominus novacula mercede » conducta trans fluvium regis Assyriorum caput, et pilos » pedum, et barbam auferet [2]. » Post Christi ortum, adversaria omni potestate spiritu oris Domini instar muscæ et apis profligata, introducentur filii Israël, et requiescent in nativis receptaculis, in convallibus, in regionibus, in fissuris, et in ejusmodi locis. Quod autem attinet ad illud : « Radet Dominus in novacula mercede conducta regis Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam ejus aufe- » ret; » videtur hæc sententia per novaculam mercede conductam, exercitum quemdam indicare mercede conductum, qui regni Assyriorum tenuitatem erat ostensurus, ejusque gloriam ac claritatem ablaturus, hoc est, dissipaturus capillos capitis ejus, multumque et frequentem po-

[1] 2 Thess. II, 8. — [2] Esaï. VII, 20.

pulum, quos Scriptura tropice tradidit ac docuit pedum pilos esse. Deinde ipsam etiam supellectilem pretiosissimam ac fortitudinis insignia, quæ barbam appellavit, interminatur per novaculam mercede conductam ademptum iri. Et fortasse qui historiæ student, deprehendent res, quæ de Assyriis prænuntiantur, quæque in ortu Emmanuëlis evenere, ab exercitu romano adimpleta fuisse. « Et erit » in die illa : Nutriet homo vitulam boum, et duas oves. » Et erit a copia lactis quam facient; butyrum et mel co- » medet omnis, qui derelictus fuerit in terra [1]. » Postquam Israël a captivitate liberatus requieverit, rexque, qui ei insidiabatur, fuerit ignominia notatus, et a novacula mercede conducta nudatus, tunc, inquit, tanta futura est in regione ubertas, ut vacca una et oves duæ possessori suo sint suppeditaturæ lactis copiam : ita ut butyri abundantiam ob id habeat, quod omnes terræ illius incolæ butyro nutriendi sint et melle. Fortasse autem magis condecet sensu sublimiore intelligere traditas de animalibus doctrinas. Nam horum verborum loco, « Enutriet unusquisque » animum laboris tolerantem, et agriculturæ peritum ac » studiosum, » dixit « Vaccam, » animal scilicet, quod agricolationi idoneum est, nosque juvat; atque pro moribus placidis, mansuetisque et liberalibus, « Oves » per translationem dixit. Quamobrem ut ab hoc animali indumenti nobis materia suppetit : ita virtutis amictu optimorum quorumque vita solet exornari. Quoniam igitur nutritur spirituali modo, et adornatur, propterea nutriet vaccam et oves duas. Butyrum et mel appellat ea, quæ ad divinam doctrinam introducunt, documenta. Quapropter destinantur butyrum et mel ad primum hominis cibum : at ubi his satis enutritus est, ac elementis primis imbutus fuit, tunc superior terrenis effectus, alimenti solidioris

[1] Esaï. VII, 21, 22.

ampliorisque et viris digni futurus est particeps, cum studium suum disciplinis spiritualibus impertiat.

XV. « Et erit in die illa : Omnis locus ubi fuerint mille » vineæ, mille siclorum, in desertum erunt, et in spinam. » Cum sagitta et arcu ingredientur illuc, quoniam deser» tum et spina erit omnis terra, et omnis mons aratus ara» bitur. Non superveniet illuc timor. Erit enim præ solitu» dine et spina pabulum ovis, et conculcatio bovis [1]. » Quantum certe fieri potuit in locis arduis et intellectu difficilibus, explicationem non omnino dissentaneam invenisse nos putamus. Vide igitur num circa hæc oracula excipere possis ejusmodi sensum, videlicet quod qui erant ex circumcisione, sint mille vineæ mille siclorum. Vitem namque transtulit ex Ægypto, et ejectis gentibus, plantavit eam [2], quæ multis fructibus primo allatis, postea neglecta est, atque quod conversa est in amaritudinem [3]; et destructa est ejus sepes [4], et facta est in direptionem transeuntibus [5]. Hæ itaque vineæ feraces mutatæ sunt in terram desertam et spinis horrentem tum, cum hostilis exercitus vastitate inducta cum innumeris sagittis telisque ipsos invasit. Sunt autem montes arati ipsæ animæ Christi fidem amplexæ, quæ cum prius desertæ essent et agricultura destitutæ, ante Christi adventum jacebant incultæ, idcirco sentes ac spinas ferebant. Sed quia « In ruinam et resurrec» tionem multorum venit [6], Et vocavit ea, quæ non sunt, » ut ea, quæ sunt, destrueret [7], » ea de causa qui erant ex circumcisione, viriditate et fertilitate amissis, in terram incultam degenerarunt. Illa autem multitudo ex gentibus collecta, quæ vocatur « Aratus mons, » jam formidine omni immunis, et ab hostium timore liberata aratur. Mons igitur animus est per Christi doctrinam in sublime evectus.

[1] Esaï. VII, 23-25. — [2] Psal. LXXIX, 9. — [3] Jerem. II, 21. — [4] Psal. LXXIX, 13. — [5] Esaï. V, 5. — [6] Luc. II, 34. — [7] 1 Cor. I, 28.

Postquam igitur venit Dominus, gentes, fracto Israële, insertæ sunt [1] et plantatæ, ut eorum lapsu omnibus afferretur salus, tamque oves quam boves, in hisce montibus tuto pascentes, plurimum ex sese præstarent emolumenti. Qui utique sunt bonis moribus præditi, significantur ovium nomine : qui vero strenui sunt et alacres ad res necessarias efficiendas, per boves designantur.

CAPUT VIII.

I. « Et dixit Dominus ad me : Sume tibi tomum novi magni, et scribe ipsum stylo hominis, ut velociter direptionem faciat spoliorum. Adest enim : et testes fac fideles homines, Uriam et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad Prophetissam, et in utero concepit, et peperit filium. Et dixit mihi Dominus : Voca nomen ejus, Cito spolia, velociter deprædare. Quia antequam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum [2]. » Propheta aliud exequi jussus, aliud videbitur fecisse. Nam illud, « Sume tibi tomum novi magni, » quidnam habet commune cum iis quæ subsequuntur : « Et accessi ad Prophetissam, et in utero concepit ? » Possit igitur dicere quispiam hanc illationem redditionem non esse superioris sententiæ, sed ea finita, proferri illationem a proprio principio pendentem. Licet enim non addatur sumpsisse tomum novi et magni, jussa tamen fecisse subauditur. At illud, « Et accessi ad Prophetissam, et in utero concepit, » ex altero peti principio in-

[1] Rom. XI, 17. — [2] Esaï. VIII, 1-4.

telligitur. Etenim si detrectasset imperium Propheta, hæc utique contradictio fuisset litteris prodita, uti contigit in Ezechiele, qui panem suum in fimo humano concoctum comedere recusavit. Enimvero illo loco negat se id facturum, dicens : « Nequaquam, Domine Deus cœli : si anima » mea non est polluta in immunditia, neque ingressa est in « os meum omnis caro impura [1]. » Quamobrem in stercore bubulo panes suos conficere concessum ei fuit [2]. Hic autem cum non reperiatur negatio, silentium utique indicat assensionem, etiamsi testatus non sit sese imperata executum fuisse : quemadmodum Osee ; « Vade enim, inquit : » Sume tibi uxorem fornicationis, et filios fornicationis [3]. » Deinde Scriptura ipsum jussa perfecisse testificans, subjungit : « Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaïm [4]. » Quin et alibi invenire possimus præcepta fuisse expresse data, nec tamen testimonio ullo probari opus ipsum confectum esse, sed a nobis illud ex eo intelligi, quod qui mandata excipiebant parati essent ad obediendum atque proclives, ut in Ezechiele : « Et tu dormies super latus » tuum sinistrum [5]. » Et rursus, « Dormies super latus tuum » dextrum [6]. » Non enim subinde additum est eum dormiisse super latus dextrum aut sinistrum ; sed id prætermissum silentio est, et tamen a nobis intelligitur Prophetæ obedientia. Ad hunc igitur modum etiam hic respondere possumus ad quæstionem a nobis agitatam quod non aliud jussus facere, aliud fecerit, sed mandato illo peracto, de Prophetissa nobis edisserit quæ ex alio pendent principio.

II. Fortasse autem tomus ille novi et magni, figura est et adumbratio novi et magni testamenti stylo hominis descripti, ex eo quod Evangelii verba sermone humano, qui a

[1] Ezech. IV, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Osee. I, 2. — [4] Ibid. 3. — [5] Ezech. IV, 4. — [6] Ibid. 6.

multis audiri potest, conscripta sint. Quo in tomo scriptum est, « Ut velociter fiat direptio spoliorum : » quandoquidem velox et fulgure omni ocyor extitit Evangelii doctrina, quæ ad fines orbis terrarum pertingens, hujusque sæculi principem spolians, eos, qui ipsius servituti erant mancipati, eo adduxit, ut Christo obsequerentur. Direptio autem est spoliorum distributio : quam curam Angelis ceu humani generis providis tutoribus concredidit Deus ad custodiam hominum et salutem. Eam ob rem scriptum est: «Ut velo» citer direptionem faciat spoliorum. » Adest enim Evangelium, quod eum, qui pridem e cœlo expectabatur, præsentem esse nobis annuntiat. Urias autem, inquit, et Zacharias eorum, quæ in Evangelio scribuntur, testes sint. Est autem Urias sacerdos, legem a Mose promulgatam sensu allegorico designans ; est vero Zacharias propheta. Viget jam Evangelium, utpote legis et Prophetarum testimonio confirmatum. Cæterum Urias, si interpreteris, sonat Dei illustrationem : Zacharias vero, memoriam Dei : filius vero Barachiæ, id est, benedictionis Dei. Quos tandem fideles homines decebat esse testes ? Si quis sit a Deo illustratus, Deique memoriam assiduam servet, hic ille erit.

III. Ecquid igitur sibi vult illud, « Et accessi ad Prophe» tissam ?» Hoc est, appropinquavi spiritu et futurorum prænotione ad Prophetissam. Adveni enim, atque cognitione velut prope accessi ; et intentis in antecessum per prophetiæ donum oculis, procul conspexi illius conceptum. Vidi, inquam, peperisse filium, de quo dixit Dominus : « Voca» bis nomen ipsius, Cito spolia, velociter deprædare. » Actutum spoliavit fortem, suas ipsius possessiones custodientem, eos scilicet, qui sub peccato erant venundati [1], mortisque vinculis detinebantur. Spoliavit quidem illum : sed prædam quam fecit, virtutibus suis distribuit ; quandoqui-

[1] Rom. vii, 14.

dem fideles suos Angelis sanctis custodiendos credidit et asservandos; de quibus ipse ait: « Angeli vestri semper vi» dent faciem Patris mei, qui in cœlis est [1]. » Hic est enim, qui cito spolia detraxit, de quo scriptum est: « Ascendens » in altum captivam duxit captivitatem, accepit dona in » hominibus [2]. » Nemo autem negaturus est Mariam esse Prophetissam, ad quam accessit Esaïas per cognitionis accessum, si modo ejus verba prophetico spiritu prolata revocet in memoriam. Quid enim ait? « Magnificat anima » mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo serva» tore meo : quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. » Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatio» nes [3]. » Et certe omnia illius verba si expendas, nequaquam dubitabis quin eam quoque dicat Prophetissam, cum Domini Spiritus supervenerit in ipsam, et virtus Altissimi ei obumbraverit [4]. Quod igitur scribere jussus est Propheta in hoc tomo, simul ut appropinquavit ad Prophetissam, id jam factum vidit. Illic siquidem dictum est : « Scribe stylo » hominis, ut velociter direptionem faciat spoliorum : » hic autem postquam dixit eam in utero concepisse, ac peperisse filium, scriptum est : « Et dixit Dominus : Voca nomen » ejus, Cito spolia, velociter prædare. » Idem itaque exprimitur diversis verbis ac sententiis, cum dicitur : « Sume tibi » tomum, » et, « Accessi ad Prophetissam ; » illatio isthæc nihil quoque habet cum præcedenti propositione dissentaneum. Hic autem, qui natus est ex Prophetissa, et virtutem Damasci, et spolia Samariæ cepit. Virtus Damasci, ii sunt qui ex gentibus credunt : spolia vero Samariæ, qui ex circumcisione fidem sunt amplexi. Quippe ut Syriæ metropolis Damascus est : ita Israëlitarum, Samaria [5]. Cæterum data mandata gestaque fortia ejus, qui ex Prophetissa na-

[1] Matth. XVIII, 10.— [2] Psal. LXVII, 19, et Ephes. IV, 8.— [3] Luc. I, 46-48.— [4] Ibid. 35. — [5] Esaï. VII, 8, 9.

tus est, vice nominum ipsi imponuntur a Domino, perinde ut et nomen Jesus eidem Domino aptatum est ob salutem nobis a Deo impertitam. « Vocabis enim, inquit, nomen » ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a » peccatis eorum [1]. »

IV. « Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc : Quia non » vult populus hic aquam Siloam, quæ quiete fluit ; sed vult » habere Rasin et filium Romeliæ regem super vos. Ideo » ecce adducit Dominus super vos aquam fluminis fortem » et multam, regem Assyriorum, et gloriam ejus : et ascen» det super omnem vallem vestram, et ambulabit super om» nem murum vestrum, et auferet a Judæa hominem, qui » poterit caput levare, aut possit perficere aliquid. Et erunt » castra ejus, ut impleant latitudinem regionis tuæ [2]. » Quid est quod talia populo minitetur universorum Deus ob aquam Siloam ? Quî etiam fit ut nolit populus aquam Siloam, cum historia eam non tradat morbum, aut aliam aliquam noxam, utentibus afferre ? Deinde quomodo etiam sequitur eum, qui aquam Siloam non vult, velle Rasin et filium Romeliæ ? Quæ enim cognatio affinitasque intercedit inter aquam inanimatam, et inter regem imperantem et in subjectos principatum tenentem ? Sed tropice intelligendum est nomen Siloam, quod juxta Evangelii doctrinam interpretantur « Missum. » Etenim in Joannis Evangelio habetur ejusmodi interpretatio : « Vade, lava in » Siloam, quod est missus [3]. » Ecquis igitur est ille « Missus, » et « Quiete fluens, » nisi is, de quo dictum est : « Dominus » misit me, et Spiritus ejus [4]. » Et rursus : « Non contendet » neque clamabit, neque audietur vox ejus in plateis [5]. » Itaque qui non recipiunt eum, qui missus e cœlis est, ii, mansuetudine ejus spreta, ad se asciscunt filium Romeliæ,

[1] Matth. I, 21. — [2] Esaï. VIII, 6, 8. — [3] Joan. IX, 7. — [4] Esaï. XLVIII, 16. — [5] Id. XLII, 2, et Matth. XII, 19.

hoc est, sermonem, qui doctrinam mendacem ac falsam complectitur, et tamen pollicetur eam per divinas Scripturas demonstrari : accersunt quoque Rasin, qui, si interpreteris, idem valet ac « Sublimis, » qui quoque auditorem a divinarum Scripturarum fide alienum effert, inflatque, et a fidei fundamento abducit. Aram siquidem ab interpretibus dicitur « Sublimis. » Qui igitur aspernantur firmum sermonem, nec admittunt quod stabile et tranquillum ac sudum est, imo qui dogmata petita ab iis quæ a fide aliena sunt, cum documentis e divina Scriptura depromptis connectunt, iis isthæc sententia comminatur fore, ut inducatur aqua multa et fortis, rex Assyriorum, hoc est, sæculi hujus princeps. Planum est enim et compertum, ex sequentibus ejusdem Prophetæ verbis, adversarium sæpe per Assyrium a Scriptura intelligi. Ait enim : « Et erit : Cum » consummaverit Dominus omnia faciens in monte Sion et » in Jerusalem, inducet super mentem magnam principem » Assyriorum, et super altitudinem gloriæ oculorum ejus. » Dixit enim : In fortitudine faciam, et in sapientia pru» dentiæ auferam terminos gentium, et fortitudinem earum » devastabo. Et commovebo urbes habitatas, et universum » orbem comprehendam manu quasi nidum, et quasi ova » derelicta tollam : et non est qui effugiat me, aut contra» dicat mihi [1]. »

V. Videtur igitur etiamnum talem dicere Assyriorum principem, ut sit aqua multa in modum torrentis, vi et impetu quosvis obvios secum abripientis : cujus tentationis qui digni sunt, qui transeant illæsi, dicunt : « Torren» tem pertransivit anima nostra, aquam intolerabilem [2]. » Quin et Evangelium in parabola hujus istius aquæ comminit, ubi sermones audientem, sed non facientem cum homine domum suam sine fundamento ædificante compa-

[1] Esaï. x, 12-14. — [2] Psal. cxxiii, 5.

rat. « Ingruente autem, inquit, inundatione non restitit, » sed cecidit domus, et facta est ruina domus illius magna [1]. » Sed multa hæc aqua ascendet, inquit, super omnem vallem » vestram. » Valles autem concava sunt terræ. Quare igitur non descendere, sed ascendere aqua dicitur ? Quia omnis hominum abjectio ex peccato orta, primis fontibus et veluti nequitiæ scatebris sublimior est. Sed ubi traditi fuerint adversariis potestatibus, ambulabunt super omnem murum eorum qui defecerint, videlicet super omnia fortia dogmata, et super omnia, quæ videbantur eorum esse præsidia. Quoniam autem defecerunt a Siloam, et voluntas eorum in pestilentissimos reges fuit propensior, minatur Scriptura ablatum iri a Judæa hominem omnem, qui caput attollere, et aliquid perficere queat, hoc est, tum eum, qui mentis contemplatione sublimis sit; tum eum, qui virtute effectrici statuta fortiter exequatur ; tum eum, qui in latitudine regionis populorum castrametari possit, eorum, qui Siloam non admittunt. Nam quia latam spatiosamque viam amplexi sunt, digni efficiuntur, qui castra sint adversæ potestatis, non quod vi ulla coacti sint ; sed quod sibi ipsi partem deteriorem delegerint. Quoniam enim « Non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos » Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non con» veniunt [2]. »

VI. « Nobiscum Deus. Cognoscite gentes, et vincimini. » Audite usque ad extremum terræ [3]. » Illud, « Nobiscum » Deus, » refertur utique ad Servatorem. Sic enim in superioribus vocabatur is, qui natus e Virgine est, Emmanuël scilicet, juxta hebraïcæ linguæ proprietatem, quod si interpreteris, sonat « Nobiscum Deus [4]. Cognoscite gentes, » et vincimini. » Crediderim hanc vocem referri ob gaudium

[1] Luc. vi, 49, et Rom. ii, 13. — [2] Id. i, 28. — [3] Esaï. vii, 9. — [4] Matth. i, 23.

eorum, qui, cognito Christi adventu, crucis virtutem gentibus metuendam esse didicerunt. Eam ob causam : « Cog»noscite, inquit, gentes, et vincimini, » ut pulchra illa et vobis conducibili victoria victi, ad Christi obedientiam captivi deducamini, atque a lege peccati per Christi servitutem liberemini. Quomodo igitur vincuntur gentes ? si agnoverint Deum. Adveniente enim luce, tenebræ vincuntur, vinciturque morbus sanitatis accessu. Itaque agnoveritis, gentes, veritatem duntaxat, et illico victoria vobis salutari vincemini. « Audite usque ad extremum terræ. » Quosnam audietis ? eos qui vobis annuntiant Evangelium. « In omnem enim, inquit, terram exivit sonus eorum, et » in fines orbis terræ verba eorum [1]. » Fortes, vincimini; corporeas vires exuite, assumite carnis infirmitatem, ut « Virtus Dei in infirmitate perficiatur [2]. Nam si iterum præ» valueritis, iterum vincemini [3]. » Si quando in te insurrexerit carnis petulantia, eam in servitutem redigere, debellare, ac spiritui subjicere studeas. « Et quodcumque » consilium inieris, dissipabit Dominus : et verbum quod » loquemini non manebit in vobis, quia nobiscum Deus [4]. » « Nam perdet sapientiam sapientium, et prudentiam pruden» tium reprobabit [5]. » Humanum igitur consilium ille magni consilii Angelus [6] irritum facit, atque hominum sermonem Deus Verbum dissipat. Quorum nihil, inquit, manebit in vobis, quia « Nobiscum Deus. » Utile autem fuerit gentibus tempore persecutionis confidenter dicere illud : « Nam » si iterum prævalueritis, iterum vincemini. » Qui enim sæpe oppugnarunt Christi Ecclesiam, non raro succubuere. Quemadmodum enim flamma accessione materiæ comburendæ magis ac magis attollitur : ita ii, qui Ecclesiam evertere conati sunt, semper eam per persecutio-

[1] Psal. XVIII, 5.— [2] 2 Cor. XII, 9. — [3] Esaï. VIII, 10. — [4] Ibid. — [5] Id. XXIX, 14, et 1 Cor. I, 19.— [6] Esaï. IX, 6.

nes ad majorem gloriam atque potestatem provexerunt.

VII. « Sic dicit Dominus : Forti manui non obsequuntur, » itineri viæ populi hujus, dicentes : Nequando dicatis du- » rum. Quidquid enim loquitur populus iste, durum est. » Timorem autem ejus ne timueritis, neque conturbemini. » Dominum ipsum sanctificate, et ipse erit timor tuus, et » si in ipso confidas, erit tibi in sanctificationem : neque » quasi ad lapidis offensionem accedetis, neque quasi ad pe- » træ ruinam [1]. » Postquam prædicatum est verbum de Emmanuëlis adventu, et quodam modo ob reportatam a gentibus victoriam emissa est vox illa : « Cognoscite, gentes, et » vincimini, nobiscum Deus, » Scriptura gentes condemnans, subdit illud : « Non obsequuntur manui forti. » Manus autem fortis virtus est quarumcumque rerum creatrix, per quam omnis creatura visibilis, et ea, quæ visibilia transcendunt, constitere. Sunt enim modi duo, quibus possumus adduci ut cognoscamus Deum, suscipiamusque curam nostri ipsorum : si aut cogitationibus naturalibus per visibilia ascendamus ad Conditorem, aut per legis nobis traditæ doctrinam. Hi autem videntur etiam forti manui non obsequi, hoc est, per creaturas ad Conditoris notitiam non deduci [2] : neque itineri obsequuntur, hoc est, viæ. Hæc autem via est utique Dominus ipse, qui dixit : « Ego sum via [3]. » Quin et ipse est Dei manus et dextera. Ait enim : « Dextera tua, Do- » mine, glorificata est in fortitudine [4]. » Et, « Ego manu mea » firmavi cœlum [5]. » Qui itaque in Dominum non credunt, increpantur. Vel nunc iter appellat hujus vitæ viam ex lege nobis præscriptam. Viam enim doctrinam vocari, ex multis locis notum est ac perspectum, cum Dominus legis doctores vocet cæcos viæ duces [6]. Et, « In via testimoniorum » tuorum delectatus sum [7]. » Et, « In via tua vivam [8]. » Et,

[1] Esaï. VIII, 11-14. — [2] Rom. I, 20. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Exod. XV, 6. — [5] Esaï. XLVIII, 13. — [6] Matth. XV, 4. — [7] Psal. CXVIII, 14. — [8] Ibid. 37.

« Beati immaculati in via [1]. » Atque uno verbo, Scriptura testimoniis ejusmodi plena est, in quibus eum progressum quo per legem ad animæ perfectionem contendimus, iter quoddam appellat. Quin etiam subjunxit contumaciæ causam. Non recipiunt, inquit, viæ præcepta, quibus usa Scriptura est, imo eis refragantur, cum asperitatem non perferant mandatorum.

VIII. Hunc ad modum etiam in Evangelio Judæi doctrinam Domini non ferentes, dicebant : « Durus est hic sermo : » quis potest eum audire [2] ? » Durum est impudico continentem esse : dura est ebrioso temperantia : durum est maledico benedicere. Et in universum, omni collo libertatis cupido jugum legis durum videtur. Quapropter multi pereunt ob lenitatem viæ et latitudinem : pauci vero ad regnum perveniunt, quippe qui acerbitatem laboremque ejus vitæ, quæ ex præscripto virtutis instituitur, haudquaquam ferant. Malitia siquidem inescat voluptatis lenitate : virtus vero austeritate disciplinæ et labore vitam eorum, qui in ea se exercent, exasperat. « Propter verba labiorum tuorum » ego custodivi vias duras [3]. » Tradita nobis ad nostras animas perficiendas præcepta, vias duras appellat. Quid asperius, quam ut quis, recepta in maxilla plaga, obvertat percussori et alteram [4] : quam ut spoliatus, nihil repetat : quam ut ad tribunal tractus, tunica etiam seexuat [5] : quam ut benedicat maledictis vexatus [6] ? Quid durius quam verbis contumeliosis appetitum obsecrare, neminem odisse, precari pro persequentibus [7] ? Sed durum illud vivendi genus suavem Abrahæ patris nostri sinum pro requie nobis apparat. « Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolatio» nem accipient. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quo» niam ipsi saturabuntur [8]. » Et omnis fere vitæ hujus afflic-

[1] Psal. cxviii, 1. — [2] Joan. vi, 61. — [3] Psal. xvi, 4. — [4] Matth. v, 39. — [5] Ibid. 40. — [6] Luc. vi, 28. — [7] Matth. v, 44. — [8] Ibid. 5, 6.

tatio æterna bona conciliat : quapropter « Euntes ibant et » flebant mittentes semina sua [1]. » Molestiæ siquidem quæ nunc ob Dei legem accidunt, semen erunt futurorum bonorum. « Venientes autem venient cum exultatione, por» tantes manipulos suos [2]. » Itaque non obsequuntur gentes itineri populi, dicentes : « Nequando dicatis durum. Quid» quid enim loquitur populus, durum est [3]. » Interroga igitur eos, qui idolis assident, quamobrem non accedant ad prædicationis doctrinam ? Certe qui inter ipsos magis sunt ingenui ac sinceri, fatentur se illius austeritatem ferre non posse.

IX. Deinde subjungit : « Timorem autem ejus ne timue» ritis [4]. » Hic autem locus bifariam intelligitur. Etenim dicit gentibus : « Hunc timorem nequaquam timete, quem nunc inscienter metuunt, eo quod se in præstantioris vitæ instituto nequaquam exerceant ; » quasi diceret : « Continentiam ne formides : ne metuas fortitudinem : ne pietatem timeas : ne ab ulla perterrearis virtute. Sunt enim cicures virtutes, accessu faciles, suppeditant bona, vitam largiuntur. » Aut sermone converso, ad populum ita convertitur : « Illi de vobis talia suspicati sunt, vobiscum in legis itinere recusantes conjungi. Vos autem insidias vobis a gentibus paratas ne timueritis : imo Dominum in animo versantes, sanctificate ipsum, « Et ipse erit tuus timor. » Hoc maxime ad perfectionem facit, scite ac perite formidare, neque omnia metuere, neque ad omnem strepitum consternari, non timenda timentes. Tales enim damnat Psalmus, his verbis, « Illic trepidabunt timore ubi non erat timor [5]. » Dominum igitur sanctifica, « Et ipse erit timor tuus. » Præstolare illius adventum, illius formida judicium. Terribilis est qui « Unicuique reddet juxta opera ipsius : » metuendus

[1] Psal. cxxv, 6. — [2] Ibid. — [3] Esaï. viii, 12. — [4] Ibid. — [5] Psal. xiii, 5.

ille, qui in voce tubæ cum Angelis sanctis e cœlis venturus est [1] : tremendus ille, cujus judicium, supplicium æternum est [2]. « Si igitur confidas in Domino, non ad eum, quasi ad la- » pidis offensionem, accedes, neque quasi ad petræ ruinam [3]. » Sententia hæc perspicue adhortatur ad amplectendam fidem in Dominum nostrum Jesum : de eo enim dictum est : « Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scan- » dali [4]. » Qui cæci sunt, et ea, quæ ante pedes sunt posita, videre non possunt, offendunt ad lapides : et ii, quorum plantæ non sunt solidatæ, in petras incurrentes prolabuntur. Itaque qui animi vim videndi omnino neglexit, nec Domini agnovit adventum per Scripturarum scientiam, ad Evangelii prædicationem offendit : sed et qui in fide facile subverti potest, in petra, quæ est Christus [5], scandalum patitur. « Tu autem, inquit, popule, si habeas fiduciam, atque per fidem integram innitare in Domino, habito de eo sermoni, non quasi lapidis offensioni occurres, neque in ipsum veluti in petræ ruinam impinges. » Fortasse autem prædicationis stultitia gentibus sapientiam quærentibus est offendiculum [6] ; Judæis vero signa quærentibus petra est scandali. Eam ob causam Paulus dicebat prædicationem Judæis quidem esse scandalum, gentibus vero stultitiam. Sed qui confidunt in Domino, nec logicis demonstrationibus subjiciunt prædicationis simplicitatem, neque per signa capiunt veritatis experimentum, iis Christus est Dei virtus, et Dei sapientia.

X. « Tunc manifesti erunt qui obsignant legem, ne dis- » cant. Et dicet : Expectabo Deum qui avertit faciem suam » a domo Jacob, et confidam in eo [7]. » Sermo ex serie eorum, quæ præcessere, dependet. « Ecce Virgo in utero con-

[1] Matth. xvi, 27. — [2] Id. xxv, 46. — [3] Esaï. viii, 14. — [4] Rom. ix, 33. — [5] 1 Cor. x, 4. — [6] Id. 1, 21 et seq. — [7] Esaï. viii, 16, 17.

» cipiet et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuël, quod est interpretatum, nobiscum Deus[1]. » Et infra rursus ait : « Nobiscum Deus : cognoscite, gentes, et vincimini. » Deinde orationem ad eos convertit, qui legem ab Emmanuële annuntiatam non excipiunt, imo laborem difficultatemque mandatorum illius declinant. « Tunc, inquit, manifesti erunt, qui obsignant legem, ne discant. » Sermone enim doctrinæ apud omnes disseminato, nonnulli corda sua emendant ad recipienda documenta, et sunt veluti terra ferax et fœcunda, quippe qui amplectantur sermonem, et radicibus altius actis, cum a spinis suffocari non sinant, neque ipsum incustoditum habeant, adeo ut facile queat a diabolo diripi, sed tricesimum, et sexagesimum, et centesimum fructum ferant[2] : contra, sunt qui prorsus animum suum occludunt, ut ne excipiant sermonem, imo quasi colligant se atque obsignant, ne veritatis sermo ingrediatur. Hi autem dicuntur obsignari, qui in seipsis formam adversarii ac speciem exprimentes, in seipsis nolunt Christum formari; quique, imagine cœlestis vitiata[3], in sola terreni imagine oblectantur. Est autem lex obsignata obscuritate, et propterea quod a quibuslibet facile non potest capi; quippe quia necessario studium legis exercitatioque requiritur. Quisquis igitur animum suum non adjungit ad meditationem, nec ignorantiæ vinculum solvere cupit, is legem obsignare dicitur, qui futurus est manifestus in revelationis die. « Manifesti enim erunt qui obsignant legem, ne discant. » Quomodo ergo obsignant legem Judæi, de quibus dictum est : « Tulistis claves, et neque ipsi introïtis, et eos qui possunt introïre, prohibetis[4]? » Obsignat, ut ne discat, is, qui grammaticæ observationis simulatione et nomine, mysteria intus recondita non detegit. Et quid dicat considera : num

[1] Matth. I, 23. — [2] Marc. IV, 8. — [3] I Cor. XV, 49. — [4] Luc. XI, 52.

scilicet sint aperte voces judaïcæ: « Expectabo Deum, qui » avertit faciem suam a domo Jacob [1]. » Dicunt hæc Judæi: « Non credo in Deum; non admitto Emmanuëlem: tametsi nunc pro derelicto habeor, aliquando tamen visitationem « Dei expectabo, qui avertit faciem suam a domo Jacob. »

XI. « Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Deus. Et erunt » signa et portenta in domo Jacob, a Domino Sabaoth, qui » habitat in monte Sion [2]. » Posteaquam objurgati sunt inobsequentes, tum demum Dominus ipse in propria persona loquitur. « Illi igitur, inquit, forti manui et itineri viæ populi hujus non obtemperant; sed « Dominum, qui avertit faciem » suam a domo Jacob, » præstolari se simulant. Ego autem eos, qui in me credunt, ceu recens regeneratos, vetere homine exuto et novo induto [3], quasi pueros modo genitos [4], tenellos moribus et mali expertes, ac tandem a primis Scripturarum elementis, ceu a lacte submotos, atque ad perfectiorem mysteriorum escam pergentes assumo, calefacioque in misericordiæ sinu, et Patri offero. Per me enim ad ipsum cognoscendum expedita via est. » Hæc autem verba in Christi persona pronuntiari nemo negaverit, qui meminerit Epistolæ ad Hebræos. « Decebat enim, inquit, eum » propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos fi» lios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per » passionem consummare. Qui enim, inquit, sanctificat et » qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam » non confunditur fratres eos vocare. dicens: Nuntiabo no» men tuum fratribus meis. Et iterum: Ecce ego et pueri » quos mihi dedit Deus [5]. »

XII. « Et erunt, inquit, signa et portenta in domo Ja» cob. » Ab hisce pueris a Christo regeneratis fortia signa et portenta in domo Jacob edentur. Infantes erant Apostoli,

[1] Esaï. VIII, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Col. III, 9, 10. — [4] 1 Pet. II, 2. — [5] Hebr. II, 10-13.

utpote malitia pueri [1] : qui primum quidem linguis loquentes, homines scilicet idiotæ et Galilæi, tamen Spiritus sancti adventum omnibus manifestum reddiderunt [2]; atque donorum divisionem, linguarumque partitionem concessam sibi fuisse ostenderunt. Adhæc dilucidum et notum signum est claudus ille, qui ad speciosam portam sedens, per invocationem nominis Christi a Petro et Joanne perfectam pedum sanitatem obtinuit, firmatis ipsius plantis ac roboratis [3]. In quo signo completa est vetus illa prophetia : « Tunc saliet ut cervus, claudus [4]. » Signum erat Dorcas, a mortuis excitata [5]. Signum fuere ferreæ carceris portæ, ex se ipsis in Petri egressu adapertæ, vincula soluta [6], et quæcumque alia, quæ ab Apostolis gesta sunt ad declarandam Unigeniti divinitatem. Hæc autem signa ac prodigia omnia facta sunt a Deo Sabaoth, qui habitat in monte Sion. Par fuerit Deum Sabaoth, Deum intelligere exercituum. Quis autem alius exercituum Dominus, nisi qui dicitur princeps militiæ virtutis Dei [7], a quo data sunt pueris signa? Hinc autem liquet eos, qui in Christum credidere, pueros appellari, quod Dominus causa eorum, qui ipsum laudabant, ac dicebant, « Hosanna in altisssimis [8], » Judæis ei dicentibus, « Non audis quid isti dicunt ? » responderit : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [9]. » Illic enim infantes vocavit eos, qui, cæsis palmarum ramis, vestimentisque in via stratis, clamabant, ac eum gloriosis ac honorificis verbis prosequebantur [10]. Sed et in alio loco ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis [11]. » Eos utique qui fuerant sermone eruditi, et revelatione mysteriorum dignati, afflatu Spiritus, appellat

[1] I Cor. XIV, 20. — [2] Act. II, 2, 4. — [3] Id. III, 4 et seqq. — [4] Esaï. XXXV, 6. — [5] Act. IX, 40. — [6] Id. XII, 10. — [7] Jos. V, 14. — [8] Matth. XXI, 15. — [9] Ibid. 16. — [10] Ibid. 8. — [11] Id. XI, 25.

parvulos. Itaque per illud, « Ecce ego et pueri, » electos suos significat; quia « Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, » ut confundat sapientes[1]. » Quisquis igitur deponit veterem hominem, qui juxta erroris concupiscentias corrumpitur[2], induit vero novum, qui renovatur juxta Conditoris imaginem[3], is ex mystica Christi sententia puer est.

XIII. « Et si dixerint ad vos : Quærite ventriloquos, et » eos qui de terra loquuntur, vana loquentes, qui de ventre » vociferantur. Nonne gens ad Deum suum exquirent? » Quid exquirunt de vivis mortuos? Legem enim in auxi- » lium dedit, ut dicant : Non sicut verbum hoc, de quo » non est dare munera de eo. Et veniet super vos dira fames; » et erit, ut esurieritis, contristabimini, et maledicetis prin- » cipi, et patriis legibus, et suspicient in cœlum sursum. » Et in terram deorsum inspicient. Et ecce egestas angusta, » et tenebræ, afflictio et angustia, et tenebræ; ita ut non » videant. Et non deficiet, qui in angustia est ut usque ad » tempus[4]. » Qui non excipiunt Evangelii verbum, et quasi stultitiam spernunt illius prædicationem[5], et quibus crux est offensioni, iis cum sumus auctores ut redeant ad hanc agnitionem, vicissim consilia e suo errore deprompta nobis dant, dicentes : « Quærite non Dominum, sed ventriloquos, » et eos qui de terra loquuntur, vana loquentes. » Atque hanc rem testatur experientia. Qui enim addicti sunt idolis, cum sint somniis, divinationibus et dæmonum oraculis attenti, ii nihili faciunt veritatem, nobisque suadent ut talia exposcamus. Nam dæmones efficiunt, ut ii, qui experiuntur, ad suam ipsorum perniciem errent. Et quidem nunc quasdam rerum imagines in somnis undique suscitant, quibus aut corporearum ægritudinum curatio suggeritur, aut futura prænuntiantur. Res enim hujusmodi cernere possunt dæ-

[1] 1 Cor. 1, 27. — [2] Ephes. iv, 22. — [3] Coloss. iii, 10. — [4] Esaï. viii, 19, 22. — [5] 1 Cor. 1, 23.

mones. Ad corporis morbos quod attinet, eos prævident quod perspicaciori ingenii facultate præditi sint ad agnoscendas materiæ proprietates, quodque herbarum qualitates, et earum vim morbis curandis idoneam norint. Quod vero spectat ad futuros eventus, sæpenumero quæ jam contigere, prædicunt; et quæ nondum ad nostram pervenere notitiam, nobis annuntiant quasi futura. Nec secus ac si quispiam qui ex nobis alicujus adventum audivisset, eum præstolanti tanquam futurum renuntiaret, ut dum propheta esse videbitur, inde gloriam per fraudem venetur. Hunc ad modum et dæmones iis, qui facile errorem induci possunt, ea, quæ jam rata sunt et Dei decreto evulgata, plerumque annuntiarunt. Sic et ventriloqua illa ope dæmonum nuntiavit Saüli futuram stragem [1]. Erant enim dæmones, qui induerant Samuëlis personam : qui quod audissent damnatorium judicium in Saülem datum, latam a Deo sententiam uti propriam narrant. Itaque gentes non raro nos eo inducunt ut a dæmonibus decipiamur, cum dicunt : « Exquirite ventriloquos, qui de terra loquuntur. » Neque enim dicere audent verba sua e cœlis esse exportata. Ita in Regnorum libris illa etiam vates, quæ cum Saüle loquebatur, dicebat : « Video ego deos ascendentes e terra [2]. » Ejusmodi enim est artificium et fraus ventriloquorum : profitentur se mortuorum animas evocare, ut ea, quæ quæruntur, detegantur. Dein Propheta suam circa hujusmodi dolos ac fallacias sententiam subjungit, atque hos deceptores pronuntiat esse vaniloquos, dicens : « Vana loquentes, qui de ventre vociferantur, » seu qui ex sua ipsorum voluntate loquuntur. Non enim talis aliunde edoctus effatur, sed conficto in suo corde mendacio, spectatorum animum consiliumque conjectans, ea, quæ ad insipientes decipiendos sibi profutura sunt, loquitur.

[1] I Reg. xxviii, 7. — [2] Ibid. 13.

XIV. Aut forte de ventre loquuntur ii, « Quorum Deus » venter est [1] : » qui ob voluptatem ex cibo ac potu nascentem agunt omnia. Quamobrem non aberrarit qui hariolos et ventriloquos, eos esse dixerit, qui ob ventrem adimplendum simulant doctrinam, pietatisque formam ac speciem sibi affingunt ; qui quod non ex animo proferant sermones, vana loquuntur. Idque jure ac merito. Quisquis enim non facit, etiamsi doceat, omnem sibi adimit fidem, qua utilis esse possit. Illud autem : « Nonne gens ad Deum suum » exquirent [2] ? » hoc modo intelligi debet : Gens quælibet de re, quam vult edoceri, Deo suo quæstionem proponit. Atque sententiæ dilucidandæ causa legendum est per interrogationem, « Nonne gens ad Deum suum exquirent ? » Quare qui a nostro cultu alieni sunt, iis quos deos esse posuerunt, questiones etiam persolvendas congruenter diis convenienterque proponunt. Etsi enim deos mortuos constituunt, tamen eos interrogant de viventibus. Mortuos autem appellat, aut inanimata idola, puta lapides, ligna, æs et aurum : aut mortuos vocat eos, qui per apostasiam, vitam veram amisere. Aut forte etiam eorum, qui ventriloqui dicuntur, ars omnis versatur circa sepulcra, et inde incantamentorum suorum vim ac facultatem mutuatur. Deinde Scriptura idololatrarum insipientiam ægre ferens, ait : « Quid exquirent de vivis mortuos [3] ? » Cur tu, qui animatus es, adoras lapidem ? Cur tu, qui ratione præditus es, surdum interrogas ? Pro filio vivente opem ab eo imploras, qui vitam non habet, qui vita caret, qui nec respirare potest. Tametsi adieris oraculum, tametsi excogites lustrationes, abiisti ad mortuos, qui vel ipsi vitam amisere, et tibi ob contumaciam, mortem sunt illaturi.

XV. « Legem dedit in auxilium, ut dicant : Non sicut » verbum hoc, de quo non est munera dare de eo [4]. » Ne

[1] Phil. III, 19. — [2] Esaï. VIII, 19. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 20.

multum sis sollicitus de futuro : sed de præsentibus ad tuum commodum statue, et his utere. Quid enim percepturus es emolumenti ex habita prænotione ? Utique si quid futurum est boni, etiamsi non prænoveris, eveniet : sin autem quid molesti, quid tibi prodest mœrore ac tristitia in antecessum confici ? « Legem accepisti in auxilium. » Magna quidem inerat tibi opportunitas vel ab ipsa natura ad bonum : sed id perficiens Deus, tibi insuper legis quoque concessit adminiculum. Vis de rebus futuris certus esse ? ea quæ lege jubentur, exequere, bonorumque possessionem expectato. « Honora patrem tuum et matrem, ut bene tibi » sit, et eris longævus super terram, quam Dominus Deus » tuus dat tibi [1]. » Concupiscis bona ? quæ præscripta sunt, observa. Vatem de tua sanitate ne perconteris ; sed sustine medicum, qui ad sanitatem recuperandam remedia, quorum tu ipse dominus es et arbiter, præscribat. Ecquid discere poteris ab alio ? Fatidicus nullus confert immortalitatem : nullus deducit ad cœlum. Securum te judici nemo sistit, nisi lex et ejus accurata observatio; qua impleta, plus æquo futurum ne cures, sed præstolare remunerationem. « Legem igitur dedit in auxilium, ut dicant : Non sicut ver» bum hoc, de quo non est munera dare de eo. » Hæc autem lex non se habet sicut hoc ventriloqui verbum. Non enim ad fucum faciendum excogitata est, uti illa ejus verba, sed veritatis est magistra. Atque illi quidem vaticinantur ob argentum. Hoc namque ridiculum est, quod qui decipiuntur, pecuniam etiam pro mendacii mercede eis solvant. Hoc autem verbum, legis scilicet, tale non est, ut munera dentur pro eo. Nam qui Dei gratiam vendat, nemo est. « Gratis accepistis, inquit, gratis date [2]. » Vides quomodo Petrus Simoni, pro comparando Spiritus sancti dono pecuniam offerenti, succensuerit ? « Pecunia enim tua, inquit,

[1] Exod. xx, 12. — [2] Matth. x, 8.

» tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum » Dei pecuniis parari [1]. » Itaque Evangelii sermo non est sicut verba a ventriloquis vendita. Quam enim possit quis rependere remunerationem Evangelii verbis dignam? Davidem audi animi pendentem, ac dicentem: « Quid re» tribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi [2]? Non » est igitur munera dare de eo, » quæ ejus dono possint conferri. Unum munus dignum fuerit, si id quod dat custodiatur. Qui tibi hunc thesaurum concessit, dati pretium haud exigit, sed custodiam re data dignam.

XVI. « Et veniet, inquit, super vos dira fames; et erit, » ut esurieritis, contristabimini, et maledicetis principi, et patriis legibus [3]. » Qui omnia ad salutem ordinat Dominus, nonnunquam famem etiam ad utilitatem eorum, qui castigantur, inducit. « Afflixi enim te, inquit, et fame vexavi, » ut bene tibi facerem [4]. » Eam igitur famem dicit diram, quæ nec levari, nec concipi potest. Sunt enim diversæ famis species. Aliæ quidem contingunt sola frumenti inopia: aliæ vero oriuntur ex penuria reliquarum rerum, quæ edi possunt. Hæc autem fames, quam inductum iri enuntiat Scriptura, dira est, sic ut per inediam inferatur mœror, qui salutem haud pœnitendam queat operari. Sed cum ea, quæ secundum Deum est tristitia fuerint affecti [5], tunc maledicent principi et patriis institutis. Quis iste est princeps, in quem maledicta congerunt qui bene contristantur? « Princeps utique mundi hujus [6], » cui sunt per pœnitentiam maledicturi tum, cum illati ab eo damni fient conscii. Quin et patriis institutis maledicunt. Patria autem instituta eorum, qui in peccatis vivunt, sunt vitæ negotia, quibus gloriæ amatores omnes implicantur. « Opera carnis » sunt peccatori patria instituta, puta adulterium, fornica-

[1] Act. VIII, 20. — [2] Psal. CXV, 12. — [3] Esaï. VIII, 21. — [4] Deut. VIII, 3. — [5] 2 Cor. VII, 10. — [6] Joan. XVI, 11.

» tio, immunditia, lascivia, simulacrorum cultus, mollities, » concupiscentia mala [1]. » Patria instituta sunt dolus, mendacium, insidiæ, astutiæ, hypocrisis. Itaque qui se ex mundi hujus negotiis tanquam ex quadam ebrietate ad bonam frugem recepit, mundi principi, qui sibi ad patranda perditionis opera præfuerat, maledicit. Sed et maledicet patriis institutis, secundum quæ cum viveret, legem nobis a Deo in auxilium traditam non suscipiebat. Non potes Regi vero subesse, nisi maledixeris huic principi. Eam ob causam te edocuit Ecclesia dicere : « Renuntio » tibi, Satana. » Hoc est maledictum, quod in principem conjicitur. Quodnam autem maledictum est, quod adhibetur adversus patrios mores? Illud, « Renuntio et operi» bus tuis. » Hi patrii ritus, diaboli opera. Beatus qui rite huic maledixerit principi. Jam enim ad eum, qui verus est, accedit, et illuminatur. Beatus qui improbaverit patrios mores antiquos. Obtinebit enim patriam Jerusalem cœlestem, quæ mater est eorum, qui beato Paulo sunt similes [2]. Patria instituta sunt etiam pravi mores a parentibus ad nos transmissi. Reliquit-ne tibi pater opes per avaritiam partas? Redde has injuriam patienti, ne eas tibi ceu proprias vindices. Est nimirum peccati hæreditas. Dereliquit tibi servum pater, injuste ab ipso in servitutem redactum? Tu eum libertate dona, et patris cruciatum reddes leviorem, et tibi ipse libertatem veram conciliabis. Sub hæc quid dicit?

XVII. « Et respicient in cœlum sursum, et in terram » deorsum inspicient : et ecce egestas angusta, et tene» bræ; ita ut non videant, et non deficiet qui in angustia » est usque ad tempus [3]. » Affirmat fore ut ii, qui præ angustia adducti fuerint ad pœnitentiam agendam, sursum respiciant in cœlum. Qui prius demittebant in terram

[1] Gal. v, 19, 20. — [2] Id. iv, 26. — [3] Esaï. vii, 22.

oculos, nec divinarum contemplationum sublimitatem intelligere poterant, hi a rerum terrenarum affectione et studio quasi a vinculo quodam soluti, oculorum suorum liberos obtutus figunt in cœlum, invisibilium ac intelligibilium naturam contemplantes, et locum, quo reponi oporteat thesaurus, considerantes. Dein « Aspicient in terram » deorsum. » Qui erant elati prius, ac de se magnifice sentiebant, naturæ suæ vilitatem ex ea, quam cum terra habent, cognatione agnoscent. Mirare autem quam apposite hisce verbis usa sit Scriptura : quandoquidem dictionem utrique rei convenientem excogitavit. Cœlum enim et terra nobis proponuntur contemplanda. Dicit quidem de cœlo : « Respicient in cœlum sursum : » de terra autem, « Aspi» cient in terram deorsum. » Deinde præ admiratione tantarum rerum cognitarum inopes sunt consilii, adducenturque ad angustias, et mente obcæcabuntur; cum stupor, qui ex rebus intellectis orietur, ingentem illam in ipsis perturbationem excitabit. « Cum enim, inquit, consumma» verit homo, tunc incipit; et cum quieverit, tunc animi » pendebit [1]. » Nemo novit quot et quanta ignoret, nisi scientiæ hujus habuerit gustum : sed tamen benignus Dominus istis præstantiora pollicetur. « Non enim, inquit, » deficiet qui in angustia est usque ad tempus. » Ignorantia isthæc non perpetuo detinebit hominum genus; sed qui nunc cognitionis perquirit veritatem, eamque comparare laborat, « Is tunc videbit facie ad faciem [2]; » ac scientiæ consequetur perfectionem, cum advenerit tempus, quo instauranda sunt universa. Hoc enim sibi vult dictio illa : « Usque ad tempus. »

[1] Eccli. XVIII, 6. — [2] I Cor. XIII, 12.

CAPUT IX.

I. « Hoc primum bibe; cito fac, regio Zabulon, terra » Nephtalim, et cæteri, qui maritima et trans Jordanem, » Galilæa Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, » videte lucem magnam; qui habitatis in regione et umbra » mortis, lumen illucescet super vos. Plurima pars populi, » quam deduxisti in lætitia tua, et lætabuntur coram te, » sicut qui lætantur in messe, et sicut hi qui dividunt spo- » lia; quia ablatum est jugum ipsis impositum, et virga, » quæ erat super collum eorum. Virgam enim exactorum » dissipavit, sicut in die quæ super Madian; quia omnem » stolam collectam dolo, et vestimentum cum commuta- » tione restituent, et cupient, si fiant, esse igne combusti. » Quia PARVULUS NATUS est nobis, filius et datus est nobis, » cujus principatus super humerum ejus. Et vocatur no- » men ejus, magni consilii Angelus. Adducam enim pacem » super principes, pacem et sanitatem ipsi. Magnus princi- » patus illius, et pacis ejus non est finis. Super thronum » David, et super regnum ejus, ut moderetur illud, et pa- » trocinetur in judicio, et in justitia jam nunc et in sæcu- » lum. Zelus Domini Sabaoth faciet hæc [1]. » Scriptura jam-jam ea, quæ ad Domini incarnationem spectant, annuntiatura, quasi quoddam spiritualis lætitiæ specimen præbens, eum, qui sit Evangelio imbuendus, alloquitur comiter hoc modo : « Hoc primum bibe. » Qui primum bibit, potum avide sumptum in seipso recipit. Tunc enim maxime effundere se solet ejus suavitas, cum nec nausea, nec vomitu

[1] Esaï. IX, 1-7.

laborans, imo levamen potus et solatium præ nimia siccitate appetens, hausti liquoris humore se perfundit. Ob id etiamnum qui tanquam populo sitienti gratiam expectatam annuntiat, ait : « Hoc primum bibe. » Excipe in animo lætitiam ; reconde in eo salutis dogma. Alio inferius ne putaveris, nec quidquam aliud eo præstantius esse existimes. Est ante omnia; nec quidquam abs te excogitari potest, quod sit Conditore tuo prius, aut quod natura sit primogenito omnis creaturæ excellentius [1]. « Primum bibe. » Disce in principio fuisse Verbum [2]. Ante principium, nihil. Nihil prius eo, qui erat in principio. Ne prius ævum bibas, non intervallum, non locum Filii substantia destitutum, non tempus, non temporis aliquod momentum, non quidquam futile et vanum, quod animus imaginari valeat : « Hoc primum bibe, cito fac. » Non ignave, non segniter, non negligenter, non languide opus aggredere, sed viriliter et studiose. Cujusmodi erat Paulus, qui simul ut bibit fidem, sine ulla temporis mora ad prædicationem accessit, quippe qui carni non acquiesceret, aut sanguini [3], sed tanquam cursor quidam, ubi primum audivit cursus signum, festinabat ad finem, juxta præfixum scopum ad præmium supernæ vocationis contendens [4].

II. « Regio Zabulon. » Ad hos ipsos Propheta confert sermonem, apud quos moratus est Dominus, qui prius in ignorantiæ tenebris ambulantes, exoriente lumine vero, « Quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [5], » viderunt lucem magnam. Nemo autem suspicetur Matthæi et Prophetæ verba esse inter se pugnantia, etsi ille quidem dixerit : « Populus qui sedebat in tenebris [6] ; » Esaïam vero constet dixisse : « Qui ambulabat in tenebris. » Nam in tenebris ambulare idem valet atque in tenebris se-

[1] Col. I, 15. — [2] Joan. I, 1. — [3] Gal. I, 16. — [4] Phil. III, 14. — [5] Joan. I, 9. — [6] Matth. IV, 16.

dere, cum uterque a proposito fine similiter aberret, tum qui non movetur, tum qui temere obambulat errabundus. Qui enim sine scopo incedit, ad nullum certum locum vadit; qui vero in otio detinetur, nequaquam finem assequitur. Hic igitur populus, qui gentium ignorantia obcæcabatur, vidit lucem, non talem, qualis ab igne, aut a stellis, aut a luna, aut a sole, aut a fulgetris oriri solet, sed vidit lucem magnam, quæ intellectu sensuque præditis affulget, quæ et cum Patre est, et homines illustrat, et Angelos efficit splendidos, et sufficit omnibus, imo latius adhuc extendit suos fulgores. Sed in qua regione populus gentium habitabat? in regione tenebris mortis cooperta. Nam eis impendit veluti nubes densa per idololatriam, donec venit lumen, quod intercisa et excussa caligine, ipsis splendorem ostendit veritatis. Subinde ad ipsam Domini personam transit oratio. Quid enuntiat? «Plurima pars »populi, quam deduxisti in lætitia tua.» Non enim omnes exceperunt verbum, sed plurimi vocantem ad æternam lætitiam secuti sunt, qui et lætabuntur in conspectu Dei, «Sicut qui lætantur in messe.» Quod enim seminat unus»quisque, hoc et metet [1].» Itaque in die remunerationis, qui admiserint verbum, atque pro ratione eorum quæ prius in hac vita sibi fuerant concredita, fructus ediderint, a justo Judice mercedem meritis haud imparem consecuti, iidem lætabuntur, «Sicut qui lætantur in messe et sicut ii, qui »dividunt spolia.» Qui quidem oblectantur in messe, ex suis ipsorum laboribus gaudii initium capiunt; qui vero spoliis ditescunt, repentinam opum acquirendarum occasionem nanciscuntur. Quapropter bona utraque memoravit, tum quæ remunerationis nomine, tum quæ gratis a munificentissimo largitore danda erant. Ablatum est enim jugum gentibus impositum. Excussere grave jugum ejus,

[1] Gal. VI, 8.

qui ipsos subjecerat peccati servituti, eorumque collum virga incurvabat, ut apostolicam prædicationem in anima fundantes, se jam peccati servituti non submitterent.

III. « Virgam enim exactorum dissipavit sicut in die quæ » super Madian. » Imminet mortalium vitæ exactor gravis, feriens virga, exigens a nobis, ut suam ipsius voluntatem exequamur, communis ille inimicus noster. Vis nosse hujusce virgæ plagas? Audi eum, qui dicit: « Putruerunt et » corruptæ sunt cicatrices meæ [1]. » Mala illa virga graveolentes vibices ei, qui cæsus est, inurit. Finge tibi animo quempiam variis cupiditatibus obnoxium, ac fruendis voluptatibus valde deditum, quodam modo consimilis videbitur ei, qui percussus virga est, atque ad peccatum adductus. Non desinit libido stimulos admovere impudico, eumque dolore afficere, donec peccati vibicem, quæ per turpium recordationem tetrum ac fœdum odorem exhalat, animo impresserit. Dissipabit igitur hanc virgam, perinde ut principatum et imperium Madianitarum dissipavit, quorum, puto, historias meministis; sive eam, quæ in Numeris, sive eam, quæ in libro Judicum legitur. Ait quidem in Numeris: « Instructa acie pugnarunt adversus Madian, » sicut præcepit Dominus Mosi, et occiderunt omne mas- » culinum, et reges Madian interemerunt una cum vulne- » ratis eorum [2]. » In libro autem Judicum: « Gedeon rever- » sus est in castra Israël, et dixit: Surgite, quia tradidit » Dominus in manus nostras castra Madian [3]. » Quid autem est restituere « Omnem stolam collectam dolo, et vestimen- » tum cum commutatione? » Hoc dici arbitror, quod ii, qui grave peccati jugum imponentes, virgaque conterentes ad peccatum adigunt, stolam dolo collectam et vestimentum cum commutatione sint restituturi. Qui homines spoliarint, eosque dolose suis denudarint vestimentis, ea cum

[1] Psal. xxxvii, 6. — [2] Num. xxxi, 1, 7. — [3] Jud. vii, 15.

commutatione restituent. Cum enim communis ille inimicus nos in suam redegerit potestatem, vestimenta quamdam deformitati nostræ venustatem afferentia a nobis aufert. Christianorum autem indumentum, quod peccati nostri turpitudinem contegit, fides est Christi. « Quicum» que enim in Christo baptizati estis, Christum induistis [1]. » Ille enim inimicus noster ante fidem, quæ in Christum est, humanam denudabat turpitudinem, ut qui cogitationes nostras, quibus nostra vita ornabatur, auferret, atque nuditatem nostram proderet. Quoniam igitur dolose fraudulenterque expoliavit, idcirco « Omnem stolam collectam dolo, » et omne vestimentum cum commutatione restituet. » Non enim solum ea, quæ nobis fuere adempta, recipimus; sed etiam accedente Christi agnitione, evadimus meliores. « In» duit enim me, inquit, vestimento salutari, et tunica læ» titiæ [2]. » Omnem igitur stolam collectam dolo, hoc est, clanculum demptam, cum commutatione restituent. « Et » cupient, si fiant, esse igne combusti, quia PARVULUS NATUS » est nobis. » Malignæ potestates post Domini adventum clamabant: « Quid nobis et tibi, Fili Dei? Venisti huc ante » tempus torquere nos [3]. » Tunc mallent igne fuisse combusti, quam condemnari Christi in carne præsentia.

IV. « Quia PARVULUS NATUS est nobis, filius et datus est » nobis, cujus principatus factus est super humerum ejus. » Et vocatur nomen ejus magni consilii Angelus. » Quot jam didicimus Domini nomina superius audivimus. « Ecce » Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt » nomen ejus Emmanuël [4]. » Hic vocatur nomen ejus, « Magni consilii Angelus. » Hic ipse est, qui magnum consilium a sæculis absconditum, generationibus aliis haud declaratum patefecit [5]. Hic annuntiavit et detexit in genti-

[1] Gal. III, 27. — [2] Esaï. LXI, 10. — [3] Matth. VIII, 29. — [4] Esaï. VII, 14. — [5] Col. I, 26.

bus suas ipsius impervestigabiles divitias, « Ut fierent gentes » cohæredes et concorporales [1], » videlicet hujus ipsius, cujus imperium est super humerum ejus ; hoc est, regnum et potestas in cruce. In crucem enim exaltatus, omnes ad se ipsum traxit [2]. « Adducam enim pacem super principes, pa» cem et sanitatem ipsi. Magnus principatus ejus, et pacis » illius non est finis. » Hinc palam est hæc in Patris persona fuisse dicta. « Quoniam pacificavit ipse per sanguinem cru» cis suæ, sive quæ in terra, sive quæ in cœlis [3], » dictum est illud : « Adducam enim pacem super principes, et sanitatem » ipsi. » Arbitror resurrectionis mysterium his verbis ostendi. « Nam quia crucifixus est ex infirmitate, vivit vero ex vir» tute Dei [4], » idcirco ei adduci dicitur sanitas ad curandam infirmitatem carnis, quam pro nobis assumpsit. « Et pacis » ejus non est finis. Pacem, inquit, do vobis, non quomodo » mundus dat, ego do vobis [5]. » Ideo pax illius non accipit finem, quoniam donum quoddam est mundo sublimius. Etenim si esset ex mundo, non magis quam mundus ipse duraret. Attamen qui nunc excepit illius pacem et servavit, is in sempiternum tempus vitam suam in bonis pacis traducet. Salomonis pax certis ac statutis annis circumscribebatur [6]; quæ autem pax datur a Domino, ad omne tempus se extendit, cum nec finem, nec terminum admittat. Omnia enim ei subjicientur, agnoscentque ejus imperium omnia ; et ubi fuerit Deus omnia in omnibus [7], iis, qui per suam defectionem tumultus excitabant indicto silentio, Deum pacifico consensu laudabunt. « Super solium David, » et super regnum ejus, ut moderetur illud. » Quoniam dictum est : « Non deficiet princeps ex Juda, et dux de fe» moribus ejus, donec veniant, quæ reposita sunt ei [8], »

[1] Ephes. III, 6. — [2] Joan. XII, 32. — [3] Coloss. I, 20. — [4] 2 Cor. XIII, 5. — [5] Joan. XIV, 27. — [6] 3 Reg. IV, 24. — [7] 1 Cor. XV, 28. — [8] Gen. XLIX, 10.

omnes unanimi fere consensu enuntiant Dominum secundum carnem ex semine David oriri. Sedebit igitur « Super » thronum David, et regnum ejus, ut moderetur illud, et » patrocinetur ei in judicio et justitia. Judicia tua, inquit, » abyssus multa; » et « Justitia tua sicut montes Dei [1]. » Neque igitur judicia ejus comprehendi queunt, neque justitia pro dignitate suæ celsitudinis potest ulla contemplatione attingi. « Et hæc faciet zelus Domini Sabaoth. » Quoniam zelo studioque nos ignorantia pereuntes prosecutus est, assumet humanam dispensationem, ut nos regno suo asserat. Zelus igitur Domini Sabaoth, Dei exercituum, cui virtus omnis subjecta est, hæc faciet.

V. « Verbum misit Dominus in Jacob, et venit in Israël, » et cognoscet omnis populus Ephraïm, et qui sedent in » Samaria, in contumelia, et elato corde dicentes : Lateres » ceciderunt, sed venite, poliamus lapides, et excidamus » sycaminos, et cedros, et ædificemus nobis turrim [2]. » Scriptura, nomine Jacob et Israël, nobis duarum rerum intelligentiam suggerere videtur, primam imperfectorum institutionem, extremam absolutamque virtutis perfectionem. Modus enim, quo nomen Patriarchæ mutatum est, hunc nobis subjicit sensum. Vocatus namque est Jacob in suo ortu, quod fratris calcaneum apprehenderit [3] : post luctam vero, præmii loco nomen aliud ei tanquam victori imponitur. « Non enim vocabitur ultra nomen tuum Jacob, » sed Israël erit nomen tuum [4]. » Missum est igitur Verbum ad Jacob, et venit in Israël. Enimvero Verbum se primum ad infirmiores præ misericordia demittit, perspicaciores vero utilitatem ejus agnoscentes, veluti ipsum rapiunt; ac eorum, ad quos missum erat, socordiam antevertunt. Verbum igitur misit Dominus ad Jacob. Nosti « Verbum, quod

[1] Psal. xxxv, 7. — [2] Esaï. ix, 8-10. — [3] Gen. xxv, 25. — [4] Id. xxxii, 28.

» erat in principio, quod erat apud Deum [1]? » Hoc misit Pater ad Jacob. Agnovit autem ipsum verus Israël, nimirum animæ perspicaciore intelligentia præditæ. « Et cognovit » omnis populus Ephraïm, qui prius sedebant in Samaria, » in contumelia et elato corde. » Hic est Ephraïm, a quo prodiit defector Jeroboam [2], qui resectis abductisque secum decem tribubus, et aureis juvencis effictis, auctor fuit populo, ut a Dei cultu secederet, idolaque coleret Ægyptiorum [3]. « Qui igitur sedebant in Samaria, in contumelia et elato » corde, » hi, veritate cognita, exceperunt verbum, quemadmodum et Acta narrant audivisse Apostolos quod Samaria verbum receperit Dei [4]. Subinde describit Propheta quanta eorum esset contumelia atque superbia. Nam Davidis partem aspernati, tanquam ejus regnum esset facile evertendum, irridentes dicebant : « Lateres ceciderunt, sed venite, » poliamus lapides. » Lateres quidem nominabant constructionem regni filiorum Jesse, suam vero potentiam suamque ad peragenda vitæ negotia concordiam, firmitatem lapidum inter se commissorum appellabant.

VI. « Et excidamus, inquit, sycaminos et cedros; et loco » templi, quod Judæ Salomon construxit [5], ædificemus nobis » turrim. » Similia moliebantur atque ii, qui, excelsa turri extructa, cœlum pervium et accessum sibi reddere conabantur. Dicebant illi : « Venite, faciamus nobis lateres, et » coquamus eos igni. » Et rursus : « Venite, ædificemus » nobismetipsis civitatem et turrim, cujus vertex erit usque » ad cœlum [6]. » Sycaminus autem arbor est fructuum feracissima, quibus nulla inest qualitas, nisi quis diligenti scarificatione succum quemdam, qui gustatui afferat suavitatem, ex eis eliciat. Unde arbitramur hanc arborem symbolum esse synagogæ gentilium, quæ crescit quidem, sed

[1] Joan. I, 1. — [2] 3 Reg. XI, 26. — [3] Id. XII, 20 et 28. — [4] Act. VII, 14. — [5] 3 Reg. VI, 1. — [6] Gen. XI, 3, 4.

quasi infatuatur ob studiorum gentilium assuetudinem, quam synagogam si quis verbo scarificare potuerit, tum ex hac mutatione dulcedinem nacta, bona evadit et utilis. Sed nonnunquam etiam cedri accipiuntur ad exprimendam imaginem animarum magnarum, atque elatione commendabili præditarum, utpote quæ sublimi animi sensu efferantur, ac in cœlis habeant conversationem, uti in Psalmis sumus edocti, Davide interdum ad Dei laudem cedros assumente, ac dicente: « Ligna fructifera et omnes cedri[1]. » Rursus vero, « Saturabuntur ligna campi, cedri Libani » quas plantavit[2]. » Quin et mores asperos et inflexibiles, qui se attollunt adversus Dei scientiam[3], cedros appellari novimus. Quamobrem conterit Dominus cedros Libani[4]. Item qui efferuntur ob falsam et adulterinam scientiam, sibique videntur quasi Dei altissimi mysteria comprehendisse, iidem vocantur cedri. « Vidi enim, impium super» exaltatum et elevatum sicut cedros Libani[5]. » Quorum celerrima est ruina: « Transivi enim, et ecce non erat[6]. » Has igitur cedros ad extruendam turrim adhibebant ii, qui ante Verbi adventum sedebant in Samaria, in contumelia, quique cultum Deo a Juda exhibitum illudentes, lateres collapsos appellabant innixa in illorum dogmatibus ædificia.

VII. « Et franget Deus eos, qui insurgunt adversus mon» tem Sion in ipsum. Et inimicos ejus dissipabit, Syriam » a solis ortu, et Græcos a solis occasu, devorantes Israë» lem toto ore[7]. » Pollicetur igitur eos omnes, qui adversus montem Sion insurgunt, fracturum esse se ac eversurum, atque impiam eorum in veritatem concordiam dissipaturum. Inimici autem, Syri sunt et Græci. Illi quidem ad ortum solis, hi vero ad solis occasum habitant. Ideo au-

[1] Psal. CXLVIII, 9. — [2] Id. CIII, 16. — [3] 2 Cor. X, 5. — [4] Psal. XXVIII, 5. — [5] Id. XXXVI, 35. — [6] Ibid. 36. — [7] Esaï. IX, 11, 12.

tem dissipabuntur, quod Israëlem toto ore devorarint. Os autem hoc loco vocat vim sermonis captiosam, qua ad insidias iis, qui in simplicitate Deo crediderant, instruendas, omnino abutebantur. « In omnibus his non est aversus » furor, sed adhuc manus excelsæ. Et populus non est » conversus donec percussus est, et Dominum exercituum » non quæsierunt [1]. » In his omnibus, quoniam Dei inimici licet castigati nondum compuncti sunt, nondum furor aversus est, sed adhuc manus, seu facultas vindex surrecta est adversus eos, quos malitiæ ac nequitiæ patratæ nequaquam pœnitet. Quia igitur populus iste non verbis, sed plagis sanatur, scriptum est : « Et omnis populus non est » conversus, donec percussus est. » Quamobrem plagæ sunt talibus necessariæ. Nemo igitur curiosius causas afflictionum inquirat et molestiarum, cur ariditas, cur imbrium copia, cur fulmina, cur grando contingat? Hæc eveniunt nostra causa quorum cor pœnitentia haud tangitur, et qui non convertimur nisi prius percutiamur. « Et auferet Do» minus ab Israël caput, et caudam, magnum et parvum » in una die [2]. » Postquam Verbum, quod missum est, ad eos pervenit, malum eorum ordinem omnem ait confundendum esse, et auferendos principes inferioresque, eos videlicet, qui in potestate constituti valde intumescunt, et eos, qui iisdem subjecti sunt. Seniorum, et eorum, qui personarum habita ratione judicant, jus ante alios sedendi dedecorabitur. Cæterum qui in populo nullum ordinem aut gradum obtinent, sed suis ipsorum suffragiis duntaxat electi, propheticum donum, quod a Spiritu sancto non accepere, sibi falso arrogant, ac docent iniqua, cujusmodi erat ætate Jeremiæ Ananias [3], quales etiam erant tempore Michææ pseudoprophetæ, in quibus fuit spiritus mendax, qui decepit Achaam, cum eum ad bellum Syris inferen-

[1] Esaï. IX, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Jer. XXVIII, 15.

dum impulit [1], ii quoque, tanquam caudam ducentes, auferentur.

VIII. «Sed et qui beatum dicunt populum hunc, et eum »inducunt in errorem, et per fraudem facultates exhau»riunt. Quapropter neque in adolescentulis, neque in his, »qui inter ipsos ætate vigent, lætabitur Dominus. Neque si »quis orphanus in tali populo, neque si qua fuerit vidua, »misericordiam consequetur [2]. » Quod enim infirmum est et auxilio destitutum, id commiseratione dignum est : quod vero potens est in malitia et iniquitate, id detestationem meretur et odium. Deinde hoc subjungit, quod nondum avertatur ejus furor, sed adhuc manus ejus excelsa impendeat propter eos, qui in populo seducunt, et propter seductos; apud quos iniqui sunt omnes et flagitiosi, atque iniqua loquuntur. Hæc autem comminatio nonnullam præfert beneficii speciem : quippe « Succendetur ini»quitas ignis [3]. » Etenim hominum gratia providit benignus Dominus, ut parata iniquitatis materia e medio penitus tolleretur. « Et sicut gramen aridum, inquit, devorabitur » ab igne, et accendetur in densitatibus saltus [4]. »Quandiu terrenis cupiditatibus quasi terra aggesta opprimitur animus , turbulenti ejus motus ex carnis petulantia emergentes, tanquam gramen serpunt, cum alii ab aliis habeant ortum, et alii ex aliis gignantur. Quemadmodum enim inter herbas gramen est fœcundissimum, nec usquam finem facit gignendi, sed finis ortus prioris semper initium fit posterioris : ejusmodi est etiam peccatorum natura, ipsa sibi succedit. Et quidem stuprum stupro gignitur, et mentiendi consuetudo mater efficitur mendacii, et quisquis sese exercuit ad furandum, facile id flagitii patrat. Nam quod præcedit peccatum, peccandi fit occasio. Itaque si peccatum detexerimus per confessionem, effecimus ipsum ceu gra-

[1] 3 Reg. xxii, 6. — [2] Esaï. ix, 16, 17 — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid.

men aridum, et dignum quod ab igne purgante devoretur. Iniquitas autem succenditur in densitatibus saltus. Observa quæ dicta sunt in primo Regnorum libro de saltu [1]. Populus bello vexatus ingressus est sylvam, nulloque pastus cibo defecit [2]. Sed et Absalon oppugnatus in saltum introïvit. Proinde nisi peccatum nostrum fiat sicut gramen aridum, non devorabitur ab igne, neque succendetur. Saltus autem densitates vocat eos, quibus subdolus animus est et tectus, qui in arcano cordis sui recessu mala plurima detinent.

IX. Postea subjungit: « Propter furorem iræ Domini » combusta est tota terra [3]. » Declarat vice beneficii in animam conferendi, terrena igni vindici tradi, quemadmodum et Dominus indicat, dicens: « Ignem veni mittere in » terram [4]: » et volui videre si jam accensus est. « Et erit » populus sicut homo ab igne exustus [5]. » Non exitium comminatur, sed innuit expurgationem juxta Apostoli dictum: « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem » salvus erit, sic tamen quasi per ignem [6]. » Tum demum populi malitiam, ejusque seditionem depingit, quæ nullum jam finem habet, eoque provecta est, ut nullum omnino remedium admittat. « Homo enim, inquit, fratris sui non » miserebitur unusquisque [7]: » sed eum qui, ad subsidium aliquod obtinendum accedit, declinabit ad dexteram, hoc est, fit inurbanus: « Quia esuriet et comedet a sinistris » suis [8]. » Is enim cujus facta non sunt dextera, neque laude ac commendatione digna, rebus sinistris et vetitis exsatiabitur. Quid igitur sibi velit illud: « Comedet a sinistris » suis? » interpretatur Propheta: « Et non saturabitur, in- » quit, homo comedens carnes brachii sui [9]. » Ferinum quem-

[1] 1 Reg. XIV, 26. — [2] 2 Id. XVIII, 6. — [3] Esaï. IX, 19. — [4] Luc. XII, 49. — [5] Esaï. IX, 19. — [6] 1 Cor. III, 15. — [7] Esaï. IX, 19. — [8] Ibid. 20. — [9] Ibid.

dam animi statum ostendit, cum narrat fore ut fratres se mutuo vorent, atque in se invicem crudeliter invadant. « Comedet enim Manasses Ephraïm, et Ephraïm Manas» sem [1]. » Enimvero malitia eos immanes reddit et inhumanos, atque ipsos feris cruda carne vescentibus efficit assimiles, cum insaturabiliter carnes brachii alterius comedant: quorum finis, integra perditio est et absoluta, juxta Apostoli dictum : « Quod si invicem mordetis, et comeditis : » videte ne ab invicem consumamini [2]. » Eumdem ad modum isti erga se hostiliter alioquin affecti, tamen ad instruendas in proximum insidias inter se conspirabunt. Ait enim : « Simul obsidebunt Judam [3], » id est, confitentes Deo, et eos, qui in eo colendo perseverant. Judas enim, si interpreteris, sonat confessionem. Attamen vitium etiamsi secum haud consentiat, nihilominus in virtute oppugnanda consensum aliquem, aliquamque conspirationem ostendit. Exempli causa, audacia et timiditas sibi invicem adversantur, una quidem excedente, altera vero deficiente : sed tamen fortitudini in medio stanti æqualiter repugnant, quasi ipsam utrinque obsidentes. Quamobrem Ephraïm et Manasses alter alterius carnes comedere quidem dicuntur : sed obsidere Judam narrantur, posteaquam alter alteri se adjunxerit.

[1] Esaï. IX, 20. — [2] Gal. V, 15. — [3] Esaï. IX, 20.

CAPUT X.

I. «Væ scribentibus malitiam : nam scribentes, malitiam » scribunt : declinantes judicium pauperum, rapientes judi» cium inopum populi mei ; ita ut sit illis vidua in rapinam, » et orphanus in direptionem. Et quid facient in die visita» tionis ? nam tribulatio vestra e longinquo veniet. Et ad cu» jus præsidium confugietis ? Et ubi relinquetis gloriam ves» tram, ut non incidatis in abductionem ? Et sub interfectis » cadent : super omnibus his non aversa est ira ; sed adhuc » manus excelsa [1]. » Sunt nonnulli, qui cum patres suos et tradita ab eis dogmata sequi fastidiant, ipsi hæresum cupiunt auctores esse. Quare novitates quasdam comminiscuntur adversus rectum sermonem, malitiam impietatemque scriptis prodentes, ad quos pervenit « Væ, » ad patres videlidet falsæ et adulterinæ scientiæ, et ad dogmatum impiorum scriptores. Tales enim eos, qui fidei inopia laborant, diripiunt, atque in animas vero illo sponso Deo Verbo viduas tyrannidem exercent. Sed etsi quempiam Deo orbatum ob peccatum viderint, et hunc sibi quasi prædam vindicant : quippe eis promittunt securitatem omnem, et voluptariam vitam proponunt, si modo eos dogmatibus Divinitatem oppugnantibus intelligant assentiri. Qualis nunc pullulavit Anomœorum hæresis, qui scortatoribus, adulteris, masculorum concubitoribus, plagiariis, perjuris ac mendacibus veniam peccatorum pollicentur, si solum suæ adversus Unigenitum blasphemiæ socios illos habuerint. Quos alloquitur Scriptura : « Quid facient in die visitatio-

[1] Esaï. x, 1, 4.

»nis ? » Diem visitationis vocat adventum Domini nostri Jesu Christi e cœlis, qua die veniet in mundum, redditurus singulis secundum opera cujusque : quo in adventu, quod malitiam scribant, tribulationem ad se e longinquo venientem excipient. At vero « Ad cujus præsidium confu»gietis ? » Etenim adversus Deum scripsistis vivorum ac mortuorum judicem. Vestris ipsorum scriptis coarguemini.

II. Subinde ait : « Ubi relinquetis gloriam vestram [1] ? » Qui inani ostentatione ducimini, qui aucupamini humanos honores, qui, ad nomen assequendum, hæreseos cujuspiam auctores esse exoptastis, ob idque iniquitatem locuti estis in altitudinem, ubi tunc in hac judicii die relinquetis gloriam vestram ? Ait autem : «Tales sub interfectis cadent [2]. » Nunc eorum, qui decepti sunt, præfectus es, eisque es admirationi, magistri nomen et ducis circumferens, atque ab eisdem honoraris, prædicarisque beatus. Tunc autem iis ipsis, quos tu interfeceris, futurus es abjectior. Occiditur enim anima tum, cum falsa et ementita opinio in ea recipitur. Itaque sub iis cades, et pondus eorum, qui a te fuerint interempti, tibi incumbet. Sed quoniam unusquique nostrum per totam vitam quasi chirographa nostra scribimus, rerum gestarum consignatis imaginibus in nostra memoria, forte etiam tales Scriptura prædicat miseros, tanquam qui scribant malitiam. Cor quidem Justorum « Conscriptum est » non atramento, sed Spiritu Dei vivi [3] : » cor vero iniquorum non Spiritu Dei viventis, sed atramento tenebrarum affini, lucisque inimico. Unusquisque igitur aut dum bona agit, pro se conscribit : aut dum adversum se chirographa conficit, exarat mala. Est igitur adversum nos chirographum quoddam nostris manibus scriptum [4], cum ipsi quæ dete-

[1] Esaï. x, 4. — [2] Psal. LXXII, 8. — [3] 2 Cor. III, 5. — [4] Coloss. II, 14.

riora sunt, patraverimus : est et aliquod chirographum pro nobis scriptum, cum perfecerimus quæ sunt meliora. Jam vero sunt etiam nonnulli, qui in conventis litteras corrumpunt, quique in agris comparandis, in testamentis, in pignoribus et in variis contractibus scripturæ characteres adulterant, dum omnia quæcumque litterarum specimine firmantur ac constant, conscribunt, et hi scribunt malitiam: cum ad opprimendos pauperes pervertant justum judicium, ac facultates inopum populi diripiant, ita ut vidua sit illis in escam, et orphanus in quæstum. Quidpiam ejusmodi in bellorum rapinis contingit victoribus, quos commonefacit Scriptura : « Quid facient in die visitatio» nis? » Diem judicii et retributionis, quæ pro merito peccatorum ab unoquoque commissorum fiet, diem appellavit visitationis, quam istis comminatur hoc modo : « Tribulatio » vestra e longinquo veniet. » Inspiciamus autem cur vocem « E longinquo » sic usurpet. Salus nostra non longe, sed adest nobis prope. « Deus enim, inquit, appropinquans ego » sum[1]. » Et, « Appropinquabo illis magis quam tunica corporis ipsorum (1). » Et rursus : « Mandatum hoc, inquit, quod » mando tibi hodie, non est immensum, neque longe est » abs te. Non in cœlo sursum est, dicens : Quis ascendet in » cœlum, et accipiet illud nobis? Neque trans mare, dicens : » Quis transfretabit nobis trans mare, et excipiet illud » nobis, et audientes illud faciemus? Prope te est verbum » in ore tuo, et in corde tuo[2]. » Quin et Dominus noster ait : « Regnum Dei intra vos est[3]. » Quæ itaque bona sunt ac conciliant salutem, prope et intra nos sunt : quæ vero adversantur, procul a nobis veniunt, cum sint extra nos posita. Peccatum enim insitum non est nostræ naturæ, sed postea intervenit. Quam ob causam tribulationem etiam,

[1] Jer. XXIII, 23. — [2] Deut. XXX, 11-14. — [3] Luc. XVII, 21.

quæ ad delicta plectenda infertur, e longinquo venturam esse interminatur Propheta.

III. « Væ Assyriis, virga furoris mei, et ira est in mani»bus eorum. Iram meam in gentem iniquam mittam, et »populo meo præcipiam, ut faciat spolia et depopulatio»nem, et conculcet civitates, et ponat eas in pulverem. »Ipse autem non sic cogitavit, et animo non sic reputavit: »sed abscedet mens ejus etiam, ut disperdat gentes non »paucas. Et si dixerint ei: Tu solus es princeps, responde»bit: Non cepi regionem quæ est supra Babylonem, et »Chalanen, ubi turris ædificata est. Sed cepi Arabiam, et »Damascum, et Samariam. Sicut has cepi, sic omnes prin»cipatus capiam[1]. » Propter multitudinem iniquitatum populi, immittuntur in eos Assyrii[2], non ob suam ipsorum justitiam, sed ob nimiam populi iniquitatem. Attamen et hi, cum non intelligerent ascitos se esse adversus populum divinæ legis violatorem loco flagelli ad castigandum destinati, imo cum efferrent se, tanquam maximis pollerent viribus, ideo a Scriptura dicuntur miseri. « Væ vobis, Assyrii, qui virga estis furoris mei, qui estis instrumentum, quo pœnæ infliguntur; non agitis vestra virtute, sed vi et opera ejus, qui vos movet, inducimini adversum eos, qui digni sunt qui conterantur. « Et ira, inquit, est manibus »eorum.» Hoc loco castigationem perspicue nominat iram; quemadmodum ait et Psaltes: « Neque in ira tua corripias »me[3]. »Itaque Israëlis correctio stat in manibus Assyriorum[4]. « Iram meam in gentem iniquam mittam. » Animadvertam in populum, qui vitam ad legis sibi constitutæ normam instituere noluit. « Et populo meo præcipiam, ut fa»ciat spolia. » Clementissimus Deus præ sua benignitate populum licet inique agentem, adhuc suum appellat. Quod

[1] Esaï. x, 5-9. — [2] 4 Reg. xvii, 6. — [3] Psal. vi, 2. — [4] 4 Reg. xvii, 6.

enim inique egerit, immittit iram : sed quia ipsum semel elegit ob delectum progenitorum, hunc sibi peculiarem esse et proprium non negat. « Jubeo igitur, inquit, ut faciat spolia et depopulationem, et conculcet civitates, et redigat eas in pulverem : » ut sciamus quod calamitates omnes, quas perpetimur, ex divino præscripto perferamus. Non enim sinit nos malignis et ultricibus potestatibus mancipatos esse ac deditos ; sed ipse eorum, qui curandi sunt, consideratis viribus, modum pœnis et cruciatibus imponit. Quæcumque quidem cadaveribus in bello prostratis circumponuntur, spolia sunt, sive arma, sive vestis, sive alius quivis ornatus : præda vero spoliorum est distributio, pro cujusque victoris merito divisa. Jussi sunt itaque Assyrii spoliare Israëlem et deprædari, et civitates ejus proculcare, et eas in pulverem redigere.

IV. « Ipse autem non sic cogitavit, et animo non sic re»putavit[1] : » sed supra modum elatus mente est, quasi populus ei traditus non esset ob sua peccata : imo elatus animo, atque rationem veram a sua mente submovens, putat se non paucas gentes exterminare posse. Et quoniam subditi blandientes ei et adulantes dicunt[2] : « Tu solus es »princeps, » quasi ironice ipsis respondet : « Non cepi re»gionem quæ est supra Babylonem, nec Chalanen. » Nondum, inquit, obtinui omnium ditionem : declinat meum regnum ea regio, quæ est supra Babylonem, et Chalane, ubi ædificata est turris.» Sane antiquam illam turrim dicit, quam extruxerant in campo Sennaar, dicentes : « Venite, ædificemus nobismetipsis civitatem et turrim : » priusquam dividamur ab invicem, cujus vertex erit usque » ad cœlum[3]. » Nomen autem Chalanes non est usitatum et tritum in Scriptura. Eam tamen conjectamus sitam esse

[1] Esaï. x, 7. — [2] 4 Reg. xviii, 24. et xix, 10, 11. — [3] Gen. xi, 4.

in quopiam loco Babyloni finitimo, cum Babylon nomen suum trahat a linguarum confusione, quas confudit Dominus, conspirationem ad malum patrandum conflatam dissipaturus. Enimvero nomen hujus loci vocatum fuisse Confusionem, hebraïce vero, Babel, docet Scriptura [1]. « Sed » cepi, inquit, Arabiam, et Damascum et Samariam : si» cut has cepi, sic omnes principatus capiam. » Quoniam igitur sibi in mentem venit se in suam potestatem civitates omnes redigere posse, nec tamen intellexit se ab hominibus victoriam reportasse non suis ipsius viribus, sed Dei peccatores plectentis dispensatione, ob id illum exhibet propheticus sermo ceu fletu dignum.

V. « Ululate, sculptilia in Jerusalem, et in Samaria. Quem» admodum enim feci Samariæ, et manufactis ejus, sic » faciam Jerusalem, et idolis ejus [2]. » Quo pacto ululabunt sculptilia, ex ligno, lapide, aut alia quavis materia constantia? cum ab arte formam ac speciem recipiant hominum aut brutorum animalium, quadrupedum, aut volucrum, aut reptilium, cujusmodi erant statuæ et simulacra Ægyptiorum? Ululatus enim vox est lugubris, qui sono quodam haud articulate edito dolorem cordis indicat. Quomodo igitur ululabunt sculptilia? Quia lignis ab humanis manibus formam ac figuram habentibus, aut lapidibus, aut etiam auro et argento, aut ebori, aut reliquis idolis, quæcumque alia sunt ex pretiosa vel vili materia facta, et quæ a gentibus adorantur, latenter assident præsides quidam dæmones, ex impuris sacris voluptatem capientes. Quemadmodum enim in locis macellorum, ubi cruor et sanguis jam corruptus invenitur, canes cupediis dediti commorantur : ita et dæmones gulæ servientes, voluptatemque ex sanguine ac nidore sacrificiorum captantes, circa aras statuasque sibi consecratas volutantur. Forte

[1] Gen. XI, 9. — [2] Esaï. X, 11.

enim nutriuntur etiam eorum corpora, quæ aëria sunt aut ignita, aut ex utroque elemento composita. Quin et Regnorum historia potestatem dæmoniacam statuis sibi dedicatis assidere declarat. « Ceperunt enim, inquit, alienigenæ arcam Dei, et intulerunt eam juxta Dagon : et » surrexerunt mane Azotii postero die, et ecce Dagon in » faciem suam corruerat super terram[1]. » Simulacrum itaque quod conspiciebatur, erat Dagon : qui vero ceciderat in faciem suam, dæmon erat, a gloria areæ Dei circumfusa prostratus : qui ipse corruit quidem in faciem, secum vero rem manufactam dejecit ac evertit. Hinc qui vescuntur idolothytis, participes dicuntur mensæ dæmoniorum[2]. Cum enim victima offertur idolo, portio aliqua etiam assidenti dæmoni destinatur, cum dæmonium et ex sanguine, qui veluti in aërem versus est, et ex adipe suffumigante, et ex reliquis holocaustis partem quamdam sibi assumat. Qui autem ex calice libamini subserviente bibit, is calicem bibit dæmoniorum[3]. Quamobrem ululabunt sculptilia, hoc est, dæmonia quæ idem nomen atque sculptilia obtinent. Atque cum dicitur fore ut in Ægyptum Dominus veniat, Ægyptique commoveantur manufacta, et eorum cor deficiat[4], unum eumdemque sensum esse ducimus. Dæmonia enim, quæ in loco terræ finitimo diversantur, fugata concutientur; atque Domino adveniente, in abyssi locum sibi proprium ablegabuntur. Quare « Maledictus quisquis faciet » sculptile, et fusile, opus manuum artificis, et ponet illud » in abscondito[5]; » quia per sculptile comparavit sibi malum thesaurum, dæmonem scilicet huic assidentem, et per dæmonem maledictionem domesticam atque contubernalem accersivit.

VI. « Et erit : Cum consummaverit Dominus omnia fa-

[1] 1 Reg. v, 2. — [2] 1 Cor. x, 21. — [3] Ibid. 20. — [4] Esaï. xix, 1. — [5] Deut. xxvii, 5.

» ciens in monte Sion, et in Jerusalem; inducet super » mentem magnam principem Assyriorum, et super altitu- » dinem gloriæ oculorum ejus [1]. » Postquam sculptilia, quæ erant in Jerusalem et in Samaria, ululare jussa sunt, eisque intentatæ sunt minæ, quasi jam esset expurgata Jerusalem, idolorumque spurcitiis liberata, et erudita ac castigata per ultrices plagas, quas utpote Assyriis tradita pertulit, tum demum comminatur Scriptura plagam translatum iri in Assyriorum principem. Quoniam enim supra modum elatus animo est, nec animadvertit peccatum illorum causam fuisse et originem tot et tantorum malorum: imo quia suapte solertia ac virtute Jerosolymam subegisse arbitratus est, ob hanc arrogantiam, stolidamque celsitudinem elatione animi innixam: « Inducet, inquit, super » mentem magnam, super principem Assyriorum, et super » altitudinem gloriæ oculorum ejus. » Alius quidem magnus est suapte natura, alter vero existimatione quadam, et præstantia ac magnitudine rerum ad se nihil attinentium. Mens autem vere magna ea est, quæ magna contemplatur, quæ ad causas rerum conditarum aciem intendere potest, ex eisque pulchritudinem Opificis universorum intelligere. Magnus est, qui rerum a Deo factarum administrationem, ejusque providentiam ad minima usque pertingentem mente assequi potest, et inde justa ipsius judicia considerare. Mens magna ea est, quæ per Angelos Potestatesque et cunctam cœlestium gloriam, gloriæ regem et virtutum dominum percipit. Vice versa, qui se ipsum jactat beatum, et inflatur, is juxta stultam sui ipsius existimationem sapiens esse ac inanium excogitator justius dicatur, quam magna mente præditus. Attamen cum mos sit Scripturæ, ut vulgi æstimationem in rerum nominibus sequatur, magnam appellavit mentem, non quod quidquam quod natura

[1] Esaï. x, 12. — [2] 4 Reg. xviii, 19 et seq.

magnum sit, declaret, sed quod rem opinione quadam ac fama ei tributam indicet. Eam ob causam superbiam castigans Dominus, et elationem animi ejus deprimens, vindictam inducturus dicitur super magnam Assyriorum mentem. Sed quoniam opinionem infirmam coarguit, ait se super altitudinem gloriæ oculorum ejus illaturum supplicium. Etenim gloriam, cum vox sit variæ significationis, juxta unam notionem definierunt nonnulli existimationem debilem esse.

VII. Potest autem accipi mens magna et prudens pro versuto et versipelli ingenio. Hunc ad modum serpens bestiis, quæ super terram gradiuntur, legitur prudentior[1], atque iniquitatis dispensator prudenter egit. Quinetiam « Filii » hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua » sunt[2]. » Quid autem vox « Prudens » significet, Paulus nobis in sua ad Corinthios Epistola exposuit, dum ait : « Timeo autem ne, sicut serpens seduxit Evam astutia » sua[3]. » Docuit enim vituperabilem prudentiam historiæ testimonio serpenti tributam fuisse, cum ipse vocem « Pru» dentiam » in astutiam transmutet. Sic igitur et mens magna vocatur, non ob quidquam laudabile (quemadmodum statuere qui apud Græcos diligenter vim verborum atque significationem perquirunt, adeo ut dicant mentem esse prudentiam contortam,) sed falso et simulate. Aut ita nunc appellata est a Scriptura, quod ipsa sibi esset admirationi, aut quod hoc modo ab assentatoribus vocaretur. Hæc autem mens magna, cum semel novit sapientis, ejus scilicet qui vere sapiens est, oculos esse in capite ejus, suos laudat oculos, quippe quæ ea, quæ humi sunt et terrena, non respiciat, sed scrutetur diligentius sublimia, atque in cœlestibus immoretur. Ejusmodi sunt qui apud Græcos habentur sapientes, quorum quidem vita in tur-

[1] Gen. III, 1. — [2] Luc. XVI, 8. — [3] 2 Cor. XI, 3.

pissimis carnis vitiis ac cupiditatibus volutatur, sed tamen cum de natura cœli, stellarum, rerum ætherearum atque affectionum in aëre contingentium disputant, oculos suos quadam gloria circumvestiunt.

VIII. « Dixit enim : In fortitudine faciam, et sapientia » prudentiæ auferam terminos gentium, et fortitudinem » earum deprædabor. Et concutiam civitates habitatas, et » universum orbem comprehendam manu, quasi nidum, » vel quasi ova derelicta tollam. Et non est qui effugiat me, » aut contradicat mihi [1]. » Nunc plane et luculenter exponit cur principem vocaverit mentem magnam, et cur interminetur se altitudini gloriæ oculorum ejus pœnas atque supplicia irrogaturum, nimirum ob verborum jactantiam, quibus usus est adversum debiles et infirmos : siquidem cum omni amaritudine eis interminabatur omne excidii genus, viresque suas affirmabat invictas esse et inexpugnabiles. Etenim ita gloriabatur, quasi ea quæ vellet, in sua essent potestate, et quasi quæ animo destinarat, esset omnino perfecturus. Quoniam mihi multum inest equitatus ac peditatus, nec quisquam reperitur qui resistat, cumque inaccessa in rebus militaribus sapientia, atque incomprehensibile consilium mihi suppetat, « Ideo, inquit, auferam » terminos gentium, et fortitudinem earum deprædabor. » Nam ubi gentes omnes coëgero imperio meo se subjicere, unum omnium terminum efficiam, ditionem ac principatum meum. Nunc enim unaquæque gens propriis limitibus divisa est et distincta ab altera. Sublatis igitur gentium terminis, eas omnes vi adigam, ut sub unum regni mei sceptrum redigantur. « Et fortitudinem earum deprædabor. » Ea spoliorum hostibus ademptorum divisio, quæ a victoribus fit, præda dicitur, cum ipsa victores inter se partiuntur, sive fuerint corpora captiva, sive pecora aliqua, sive

[1] Esaï. x, 13, 14.

quæpiam alia ad vitam necessaria. Atque unusquisque pro sua dignitate, atque præstantia, partitionem spoliorum consecutus, hoc pacto rerum in bello captarum particeps fit. « Et nunc, inquit, urbes firmiter stabilitas concutiam, meaque unius virtute exturbabo, ac orbem universum quasi nidum manu comprehendam. » Etenim ecquis labor fuerit pullos involucres ac implumes, in nidis ab avibus, quæ eos enutriunt, calefactos, manu apprehendere, cum neque pennis, neque pedibus uti ad fugam possint? Deinde contemptum etiam, quo homines prosequitur, magis exaggerans, suamque potentiam ultra modum extollens, « Universum orbem, inquit, ne ut nidum quidem, sed, inquit, quasi ova derelicta sic capiam, nec est qui effugiat me, aut contradicat mihi. »

IX. Sane quod ad nativum et proprium verborum sensum attinet, Assyriorum princeps ideo hæc erat dicturus, quod maxime ob res contra Judæam et Samariam feliciter gestas efferendus animo esset [1], putaretque eversurum se primo impetu gentes omnes, et futurum esse neminem, qui adversum se attolleret manus, sed omnes gentium terminos sua virtute confusum iri, commovendum itidem esse totum terrarum orbem metu adventus ipsius, et eum, qui in manus ejus venturus esset, facilius quam gallinæ pullos a se esse apprehendendum, atque totum, qui sub sole est, orbem a suo exercitu impetum faciente negotio minori subactum iri, quam si quis ova, quæ avi eadem fovente ac fœcundante destituerentur, caperet. Sed quia ejusmodi superbia major est quam ferat humana conditio, putant nonnulli verba hæc ei, qui vere superbus est, convenire, qui cervicem adversus Omnipotentem erexit, detrectatoque imperio defecit, et malignos spiritus, qui se secuti fuerant, in suam nequitiam atque defectionem im-

[1] 4 Reg. XVIII, 9 et 13.

pulit. Existimat enim ille se et mentem magnam esse, censetque speculari se magna, et se universum orbem sub suam ditionem subjecturum comminatur. Qui utique ne Domino quidem interroganti unde adveniret, reformidavit dicere : « Postquam circuivi eam, quæ sub sole est, et ob- » ambulavi universam, quæ sub cœlo extat, adsum [1]. » Hic et Domino totius creaturæ ausus est terræ regna ostendere, ac dicere : « Hæc omnia mea sunt : nunc igitur si proci- » dens adoraveris me, hæc tibi dabo [2]. » Forte igitur per Assyriorum regem indicat Scriptura sæculi hujus principem. Dominus namque principem sæculi nominat, dicens: « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras [3]. » Et paulo post : « Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim prin- » ceps mundi hujus, et in me non habet quidquam [4]. » Præterea principes non pauci, et nonnulli gentium præfecti constituti sunt, ut singulas gentes sibi subjectas custodiant ac tueantur, quemadmodum ait Moyses in Cantico : « Quando dividebat Altissimus gentes, quando » disseminavit filios Adam, constituit terminos gentium » secundum numerum Angelorum Dei [5]. » Et rursus Apostolus ait : « Sapientiam autem loquimur non sæculi hujus, » neque principum sæculi hujus : sed loquimur Dei sapien- » tiam, quam nemo principum hujus sæculi cognovit [6]. » Et iterum apud Danielem de principe quodam Persarum, et de Græcorum principe fit mentio. Nam ita Danielem alloquitur Angelus : « Et ego veni in verbis tuis. Et prin- » ceps regni Persarum stetit contra me. Et ecce Michaël » unus de principibus primis venit ad auxiliandum mihi : » et ipsum reliqui ibi cum principe regni Persarum [7]. » Et aliquanto post ait : « Et ego egrediebar, et princeps Græ- » corum veniebat [8]. » Fortasse igitur si hæc dicta sint ex

[1] Job. II, 2.— [2] Matth. IV, 8.— [3] Joan. XII, 31.— [4] Id. XIV, 30.— [5] Deut. XXXII, 8.— [6] I Cor. II. 6-8.— [7] Dan. X, 12, 13. — [8] Ibid. 20.

diaboli persona, superbia illius non in homines, sed in spiritales aut eximias virtutes invehitur.

X. « Numquid gloriabitur securis sine cædente in ipsa? » aut exaltabitur serra sine trahente illam, ut si quis tollat » virgam, aut lignum[1]? » Hæc verba objurgant et coarguunt arrogantiam principis Assyriorum. « Cur magnifice de te sentis, quasi tu sis qui cædas gentes, et urbium potentatus demoliaris? » Nam alioqui securis etiam ratione pari possit gloriari, tanquam si ingentes et excelsas arbores in terram dejiceret, serra itidem, quasi compacta et continua ligna diffinderet. Attamen securis nequaquam cædit sine manibus : neque secare serra potest, nisi quis trahat ipsam, et ligna ad aliquem usum solerter conscindat. Cæterum laude utique dignus est et commendatione, tum qui securi utitur, tum qui serram industrie trahit. Sic lignum quod sceptri formam accepit, potestatis atque dominii dignitate nequaquam debet frui, sed is qui in manu sceptra sumit, in signum ejus quem habet principatus. Itaque et ego te similiter ad populum peccatorem plectendum adhibui, et instar securis ac serræ usus sum tua crudelitate, jure ac merito populum ad ipsius utilitatem puniturus. Quemadmodum igitur carnifices in foro ad pœnas exigendas instituti, non pro arbitrio pœnas irrogare possunt, nec quidquam agunt potestate sua aut auctoritate, sed ea, quæ sibi permittunt leges, exequuntur, ita et Assyrii non sunt gens fortis ac valida, quæ quidquam ex se ipsa perficere queat; sed quæ juxta modum sibi a peccatorum Medico præscriptum, ad pœnas infligendas operam suam contulit.

XI. « Et non sic, sed mittet Dominus Sabaoth in honorem tuum ignominiam, et in gloriam tuam ignis combu» rens accendetur. Et erit lumen Israël in ignem, et sancti

[1] Esaï. x, 15.

» ficabit illum in igne urente : et devorabit quasi fœnum » sylvam [1]. » Hæc est stultæ superbiæ merces. Quia te ipsum gloriabundus mentem magnam prædicabas, et efferebaris in altitudine gloriæ oculorum, mittet Dominus ignominiam in honorem tuum, ignem vero in gloriam tuam. Quoniam enim interminatus es ablaturum te esse fines gentium, habitatas civitates conquassaturum, totum terrarum orbem quasi nidum apprehensurum, et eum quasi ova derelicta sublaturum, nemine omnino effugiente aut contradicente, idcirco « Ignis comburens accendetur, et erit » lumen Israëlis in ignem. » Immutabitur, inquit, rerum status; et in splendore, inquit, erit Israël, qui nunc deprimitur, et qui tibi ob peccatum traditus est puniendus. Splendor itaque illius tibi in perniciem et exitium cedet. « Erit enim, inquit, lumen Israël in ignem. » Atque cum insint igni facultates duæ, una illustrandi, altera comburendi, suavitas quidem ignis atque jucunditas permanet apud Israëlem, unde illustratur et circumfulget : quod vero in eo acerbum est, et quod excruciat, id pars erit illius superbi, eum ut exurat, atque præ ardore afficiat dolore inconsolabili. « Et sanctificabit illum in igne urente, » et devorabit quasi fœnum sylvam. » Docet ignis naturam esse purgantem. « Sanctificabit enim illum quasi in igne » urente. » Quomodo autem ignis purificat? postquam comederit sylvam, tanquam fœnum. Itaque cum « Deus noster » ignis consumens sit [2], » procul dubio sylvam et ea, quæ a sylva oriuntur vitia consumet, anima non in spiritu, sed in carne immorante. Sciendum autem est gloriam a fama discerni ab iis, qui vocum significatum accurate diligenterque perquirunt. Et dicunt gloriam laudem esse, quæ a vulgo tribuitur : famam vero esse laudem, quæ a bonis impertitur. Eumdem ad modum dividunt et honorem.

[1] Esaï. x, 16, 17. — [2] Deut. iv, 24.

Alium quidem affirmant honestum esse, eumque in virum virtutis studiosum cadere, cum amplitudo sit remuneratio (remunerationem autem statuunt quoddam esse virtutis præmium) : alium vero esse, qui ob facta non omnino probata a plebe defertur.

XII. « Die illa extinguentur montes, et colles et nemora. » Et devorabit ab anima usque ad carnes[1]. » Postquam misit Dominus Sabaoth in honorem principis Assyriorum ignominiam, et in ejus gloriam ignem comburentem, luxque Israëlis versa est in ignem Assyrio, ut lucis splendore nequaquam sanctificatus, purgaretur ignis ustione, quæ efficeret purgationem, ac eam quæ aderit peccatorum materiam ac sylvam velut fœnum depasceret, tum demum materia illa et sylva, quæ flammam ultricem accenderat, consumpta et exhausta, ait futurum esse, ut montes, collesque et nemora desinant comburi, et ille incendii ignis quis exedebat et depascebatur omnia, finem accipiat : ubi exordio ab anima ducto, ad carnes usque pertigerit. Neminem autem latet eum esse Scripturæ morem, ut montium nomen et collium iis tribuat, qui quadam gaudent prærogativa ac dignitate; quique, quod ad supellectilem et facultates attinet, plebi præstant. At vero nemora appellat eos, qui nullos fructus edentes, et fortuito inter se permixti, veluti temerariam quamdam ac imperfectam vitam agunt, cum non sint a vero agricola plantati, nec consiti. Sed ignis pervadit omnia : siquidem incipit ab anima, et in carnes desinit. Enimvero peccata, quæ cogitatione tenus constitere, ut contingit cum quis mœchatur in corde suo, in anima sunt materia ignis depastione digna. Delicta vero, quæ ad opus usque perveniunt (quippe hæc delicta carne et actione admittuntur), peccata propria esse arbitror. Nam pravæ illæ cogitationes, quæ ab anima du-

[1] Esaï. x, 18.

cunt initium, et in ipso corde conquiescunt, ne in eo quidem continentur; sed egrediuntur, et veluti capite exerto aspiciunt, jamque carnem penetrantes, foras prodeunt. Si quis enim cædem patrare cogitaverit, nec tamen commiserit, cædes e corde neutiquam exiit. « Et qui aspexerit » mulierem ad concupiscendum eam [1], » nec tamen corruperit Dei templum, neque « fecerit membra Christi membra » meretricis [2], » is suum cor velut sui peccati limitem ac terminum effecit, sic ut cogitatio prava e corde non exilierit. Licet autem ita loqui de furto, de idololatria, de veneficio, deque aliis id genus quibusvis peccatis; quando a corpore non occultantur, sed tanquam e vasculo laxo et fungoso effluentia, foras prorumpunt.

XIII. « Et erit qui fugiet quasi fugiens a flamma urente. » Et qui relinquentur ex ipsis, erunt numerus, et puer scri- » bet eos [3]. » Post montes, collesque et saltus ab igne incensos, eos qui salvi et incolumes evaserint, facile esse numerandos dicit. Atque adeo, inquit, ad numerum qui facile assignari possit, redigetur eorum numerus : ita ut puerulus, qui prorsus nihil quidquam numerandi peritus sit, aut scribendi, eos enumerare possit. Fortem autem qui fugit ab incendio, vitam pravam evitat per pœnitentiam, suaque conversione carnem pœnas et cruciatus sibi asciscentem refugit. Quisquis enim, posteaquam deprehensus est in peccatis, conscius est dignum se esse qui per virgam et verbera convertatur, jam peccatum tanquam supplicii materiam declinans, fugit quasi a flamma urente. Et tunc qui fuerint derelicti, erunt numerus, non solum quod, uti exposuimus, facile queant numerari, sed etiam quod de cætero sint digni qui in numerum referantur. Sic in Numerorum libro pueros, mulieres, senes, quotquot per ætatem ad bella obeunda erant inutiles, et pro-

[1] Matth. v, 28. — [2] 1 Cor. vi, 15. — [3] Esai. x, 19.

miscuum vulgus tanquam a populo israëlitico alienum invenimus nequaquam in numerum poni[1]: sed numerari eos, qui in bello fortes erant et strenui, a vigesimo anno et supra[2]. Insuper omnes Israëlis primogeniti a mense et supra annumerantur[3]. Pariter etiam Levitæ a mense et supra[4], et qui ministrabant sacerdotes usque ad quinquaginta annos recensentur[5]. Cæterum quis puer, non vir, neque senex, eos, qui sunt ejusmodi, inscribet? Indicari eos, qui Ecclesiæ præficiuntur, negaverit nemo, eo quod vitam degant in innocentia et integritate, et quod peccata occulta quorum nullus est testis nisi is, qui abditos cujusque recessus scrutatur, sibi a peccatoribus concredantur. Hic tales est inscripturus, qui fuerint veluti per peccatum oblitterati ac deleti, eos iterum scribet. Qui fugerint incendium, receperintque expurgationem pœnitentia partam quasi ignem, tales is, qui inhærentem malorum materiam absumit, conscribit. Aut fortasse quia scribuntur in libro vitæ, et una cum Justis inscribuntur ii, qui digni sunt, qui Altissimi dextera numerentur; operæ-pretium fuerit nosse hunc salvandorum Scribam, qui Justis fert opem, ac nomina eorum, qui a pravis operibus resipiscunt, in cœlorum libro inserit. « Gaudete enim, inquit, quod nomina » vestra scripta sunt in cœlis[6]. » Quisnam igitur puer proborum nomina in cœlis scribere potest? Nonne ille, de quo dictum est: « Parvulus natus est nobis, Filius et datus » est nobis[7]? » Puer ille est, quem adoravere magi. Ille, qui descendit in Ægyptum, et rediit iterum in terram Israël[8]. Itaque notiones de Domino nostro et Servatore Jesu Christo multæ cum sint, una earum et illa est: « Puer est, qui inscribit eos, qui per pœnitentiam ad Dei cognitionem accedunt. »

[1] Num. I, 2, 3. — [2] Id. XXVI, 2. — [3] Id. III, 40. — [4] Ibid. 15. — [5] Id. IV, 3. — [6] Luc. X, 20. — [7] Esaï. IX, 6. — [8] Matth. II, 11 et seqq.

XIV. « Et erit in die illa : Non ultra adjicietur residuum » Israël, et qui salvi fuerint ex Jacob non ultra fiduciam » habebunt in illis, qui ipsos injuria affecerunt; sed fidu- » ciam habebunt in Deo sancto Israël in veritate. Et erit » residuum Jacob in Deum fortem[1]. » Hæc liquido referuntur ad eos, qui se ab opere pravo submovent et spem suam transferunt in Deum viventem. Enimvero cum peccamus, hostibus adjungimus nos ipsos, et in iis, qui nobis injuriam inferunt, fiduciam reponimus. Circuit improbus quidam dæmonum exercitus, qui voluptatis illecebris animas nostras evertat. His adjungimur, perinde ut pueri rudes ac imperiti adjungunt se plagiariis, qui crepundiis quibusdam ostensis plerumque pueros decepere, et procul a parentum oculis abductos, per brevem oblectationem in amaram pertraxere servitutem. Adjunguntur igitur et illi se injuria afficientibus; nos quoque ad voluptatis illicium mentem appellentes, nosmetispsos quam longissime subducimus a Deo, ac nos acerbæ inexorabilis dæmonis tyrannidi subjicimus : qui cum sit igni æterno addictus, plures supplicii sui socios habere conatur. Itaque de iis quos pœnitet male actorum, dicit, quod ii, qui relicti et salvi fuerint, non jam amplius adjungantur, nec in iis, qui in se injuriam jecerint, spem suam collocent, sed Deo sancto Israël in veritate confidant. Beatus ille est, qui omni spe rerum mundanarum a se submota, unicam spem suam in Deum confert. Quemadmodum enim « Maledictus » est homo, qui spem habet in homine[2] : » ita benedictus est, qui innititur Domino. Verum ne perfunctorie transilias quæ subjunguntur verba : « Fiduciam enim, inquit, » habebunt in Deo sancto Israël in veritate. » Spes enim in Deo posita alternas vices non admittit, nec Dominus sustinet integram suam opem ei ferre, qui modo quidem

[1] Esaï. x, 20, 21. — [2] Jer. xvii, 5.

in pecuniis, et in gloria humana atque in mundi potestate spem suam constituit, modo vero Deum tanquam spem sibi proponit, sed oportet ut vere in Dei auxilio conquiescat. « Et erit, inquit, residuum Jacob in Deum fortem. » Hæc perspicue ad eas reliquias quas Apostolus reliquias secundum electionem gratiæ vocat [1], referuntur, uti verba sequentia declarant.

XV. « Et si fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquiæ eorum salvabuntur. Verbum enim consummans, et abbrevians in justitia : quia verbum abbreviatum faciet Dominus in toto terrarum orbe [2]. » Paucis dictionibus immutatis, Apostolus in sua ad Romanos Epistola usus est hac sententia. Quod si quispiam causam quærat, cur alia quidem prætermiserit, alia vero immutarit Apostolus, illud noverit eum, cum Hebræus esset, se iis editionibus quibus nos utimur, serviliter non addixisse : sed cum sententiam aliquam interpretaretur, ut sibi venit in mentem, ita reddidisse. Et quidem videntur etiam alii potius astipulari apostolicæ interpretationi. Dicti autem hujus is sensus est. Dictum est supra futurum esse, ut puer eos inscribat, qui salvi et incolumes facti fuerint a peccato. Nemo, inquit hic miretur, si ad paucos redigatur tantus Israëlitici populi numerus. Multitudini ne attendas eorum, qui Dei cultores vocantur : quandoquidem Christi nomine insigniuntur multi, sed in paucis id cognominis constabilitur operum testimonio. « Si fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquiæ eorum salvabuntur. » Dictum quidem est de priore populo, quod sita non sit salus in multitudine, sed in reliquiis, quæ secundum electionem gratiæ salutem consequuntur. Ecquis autem est salutis obtinendæ modus ? « Si verbum, inquit, consummes et abbrevies in justitia. » Qui enim totam scripturam legalem ac Prophe-

[1] Rom. XI, 5. — [2] Esaï. X, 22, 23.

tarum sanctiones compendio Evangelii circumscribit, ac documenta perficit sibi a Domino tradita, hic salvus erit. «Diliges enim Dominum Deum tuum, et diliges proximum » tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa » lex pendet, et Prophetæ[1]. » Qui igitur perficit verbum, et ad actum redigit, idque breviat, ac ipsius latitudinem in paucis præceptis veluti in summa comprehendit, ille ipse est residuum servatum. « Omnia, inquit, quæcumque » vultis ut faciant vobis homines, juxta hæc et vos facite » illis. Hæc est enim lex et Prophetæ[2]. » Vides in hac naturali notione totum verbum consummatum et abbreviatum in justitia; « Quia verbum abbreviatum faciet Dominus in » toto terrarum orbe. » Dixit quidem Apostolus : « Faciet » Dominus super terram : » quocum consentiunt Symmachus et Theodotio : « In medio totius terræ. » Quidquid enim in lege est observatu difficile et arduum : « Ne teti- » geris, neque gustaveris, neque contrectaveris[3] : » quæ constituta sunt de festis, de diebus, de holocaustis, de purgatione ac propitiatione, omnia collecta sunt in unam summam brevem facilemque observatu, ut nulla iis, qui ex præscripto Evangelii non vivunt, excusatio supersit.

[1] Matth. 22, 37-40. — [2] Id. VII, 12. — [3] Coloss. II, 21.

CAPUT XI.

I. « Et erit in die illa radix Jesse, et qui exurgit, ut im» peret gentibus [1]. » Verba hæc nobis Christum annuntiant ex Davidis semine oriundum. Enimvero in die illa, hoc est, in tempore jam pridem præstituto ac præfinito erit radix Jesse. Alibi quidem dicit virgam ex radice esse orituram, et florem ex radice Jesse ascensurum, sic ut accipiat virgam pro imperio, et florem pro ipsius adventu perquam amabili et omnibus gratissimo; et quia prope diem erat collaturus incarnationis beneficium, exhibet adventum celerem, et quasi tantum non præsentem : hic vero ait futuram esse radicem Jesse. Attendas velim huic voci, « Erit. » Non ait : « Videbitur, neque videbitur esse, » sed vere « Erit. » Non enim secundum speciem aut existimationem, sed reipsa carnem assumpsit. « Erit igitur radix Jesse; » hoc est, conspersio carnis ex Jesse desumpta, erit vere, atque subsistet. Et qui exurgit, ipse et radix exurgens est. Est quidem radix Jesse, quippe quod ex regia successione caro deifera assumpta sit : exurgit vero ut imperet gentibus. Eam ob causam in ipso spem suam reposuere gentes, uti ex Christi Ecclesia inter gentes stabilita patet. Postquam enim a mortuis resurrexit, homicida populo derelicto, imperium obtinuit in gentes. Illis quidem reliquit mortem, gentibus vero largitus est resurrectionem : siquidem illi clamabant : « Crucifigatur : » item, « Sanguis ejus super » nos, et super filios nostros [2], » hi vero Crucifixum susce-

[1] Esaï. xi, 1. — [2] Matth. xxvii, 23 et 25.

pere, atque ipsius sanguine a peccato liberati sunt. « Et erit, » inquit, requies ejus honor [1]. » Hæc Christi requies honor est, ab iis delatus, qui ipsum honorant tanquam Dei Verbum, Deique sapientiam, et virtutem [2]. Qui refocillat Christum, eum esse Patri honore et majestate parem, dignitatemque utriusque communem esse, et naturam utriusque ab æterno subsistere confitetur. E diverso qui plus æquo solliciti, aliqua verba excogitarint ad ignominiam inurendam, iidem ea, quæ ad Christi requiem spectant, non loquuntur. Requies autem potest accipi non modo pro ea requie, qua ipse Dominus refovetur ab iis, qui ipsum gloria afficiunt, verum etiam pro ea, qua diligentes se est recreaturus, sicut scriptum est : « Quoniam ego diligentes me » glorifico [3]. » Requies siquidem, qua refovebit Dominus, honor est, qui juxta justum Dei judicium pro actorum merito impertietur. Alios enim majori honore dignabitur, alios vero minori : « Quippe stella a stella differt in gloria [4]. » Et quia « Multæ sunt apud Patrem mansiones [5] : » alios in statu præstantiore et altiore, alios in inferiore refocillabit. Sed fruentur omnes requie in honore.

II. « Et erit in die illa : Adjiciet Dominus ostendere ma» num suam [6]. » Manus Domini se singulis ætatibus diverse ostendit per eos, qui mirabilium efficiendorum vim et facultatem capere potuerunt. Primum quidem edidit prodigia in Ægypto, deinde in eremo, tum ætate Jesu filii Nave, denique tempore Judicum et Prophetarum, qui magnarum rerum ministri extiterunt. Nunc autem manus Domini ostendi dicitur in adventu nostri Servatoris, morbum omnem, omnemque populi languorem et infirmitatem curantis, ac ea quæ in Evangelio prædicata sunt, perficientis. Nam Dominus insuper hanc virtutem ostendit, quod signa priora

[1] Esaï. XI, 2. — [2] 1 Cor. I, 24. — [3] 1 Reg. II, 30. — [4] 1 Cor. XV, 41. — [5] Joan. XIV, 2. — [6] Esaï. XI, 11.

inobsequenti populo ad Dei cognitionem deducendo satis fuisse visa non sint. « Ut zelet relictum residuum populi.[1] » Eam ob rem adjiciet, ut manum ostendat, ut ad zelum perducat residuum populi : quas reliquias ait ab hostibus incolumes permansisse. Quin et multitudinem eorum, qui ipsis bellum intulere, recenset, Assyriam, Ægyptum, Babylonem, Æthiopas, Elamitas, populos solis orientis plagam incolentes, et Arabas. Historia autem his conferta est. Ait quidem de Æthiopibus : « Exivit Zaraï Æthiops in vir»tute, et in mille millibus, et curribus trecentis. Et egres»sus est Asa in occursum, et clamavit ad Dominum, et »dixit : Domine non est impossibile apud te salvare in »multis et in paucis. Corrobora nos, Domine Deus noster, »quoniam in te confidimus : et in nomine tuo venimus »adversus multitudinem plurimam hanc. Domine Deus »noster, non prævaleat adversum te homo [2]. » Assyrii vero eos abduxere in captivitatem [3]; ab initio in servitutem eos addixere Ægyptii [4], et Nabuchodonosor rex Babylonis captivos eos duxit [5]. Elamitæ autem sunt genus Parthicum, quod cum incolis Mesopotamiæ Syriæ in Israëlem non raro invasit. Arabes tandem gens bellica, nullo non tempore Israëlis hostes fuere. His igitur omnibus generoso semini bellum facientibus, alii vincuntur, vincunt alii. Et quia extitere victores, multisque laboribus exercitati fuere, velut cujusdam præmii loco id accipiunt additamenti, ut manum Dei conspicuam ac manifestam conspiciant. Quapropter etiam post res fortiter gestas et labores exantlatos invidia digni erunt atque æmulatione.

III. « Et levabit, inquit, signum in gentes, et congrega»bit perditos Israël, et dispersos Juda congregabit ex qua»tuor alis terræ [6]. » Itaque radix Jesse, seu qui exurgit ad

[1] Esaï. xi, 11. — [2] 2 Paral. xiv, 9-11. — [3] 4 Reg. xv, 29, et xvii, 6. — [4] Exod. i, 14. — [5] 4 Reg. xxiv, 14. — [6] Esaï. xi, 12.

imperandum gentibus, hic ille tollet signum inter gentes, ut ii, qui perierunt ex Israël, in unum aggregentur. « Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod » perierat [1]. » Signum autem, quod levavit in gentibus, hoc ipsum est, cujus fit mentio in Evangeliis : « Videbunt signum Filii hominis [2] : » quod dixeris esse crucem Domini nostri Jesu Christi, per quam sanctis crucifixus mundus est, et ipsi mundo [3] : quibus verbis enuntiat etiam vim signi atque virtutem. Quare per crucem œconomia incarnationis perfecta est et absoluta ? Ut qui erant salute donandi ii ex quatuor alis terræ colligerentur. Nam quadrifariam dividuntur crucis partes ; adeo ut unaquæque vergat in quatuor mundi partes. Sive igitur ut singulæ mundi partes ad salutem perducerentur per crucis partes, ob id mors crucis est honorata : sive quod ante ligneam illam crucem crucis cujusdam intelligibilis imago ac figura in toto mundo haberetur ; cum quatuor universi partes coïrent in medium, et virtus medii ad quatuor partes pertingeret. Itaque hoc signo surrecto, congregabuntur perditi Israël, et dispersi Juda e quatuor alis terræ colligentur. Erecto signo hoc, cui inest facultas destruendi principatus et potestates, de quibus triumphavit in ligno, spoliatis illis, ac vestimento, quod ipsi nobis texuerant, veluti dejecto ; « Exuit nimirum principatus et potestates, eosque » traduxit confidenter palam triumphans in ligno [4]. » Ob id Paulus, licet inter perditos Israël, et dispersos Juda numeraretur, simul atque intellexit signum in nationibus ab Jesu fuisse erectum, accurrit ad crucem, et dicebat : « Mihi » autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu » Christi [5]. » Jam vero ex eo quod ut perditi Israël, in quos imperium habuit Ephraïm, ita dispersi ex tribu Juda, quos

[1] Luc. XIX, 10. — [2] Matth. XXIV, 30. — [3] Gal. VI, 14. — [4] Col. II, 5. — [5] Gal. VI, 14.

reges ex semine David oriundi gubernavere, collecti sunt, sequitur non amplius futurum esse ullum zelum Ephraïm contra Juda, nec amplius eos, qui ex Juda sunt, hostes se præstituros. Postquam enim erectum fuerit signum, collectique fuerint perditi Israël, qui dicitur Ephraïm, congregati itidem fuerint dispersi Juda : « Auferetur zelus » Ephraïm, et inimici Juda peribunt [1]. »

IV. Noveris autem Israëlem dici perditum, Judam vero dispersum. Attamen perturbationes prius ob contentionem et seditionem in vita invalescentes, auferuntur per concordiam a Christo allatam : qui quæ in terra, et quæ in cœlo sunt, pacificat, atque in se ipso omnia reconciliat [2]. Ob hoc igitur « Ephraïm non æmulabitur Judam, et Judas » non amplius tribulabit Ephraïm [3] : » quoniam odium quo se invicem prosequebantur, disperibit. Zelus enim videtur maxime occasionem multis præbere inimicitias inter se gerendi. Nunc autem zelus non bonorum æmulatio, sed invidia quæ ob aliorum res secundas nata est, a Scriptura vocatur. Tunc igitur concordes facti, « Volabunt in na» vibus alienigenarum, mare simul prædabuntur [4]. » Pulchre nomine maris expressit eos, qui navigant celeriter, motu eorum cum ala collato ; cum scilicet velo pleno per mare advehuntur, vento congruenter ad puppim aspirante. Prædantur autem mare, draconis et aliorum ei subjectorum victores effecti, quos Christi Apostoli ad veritatis agnitionem translatos jure optimo deprædari ac diripere dicantur : quippe quia spolia prius possessa ab eo, qui hominem captivum abduxerat, veluti sua faciunt. Sed maris nomine par est intelligi locum afflictationis et miseriarum, quem alibi didicimus vocari etiam lacrymarum vallem [5]. Fortasse autem alienigenarum naves, corpora nostra dicuntur, quod cum

[1] Esaï. XI, 13. — [2] Col. I, 20. — [3] Esaï. XI, 13. — [4] Ibid. 14. — [5] Psal. LXXXIII, 7.

animæ constitutione nequaquam consentiant. « Caro enim » legi Dei non subjicitur [1], » sed « Concupiscit adversus spiri- » tum [2]. » Quinetiam hi dicuntur Idumæam prædaturi, hoc est, rerum terrenarum potituri, et in Moab manus injecturi. Moab, si interpreteris, sonat, « De patre. » Quare ad ipsos dixit Dominus : « Vos ex patre diabolo estis, et desi- » deria patris vestri vultis facere [3]. » Injiciunt in eos suas manus, ut bonis suis operibus ipsos sibi subjiciant. Deinde « Filii Ammon primi obedient [4]. » Ammon, quod ad nominis interpretationem attinet, idem valet ac « Populus no- » biscum. » Forte qui minori malitiæ sunt obnoxii præ iis qui nequitiæ majoris et latius effusæ rei sunt, parebunt verbo primi.

V. Postea subjungit : « Et desolabit Dominus mare » Ægypti [5]. » Quemadmodum Ezechiel ait esse Ægypti fluvios, quos confecisse se gloriatur Pharao [6] : ita Esaïas de mari Ægypti a bono Deo desolando nominatim mentionem facit. Vastitas enim, quæ post prava facinora tempore accepto inducitur, beneficii loco habenda est. Sicut autem desolabit Dominus mare Ægypti, invadetque in fluvium cum valido et vehementi spiritu : sic et percutiet septem Ægypti valles ; tuncque quivis, vel calceatus, transibit Ægypti fluvium. Significat parum aquæ in aqua fluviali relictum iri. Tanta enim erit aquæ penuria, aut etiam ita omnino exsiccabitur, ut nullus remansurus sit humor, qui quempiam cogat calceos ad fluvium trajiciendum detrahere. Aut fortasse etiam cum dictum sit Moysi et Jesu, ut pedis calceamentum solverent, quod terra, in qua stabant, sancta esset [7], contra cum non esset ejusmodi Ægyptus, sed profana, ideo jubentur calceati conculcare fluvium,

[1] Rom. VIII, 7. — [2] Gal. v, 17. — [3] Joan. VIII, 44. — [4] Esaï. XI, 14. — [5] Ibid. 15. — [6] Ezech. XXIX, 3. — [7] Exod. III, 3, et Jos. v, 16.

nec calceos deponere. Jam vero siccatur violento Dei spiritu retentus ac cohibitus. Quapropter solum Ægypti indignum est quod nuda excipiat sanctorum transeuntium vestigia. Quare etiam pascha esuri, jubebantur calceamenta habere in pedibus [1]. Ubi enim serpens mordax et scorpius, sint oportet in pedibus calceamenta, ut pedes, quibus circumposita sunt, tueantur ac communiant. Cum autem quispiam jam pervenerit ad locum sanctum, tunc calceos solvat, Christi Apostolos imitatus, quibus dictum est, ut ne calceamenta quidem gestarent [2]. « Et erit Israëli quasi dies, » quando exivit ex Ægypto [3]. » Tunc enim cum calceamentis transiit mare rubrum, cum illud increpavit qui potens est, et exaruit [4]. Jordanem insuper pedibus trajecere, vestigiis siccis remanentibus [5]; quippe quod humor omnis pedibus eorum sese subduxisset.

CAPUT XII.

I. « Tunc igitur dicet populus : Benedicam tibi, Domine, » quoniam iratus es mihi, et avertisti furorem tuum, et mi» sertus es mihi [6]. » Derelinquitur quis sæpenumero, et deseritur, quod semel ad ægyptiaca mala allectus sit, suaque per aliquod tempus fruitus sit stultitia; ut ea quæ male sevit, metat. Qui cum omnino derelictus non sit, imo beneficium aliquod acceperit, dicet : « Benedicam tibi Do» mine, quoniam iratus es mihi, et avertisti furorem tuum, » et misertus es mei. » Sententiæ huic hæc consimilis est : « Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei; ut ipse justifi-

[1] Exod. xii, 11. — [2] Luc. x; 4. — [3] Esaï. xi, 16. — [4] Exod. xiv, 21. — [5] Jos. iii, 17. — [6] Esaï. xii, 1.

» cet causam meam [1]. » Et post hoc educet in finem judicium. « Non enim in finem irascetur : neque in æternum » succensebit [2]. » Qui autem dicit : « Benedicm tibi, Do- » mine, quoniam iratus es mihi, et misertus es mei, » is beneficii a Deo accepti conscius, de eo gloriabitur, ac dicit : « Ecce Deus meus, Salvator meus, fiduciam habebo in » illo, et non timebo : quia gloria mea, et laus mea Do- » minus [3]. » Qui ob oculos hominum erogant eleemosynam, nequaquam dicent hæc, neque hi qui a se mutuo captant gloriam, nec gloriam, quæ a solo Deo est, requirunt [4], neque in universum ii, qui violant præceptum ejus, qui dicit : « Non efficiamur inanis gloriæ cupidi [5]. » Sed cum Dominus faciat id promissi : « Glorificantes me glorificabo [6] : » nimirum ei, qui Deum rite afficit gloria, gloriam quoque dat Deus. Sic et Moysis facies aspersa gloria est [7], quod recte dare Deo gloriam nosset. Est autem convenientia gloriam inter et laudem, adeo ut qui probe tribuit gloriam, is etiam recte laudem deferat. Et nemo eorum, qui falsas de Deo opiniones conceperunt, suas laudes in Psalmis canendis acceptas esse existimet. Verumenimvero ejusdem cordis est et gloria apposite afficere, et laudibus recte ornare. Quoniam igitur populus, qui in Ægypto fuerat derelictus, aiebat : « Benedicam tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, et avertisti furorem tuum, et misertus es mei ; » hi, trajecta Ægypto, sunt dicturi : « Non timebo, quoniam gloria mea, » et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem [8]. »

II. Memineris quoque ejus Cantici, quod cecinit populus Israël in exitu ab Ægypto, inchoante Maria, ac dicente : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est [9]. » Itaque veterem illam laudem nunc renovant, qui dicunt :

[1] Mich. VII, 9. — [2] Psal. CII, 9. — [3] Esaï. XII, 2. — [4] Joan. V, 44. — [5] Gal. V, 26. — [6] 1 Reg. II, 30. — [7] Exod. XXXIV, 29. — [8] Esaï. XII, 2. — [9] Exod. XV, 1.

« Gloria mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in » salutem [1]. » Cæterum apte ac convenienter post impertitam Domino laudem aquam cum gaudio e fontibus Salutaris haurit quisquis eum recte adorat. Quod si populus idololatriæ arguitur, his verbis : « Me dereliquerunt fontem » aquæ vivæ [2], » utique in Deum qui credit, et per eam quæ in ipsum est fidem animam potat dogmatibus salutaribus, is haurit aquam cum gaudio e fontibus Salutaris. Quanta autem lætitia fruantur quotquot digni habiti sunt qui inde hauriant, ex similitudine a Davide assumpta intelliges. Nimirum, « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum [3]. » Nam desiderium immodicum immensam quamdam lætitiam iis, qui res desideratissimas consequuntur, creat. Quinetiam is, qui meditatur legem Domini die ac nocte [4], de quo dictum est : « Os Justi meditabitur sapientiam [5], » scrutans Scripturas et recte quærendo Dominum reperiens, ob perceptam de invento lætitiam, spiritalem Scripturarum sensum intelligens, hauriet aquam cum gaudio. Cum igitur nos potu fontium e Salutari scaturientium fuerimus exsatiati, tum et alios nobis adjungemus, et exhortabimur, ipsis dicentes : « Hymnis celebrate Dominum, clamate no» men ejus [6]. » Est autem clamor, sonus cum contentione magna editus, qui etiam ad eos qui procul absunt, pertingere potest. « Clamate igitur, hoc est : Non humilia de Deo sentite : imo vero ingenti animo ea, quæ ad eum pertinent, cogitantes, sic de rebus divinis disserite, ut vel iis qui longe sunt a salute remoti, sermo vester audiri queat, ob doctrinæ perspicuitatem. » Cæterum quæ sequuntur, hunc exhibent sensum. « Annuntiate enim, inquit, in gentibus » gloriosa ejus. Dicite ipsius mira [7]. » Rudibus et intelligentia minime præditis ostendite apparatum mundi ac ordinem,

[1] Exod. xv, 2. — [2] Jer. ii, 13. — [3] Psal. xli, 3. — [4] Id. i, 2. — [5] Id. xxxvi, 30. — [6] Esaï. xii, 4. — [7] Ibid. 4.

ut amore Dei universorum conditoris pelliciantur. « Hym- » nis celebrate nomen ejus : quoniam excelsa fecit [1]. » Aut de mundi miraculis hoc narrate, quod excelsa sint et inaccessa : aut de cœlorum Virtutibus, quod Dominus illic excelsa egerit : aut de ejus in nos benignitate, quod humiles et contritos corde attollat. « Dominus enim exaltat Justos [2]. » Altum igitur effecit, atque eum, qui peccato humiliatus fuerat ac depressus, sua ipsius gloria valde sublimem reddidit.

CAPUT XIII.

I. « Visio contra Babylonem, quam vidit Esaïas filius » Amos [3]. » Visio hæc sub sensus non cecidit, neque fuit conspecta corporeis oculis, sed intellecta a mente, Deo eam illustrante, eique videndi vim ac facultatem tribuente. Ecqua est hæc Babylon, et quæ erant ei obventura? Palam est autem Prophetas non locutos fuisse tanquam a mente alienos. Nonnulli quidem spiritibus malignis correpti et afflati, de statu mentis dejecti, species sibi a dæmonibus objectas neutiquam vident, sed videre se falso arbitrantur. Quemadmodum qui corripiuntur dæmone, fluvios, montes et belluas licet absentes conspiciunt, existimantque colores quosdam sibi præsentes adesse, et hominum amicorum aut ignotorum species sibi exhiberi, quorum conspectus nihil est nisi error, et mentis perturbatæ ac vi et facultate sua destitutæ alienatio quædam. Sed non ita se res habet in Sanctis. Ait enim Deus ipse : « Ego visiones multiplicavi [4]. »

[1] Isaï. XII, 5. — [2] Psal. LXXIV, 11. — [3] Esaï. XIII, 1. — [4] Osee. XII, 10.

Cum autem Dominus largitur visionem, animum a se aptatum minime obcæcat, imo vero eum illustrat, ac Spiritus sancti adventu perspicaciorem efficit. Idcirco enim Prophetæ vocabantur « Videntes [1], » quod per spiritus se illustrantis præsentiam, obtuitus mentis in illis quasi augeretur. « Quis igitur fecit videntem et cæcum [2] ? » Videntem nimirum Prophetam, quod perspicaci mentis acie futura prospicere valeat; cæcum vero eum intelligit, qui sua ipsius nequitia cæcutit, ut ne profani oculi spectacula Beatorum intueantur. Quare et Dominus ait: « In judicium » ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, » et qui vident, cæci fiant [3]. »

II. Quæ demum ista Babylon, adversus quam visa est visio? Sane juxta historiam is locus Babylon vocatus fuisse videtur, in quo lingua confusa est eorum, qui dicebant: « Venite, ædificemus nobis ipsis civitatem et turrim, cujus » caput erit usque ad cœlum [4]. » Deus igitur illuc descendens, confudit linguas; quocirca illius nomen dictum est confusio [5]. » Itaque Babylonis locus regio est confusionis, non linguæ solum, sed dogmatum etiam et consiliorum et ejus mentis, quæ hæc videre sibi videtur. Hæc igitur visio adversus Babylonem, Israëli qui a Babyloniis divexabatur, veluti consolationem affert. Nam animo pusillo ne essent, et ne de providentia Dei tanquam quæ eos desereret, desperarent, Esaïas in antecessum in prophetia calamitates et molestias Babyloni eventuras narrat, ut ne præsentium tristitia absorberentur, sed futurorum expectatione fierent lætiores. Enimvero vindicta, quæ brevi expectatur, afflictis et oppressis non parum affert levamenti. Adjicitur autem patris nomen in hac prophetia, non ut hoc nomine cognosceremus patrem, qui in generatione hujus beati minister

[1] 1 Reg. IX, 19. — [2] Exod. IV, 11. — [3] Joan. IX, 39. — [4] Gen. XI, 4. — [5] Ibid. 9.

fuit, sed quia vaticinari ipsum docuit, cum eum sanctiore et puriore ac singulari præ cæteris disciplina instituendum erudiendumque curaverit. Ea de causa Amos quoque veluti prophetiæ socius describitur.

III. « Super montem campestrem levate signum, exaltate vocem vobis ipsis, consolamini manu, aperite principes. Ego ordino, et ego duco eos [1]. » Ostendit quomodo evertenda Babylon esset atque diruenda, et quomodo imperium eorum, qui confusionis fuerant auctores, esset in captivitatem redigendum, nempe ubi primum ascenderit quis in montem non præruptum, non prominentem, sed campestrem et planum, sic ut altitudinem quidem ex eo habeat, quod sursum attollatur, et a terra in aërem assurgat, sed iis tamen, qui in eo collocantur, securitatem præstet ob æquatam suam planitiem. Quod enim ex omni parte circumscissum est et præruptum, id statum eorum qui conscenderint, lubricum et instabilem reddit. Proinde ut excelsa de Deo cogitentur, et eadem tuto enarrentur, stet quis in monte firmus propter altitudinem, permaneatque immobilis propter securitatem. Cæterum « Super montem » campestrem levate signum, et exaltate vocem, consola» mini manu. » Qui magna vocis contentione prædicat crucem, ille est qui in monte campestri erigit signum. Qui sermonem ad passionem attinentem magnificare potest, hic adimplet propheticum præceptum, cum in speluncis et convallibus non commoretur, sed ad sermonis sublimitatem et ad ipsam sapientiam ascendat, siquidem cum æquabilitate atque perspicuitate res annuntiandas prædicat. Sed quia juxta alternam editionem legimus : « Super » montem nebulosum, » utique alia loquenti ratione indicat altitudinem. Nebulosum est enim quidquid habet verticem nubibus semper coopertum. Quod autem est ejus-

[1] Esaï. XIII, 2.

modi, est excelsum, et supereminet omnia. « Exaltate, » inquit, vocem vobis ipsis, » hoc est, assumite a vobismetipsis altam et contentam vocem. Quæ ex communibus notitiis insita vobis est Dei glorificandi facultas, hanc suscitate. Deorsum ne aspicite, neque terrena intueamini. Vox enim eorum, qui ex terra clamant, et vana loquuntur, hoc pacto humilis fit ac demissa. Qui ex tristitia animum demittente, et ex vetito timore loquitur, is suam vocem non exaltat. Item qui in annuntiando verbo a carnis cupiditatibus vincitur, habet humilem et submissam vocem, quæ ad superna penetrare non potest. Quomodo igitur attollitur vox? Si magno et generoso animo insurgas adversus turbulentas animi affectiones, nec ipso tentationum tempore succumbas tentationibus, imo si serves animi elationem et constantiam, tunc exaltabis vocem. Consolatur autem manu is, qui afflictis et oppressis per bona opera affert consolationem, et animo hilari stipem largitur. Si videris quempiam egestate laborantem, pauperem solare benefica et liberali manu. Enimvero apud animum pusillum et infirmum, erogatio, quæ reipsa fit, consolari potest magis quam si verbis ad paupertatem fortiter et generose perferendam adhorteris.

IV. « Et aperite, inquit, principes[1]. » Solatium manu exhibitum sequitur manus apertio, quam pro munifica et liberali actione usurpare solet Scriptura, ceu cum dicit: « Aperiente autem te manum tuam, omnia implebuntur » bonitate[2]. » Aperite igitur domos vestras, et divitiarum vestrarum thesauros aperite hospitibus et egenis. Ne retineatis quæ vobis suppetunt ad afflictorum levamen. Et hoc facite primum, principes, ut exemplo vestro populum etiam pelliciatis. Potest autem illud intelligi etiam de Scripturarum apertione, deque locorum quorumdam clausorum et

[1] Esaï. XIII, 2. — [2] Psal. CIII, 28.

obscuriorum explanatione; ut ne quis judicio adversus Pharisæos et Scribas prolato fiat obnoxius, qui cum claves regni habeant, neque ipsi ingrediuntur, et eos qui ingredi possunt, prohibent [1]. Itaque principes, quibus scientiæ claves concreditæ sunt, compellat. Paulus sententiæ huic obtemperans, aiebat: « Os nostrum patet ad vos, o Co» rinthii [2]. »

V. « Ego ordino, et ego duco eos [3]. » Agendum nobis est pro virili. Dominus autem est qui eos ducit, et qui unumquemque in Ecclesiæ corpore pro sua dignitate ordinat. « Gigantes veniunt ad implendum furorem meum, » gaudentes simul et contumeliis afficientes [4]. » Hæc sententia interminatur fore ut scelerati quidam et Dei hostes, qui ad peccatores ulciscendos missi sunt, adveniant. Ob hoc timentibus se providens, ducit eos in tutam montis altitudinem, atque eos æquata verticis planitie communit. Imo etiam eis signum quo custodiantur, tradit: quippe qui eos submoneat ut instruant se per bona opera, consolenturque manu afflictos, et os aperiant erudiendis discipulis, ut gigantum excursionem effugiant. Gigantes enim ut plurimum accipiuntur in malam partem [5]. » Fortasse autem qui hic gigantes appellantur, eos dilucidius vocat Psalmus angelos malos, dicens: « Misit in eos iram » indignationis suæ, indignationem, et iram et tribulatio» nem, immissionem per angelos malos [6]. » Ideo autem plectendis iis, quorum actiones pœnis dignæ sunt, ministri ejusmodi destinati fuere, quod cum eorum qui torquentur, nullo modo commiserescant, nec misericordiæ viscera induere queant, insultant hominibus qui puniuntur, eosque convitiis insectantur, et in eorum, qui plectuntur supplicio, dolore et molestia suam ipsorum voluptatem reponunt.

[1] Luc. XI, 52. — [2] 2 Cor. VI, 11. — [3] Esaï. XIII, 3. — [4] Ibid. — [5] Sap. XIV, 6. Gen. VI, 4. — [6] Psal. LXXVII, 49.

VI. « Vox gentium multarum in montibus, similis gen-
» tium multarum. Vox regum et gentium congregatarum [1]. » Forte hæc gentium multarum vox super montes effusa, vox est Ecclesiæ. Quapropter ipsa elacta est ceu mons campestris, ut ei ad colligendam multitudinem eorum, qui ad sublimitatem cognitionis Dei ascendunt, esset locus amplissimus. Itaque multitudinem magnam in monte campestri vidit, eorum videlicet, qui undique aggregantur, unamque fidei vocem emittunt. Atque dicit Spiritus sanctus per Prophetam : « Vox gentium multarum super montes, » super quos erectum est signum : « Similis gentium » multarum. » Et vox una est, et tamen similis est multis gentium vocibus. Una quidem per fidei consensionem, sed tamen vocibus multis consimilis est, quod cuilibet Apostolorum, qui Evangelium in gentes totius orbis dispersuri erant, a Spiritu sancto in igneis linguis distributa sit [2] : « Vox regum, inquit, et gentium congregatarum. » Forte per gentes quidem eos, qui undelibet ad vocationem concurrunt, a nobis oportet intelligi; per reges vero eos, qui sunt in Ecclesia electi, quos et regni filios nominavit Dominus [3]. Aut forte gigantum indicat multitudinem, quod vox sit multarum gentium, et vox regum. Nam quoniam gaudentes et convitiantes currunt ad implendum Domini furorem, utpote destinati ad ministerium, idcirco gentium plurimarum et regum quorumdam mente elatorum sonum imitantur, quanquam esse se supplicii ministros ac peccatorum tortores ignorent. Non enim isthæc merentibus irrogant sua ipsorum auctoritate, aut dignitate quapiam sibi suppetente.

VII. « Dominus Sabaoth præcepit genti bellicosæ, ut » veniret de terra longinqua, a summo fundamento cœli » Dominus et bellatores ejus ad perdendum totum orbem [4]. »

[1] Esaï. VIII, 4. — [2] Act. II, 3. — [3] Matth. XIII, 38. — [4] Esaï. XIII, 5.

« Dominus exercituum præcepit genti bellicosæ. » Percussorem ne timueris, sed obsecra præcipientem. Erudiantur idololatræ, qui affirmant offerre se dæmonibus malignis sacrificia, ut eorum mitigent ac demulceant malitiam. Dominus eis præcepit. Sive obsequiis tuis illos colas, sive non; quod jussum fuit, id dæmon exequetur; nequaquam fas illi est præscriptos sibi fines prætergredi. Neque remittit de amaritudine, neque a se ei quidquam addit, sed datam mensuram immisericorditer implet. « Dominus igitur » præcepit genti bellicosæ. » Arma habent dæmones pravi, apparatui armorum Justi adversantia. Etenim suppetit Justo fidei clypeus; at maligni illius clypeus, clypeus est incredulitatis. Illi inest rationis gladius; huic, dementiæ ac temeritatis gladius; ille munitur justitiæ lorica, hic injustitiæ lorica accingitur; illius caput astringit galea salutis, huic galea perditionis circumponitur; illius pedes prompti sunt et parati ad promulgandum pacis Evangelium, hujus pedes ad detegenda mala festinant [1]. Itaque bellicosæ genti hisce armis instructæ præcepit Dominus. Illi autem sunt a terra longinqua acciti, ut scias eos esse ab hac vita alienos. Hi quidem qui nos juvant in salute comparanda, contubernales sunt et vicini, atque e propinquo impendunt auxilium, Angeli videlicet pacis; illi vero ad pœnas infligendas assumpti, e longinquo accersuntur; quippe Deus benignus crudelitate eorum ad nostram medelam utitur eo modo, quo medicus sapiens venenum viperæ adhibet ad ægros sanandos. Traditur talibus non spiritus, sed caro in interitum, ut spiritus salvus fiat [2]. Quare et Phygellus et Hermogenes Satanæ a Paulo sunt traditi, non in perditionem, sed ut discerent non blasphemare [3]. Quomodo igitur a terra longinqua et a summo cœlo bellicosa ista gens advenit? A terra quidem, quod elegerit

[1] Ephes. VI, 13-17. — [2] 1 Cor. V, 5. — [3] 1 Tim. I, 20.

locum terræ circumjacentem, terrenisque affectibus commisceatur, a summo vero cœli, quod ipsa illinc initio exciderit [1].

VIII. « Ululate; prope enim dies Domini et contritio a » Domino veniet. Propter hoc omnis manus dissolvetur, et » omnis anima hominis formidabit [2]. » Quoniam interminatur futurum esse, ut Dominus ipsi cum bellatoribus suis veniat ad disperdendum universum orbem, ideo ululatus et lamentum præscripta sunt; ut Dominus his placatus iram inferendam avertat. Efficit enim utrumque benignus Dominus, et minitatur formidanda, et mala intentata non irrogat pœnitentibus. Lugeatis igitur unusquisque, et propria plangatis peccata, nequando quæ fuerunt prænuntiata, vobis eveniant. Etenim si Deus nolit peccatoris pœnitentiam, quare in Ninive nuntiabatur futurum post tres dies exitium [3]? Verum simul ut misericors vidit eorum contritionem, amovit iram, et veluti nubem dissipavit. Veniet igitur contritio ab ipso Domino, qui utiliter conterit quæ excidio sunt digna, sicut conterit Satanam sub pedibus Justi, aut conterit bella. « Dominus enim conte» rens bella; Dominus nomen illi [4]. » Et, « Confringet Domi» nus cedros Libani [5]. » Arrogantes, superbos, et eos qui adversus veritatem efferuntur, cedros Libani appellans. Proinde cum veniat contritio a Domino, oportet ut priores superbum nostrum cor conteramus, ut ejus humilitas Deo fiat hostia et sacrificium. Itaque omnis manus et operosissima et efficacissima, si cum Deo et cum operibus ejus conferatur, dissolvetur; quapropter dicit: « Confor» tamini manus remissæ et genua dissoluta [6]. » Nemo invadentes bellatores ulturus, suis viribus confidat; nemo in pedum pernicitate spem reponat suam, quasi illum contri-

[1] Apocal. xii, 19. — [2] Esaï. xiii, 6. — [3] Jon. iii, 5. — [4] Exod. xv, 3, apud. LXX. — [5] Psal. xxviii, 5. — [6] Esaï. xxxv, 3.

tionis diem, in qua accessuri sunt ad disperdendam omnem terram, effugere possit.

IX. «Omnis enim anima hominis formidabit[1].» Vox, «Hominis,» apposite adjicitur. Neque enim Angelorum anima obnoxia est formidini, cum affectione ista longe sit superior, neque brutorum animalium anima. Non enim bruta animalia attingit formido, cum affectio sit ad aliquid rationale pertinens, sitque consiliorum quæ a fortitudine petuntur, inopia defectusque. Stupori quidem belluæ subjacent; sed qui rationis compotes sunt, cum ea quæ non sunt digna timore, expaverint, timiditatis corripiuntur affectu, quod ratio, quæ animam adversus mala corroborabat, in eis deficiat. Jam pridem est, ex quo dies Domini appropinquare dicitur, Prophetis omnibus ejus appropinquationem obtestantibus, ut ne quis ob ejus dilationem deses et iners manens, deprehenderetur imparatus. Hæc et attestatur Sophonias, cum ait: «Trepidate a facie timo- »ris Domini, quia prope est dies Domini[2].» Et paulo post: »Prope est dies Domini magnus, prope, et velox nimis. »Vox diei Domini amara et dura, dies illa, dies tribulatio- »nis et necessitatis, dies immaturitatis et perditionis, dies »tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ, dies tubæ »et clamoris[3].» Jam vero etiamsi dies illa, qua consummandus est mundus universus, procul abesset, nihilominus tamen peculiaris illa dies exitus uniuscujusque, quæ cujuslibet hominis consummatio est, prope adest, qua ob oculos posita, observandum nobis est, quod ab Esaïa dicitur: «Ululate, prope enim dies Domini;» atque habenda fides est ei, qui dicit: «Beati qui lugent[4];» item: «Beati »qui flent[5].» Multi vitæ hujus negotia ægre ferentes, accelerant suum exitum, mortemque invocant; ad quos illud

[1] Esaï. XIII, 7. — [2] Soph. I, 7. — [3] Ibid, 14-16. — [4] Matth. V, 5. — [5] Luc. VI, 21.

Amos non inepte dicas : « Væ desiderantibus diem Domini, » et ea est tenebræ, et non lux. Quemadmodum si quis » homo fugiat a facie leonis, et incidat in eum ursus, et » insiliat in domum, et applicet manus suas ad parietem, et » mordeat eum coluber. Num tenebræ dies Domini, et non » lux, et caligo non habens splendorem [1] ? » Proinde si quis super vitæ suæ ædificium non extruxerit ligna, aut fœnum, aut stipulam, is desideret diem Domini, in qua uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Quod si nemo purus sit ac liber ab interdictis operibus, timeat illum diem. Ait enim : « Si cujus opus manserit, quod super- » ædificavit, mercedem accipiet ; si cujus opus, arserit detri- » mentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi » per ignem [2].

X. « Turbabuntur legati ; et dolores ipsos occupabunt, » quasi mulieris parturientis. Et commiserescent alter alte- » rius, et stupebunt, et faciem suam, quasi flamma, mu- » tabunt [3]. » Quinam sunt legati qui turbabuntur tum, cum dies Domini institerit ? Nimirum illi, quos Dominus indicat in parabola, quam cum Jerusalem appropinquasset, retulit iis, qui regnum Domini jam esse manifestandum existimabant. « Homo enim, inquit, nobilis abiit in regionem » longinquam accipere sibi regnum, et reverti [4]. » Deinde loquens de decem mnis quas decem servis ad negotiandum distribuit, subjunxit : « Cives autem ejus oderant eum : et » miserunt post illum legatos, dicentes : Nolumus hunc » regnare super nos [5]. » Homo quidem nobilis, ille est cujus genus nihil habet commune cum ullo alio, nisi cum eo « Qui est super omnia Deus [6]. » Quemadmodum nobiles dicimus eos, qui regio sanguine sunt prognati : ita vere nobilis est, qui ex Patris essentia suam habet substantiam.

[1] Amos. v, 18-20. — [2] 1 Cor. III, 12-15. — [3] Esaï. XIII, 8. — [4] Luc. XIX, 12. — [5] Ibid. 14. — [6] Rom. IX, 5.

Sed et Salvator, homo nobilis dici potest. Non enim solum secundum divinitatem Dominus nobilis intelligitur, quippe qui in semetipso suapte natura puritatem, sinceritatem et simplicitatem omnis admixtionis expertem possideat : sed nobilis etiam est omnino secundum humanitatem, cum sit secundum carnem ex Davidis semine oriundus. Abit igitur in longinquam regionem, non tam loco, quam rerum statu dissitam et remotam. Etenim Deus ipse unicuique nostrum prope adest, cum familiaritatem ejus nobis conciliant actiones bonæ : et longe abest tum, cum perditione appropinquantes, nosmetipsos ab eo elongamus. Nobilis ille mundum peccati imperio subjectum et amarulentæ inimici tyrannidi subditum videns, et statum principe carentem miseratus, rex eorum fieri non recusavit. « Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos ejus » sub pedibus ejus[1]. » Postquam igitur venit in locum hunc terrenum, in regionem videlicet procul a Deo remotam ; ut imperium in gentes accipiat, juxta illud Psalmi dictum : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam[2] : » ii qui hujus sæculi principi subjiciebantur, non homines solum, sed et potestates sub eo militantes, regnum ipsius non admiserunt. Nam cum dedisset præcepta, ac jussisset ut ea perficerentur, nec apud se otiosa manerent : imo vero cum eorum quæstum requireret, legatos post illum miserunt, qui ejus negarent imperium ac detrectarent.

XI. Quinam igitur legati, nisi ii, qui mortis Servatoris fuere auctores? Qui per crucem imperium quod in mundum habet, excindere se posse arbitrabantur, ac dicebant Pilato : « Noli scribere : Rex Judæorum, sed quia ille dixit: » Rex sum Judæorum[3]. » Attamen eorum, qui prohibebant, nequitia ipsos quidem condemnavit, sed Dei consilio non obstitit. Postquam enim potitus fuisset regno, servisque

[1] I Cor. XV, 25. — [2] Psal. II, 8. — [3] Joan. XIX, 21.

pro cujusque merito negotia ac munia obeunda distribuisset, vocari illos jussit, ut quem quæstum fecissent, agnosceret. Et primo quidem, qui fuerat mnas decem lucratus, dedit potestatem super decem civitates : alteri vero, qui mnas quinque comparaverat, ait : « Esto super quinque civi» tates[1]. » At vero mnam jussit auferri ab eo, qui ipsam otiosam in sudario alligarat[2]. Postquam autem res, quæ ad Judæos spectabant, ordinasset « (Tempus est enim, inquit, » ut incipiat judicium a Domo Dei[3]) » tunc inimicos, qui ejus recusarant imperium, jussit in medium adductos jugulari[4]. Sunt certe non pauci, qui nolint in hac vita regnare super se Christum. Qui enim mancipantur impuritati, et ab ira vincuntur, et serviunt avaritiæ, hi super se Dominum regnare nolunt, atque quod attinet ad ipsorum voluntatem, detrectant ac deprecantur ipsius regnum. Dicit de iis Esaïas, quod sint turbandi. Dominum enim in secundo adventu cum viderint ii, qui vitam transegere in peccatis, et evangelicos illos regni mores pro nihilo duxere, « Turbabuntur utique, et dolores ipsos occupabunt quasi » mulieris parturientis. » Significavit per partus dolores doloris illius acerbitatem, qui per peccatorum conscientiam cor eorum pungit ac sauciat. Etenim partus dolor, acutus quidam dolor est, qui in præcipuis partibus tempore partus corripit parturientes. « Et faciem suam, quasi flamma, » mutabunt. » Proprium est eorum, qui pudore suffunduntur, et in discrimen aliquod impingunt inexpectatum, immutare vultus colorem, quippe qui superficie tenus rubore perfundantur, animique affectionem per apparentem illam immutationem indicent.

XII. « Ecce enim dies Domini venit immedicabilis, furo» ris, et iræ; ut ponat orbem terræ desertum, et peccato-

[1] Luc. XIX, 15-18. — [2] Ibid. 24. — [3] 1 Pet. IV, 17. — [4] Luc. XIX, 27.

» res disperdat ex eo[1]. » Superius quidem dixit : « Prope » est dies Domini[2] : » hic vero, « Dies Domini venit, ut » ponat orbem terræ desertum. » Si quis jam tradita diligenter observet, deprehensurus est non de eadem die fieri sermonem in utreque prophetiæ fragmento. Nam in primo sermo fit de propria cujusque consummatione, quæ prope adest : in altero, quod est in manibus, de universali. Hæc enim ponet orbem terræ desertum, propter quod infertur : « Et stellæ cœli, et Orion non dabunt lucem[3]. » Forte autem dies illa peculiariter dicitur dies, quod ipsius status unus sit et idem. Non enim nocte interciditur, nec eam circumscribit vespera. Et quia ea, quæ in tenebris latitant, in ipsa die detegentur, dies illa dies proprie dicitur. At vero hæc vita nox est, in qua occultantur turpitudinis opera. Unde et ait : « Nox progressa est, dies autem ap- » propinquavit[4]. » Quin et dies illa dicitur etiam immedicabilis, quod dies furoris sit et iræ, in qua locus non relinquitur placationi, nec medela ulla pœnis in ea inflictis afferri potest. Itaque ne in illum diem differamus confessiones, sed reputemus nobiscum prudens illud Scripturæ consilium, quæ vult parere nobis et incutere Dei timorem, eosque, qui hæc lecturi erant (donec dies est), ad operandum erudire. « Venit nox, quando amplius nemo potest » operari[5]. » Quisquis in lumine mandatorum Christi ambulat, versatur in die : qui æternis tenebris addictus est, in nocte erit. In nocte illa non amplius opus, non amplius confessio, sed manus ac pedes vinculis peccatorum suorum ligabuntur. « Etenim manibus ejus et pedibus ligatis, » ejicite in tenebras exteriores[6]. » Nec amplius loquetur lingua confessionem, aut Dei laudem : quippe in luctu

[1] Esaï. XIII, 9. — [2] Ibid. VI. — [3] Ibid. 10. — [4] Rom. XIII, 12. — [5] Joan. IX, 4. — [6] Matth. XXII, 13.

quem irrogata sibi supplicia afferent, occupabitur. Eam ob rem venit insanabilis illa dies.

XIII. « Nam stellæ cœli, et Orion, et omnis ornatus cœli » lucem non dabunt, et obtenebrabitur sole oriente, et » luna non dabit splendorem suum. Et mandabo orbi uni» verso mala, et impiis peccata eorum[1]. » Consummationem ac totius orbis immutationem aperte describit Propheta. Tunc enim deficiet lumen solare, lunaque erit corpus splendoris expers, et Orion, stellarum splendidissimus, lucem non dabit : « Stellæ cœli et Orion non dabunt » lumen. » Non ideo tamen obscurabuntur, quod sint solis ortu illustrandi. Hoc enim etiam in præsenti die accidit, atque in confesso est apud omnes, qui res in cœlo apparentes observarunt, stellas in eo hemisphærio, quod terra superius est, collocatas, nequaquam extingui; sed eas, utpote a radiis solaribus admodum illuminatas, obscurari. Quod itidem contingit in noctibus, cum plena est luna, lunari lumine undelibet stellas illustrante, nec earum splendorem conspici sinente. Itaque nihil eorum, quæ naturaliter eveniunt, Scriptura significat, sed integram stellarum obscurationem, et mundi universi transformationem. Liquet autem illam duarum et viginti stellarum collectionem dici a Scriptura Oriona, quem nonnulli appellant Booten : quas qui harum rerum periti sunt, dividunt, dicuntque quatuor esse tertiæ magnitudinis, novem vero ex eis, quartæ, novem autem reliquas, quintæ. Hic autem stellarum globus in boreali parte locatus est, quem Scriptura tanquam unum corpus, Oriona vocavit. Aiunt autem hæc esse astra, non stellas, quod astra indicent multitudinis cujusdam congeriem : contra, unaquæque stella privatim, dicatur stella. Quinetiam Arcturi commeminit Scriptura, quem inter Orionis partes positum cernimus[2]. Est autem

[1] Esaï. XIII, 10, 11. — [2] Job. IX, 9.

stella subrufa. Similiter quoque et Pleïas nominatur a Scriptura, perinde atque a gentibus, qui utique hæc arcana ab Hebræis curiose quæsierunt. In Pleïade autem stellæ septem apparent, sibi cohærentes, et inter sese addensatæ, non sex, uti arbitrantur nonnulli. Cæterum collocantur in triangulari forma. Quemadmodum igitur hic Orionis: ita Arcturi, Hesperi et Pleïadis nomen deprehendimus in Job, qui ait: « Qui facit Pleïada, et Hesperum, » et Arcturum, et cellaria Austri [1]. Qui igitur numerat mul» titudines stellarum, et omnibus eis nomina vocat [2], » tum harum omnium numerum, tum appellationes tenet. Sed paucæ nomen accepere, quarum usum admiserunt quoque gentiles; atque nomina reliqua suopte ingenio attexuerunt, et innumeris nominibus appellant tam fixas quam errantes stellas. Et alias quidem dividunt in duodecim partes: alias vero, quæ inhærescunt circulo signifero, per quem suum sol iter conficit, alias itidem quæ boreali et austrinæ parti infiguntur, uti libuit, vocaverunt.

XIV. « Et perdam, inquit, injuriam iniquorum, et con» tumeliam superborum humiliabo [3]. » Est Dei optimi opus mala penitus delere, ut suum opificium restauret, reddatque purum ab omni malitia, atque ab omni infirmitate et vitio liberum ad naturalem statum reducat. Dicitur quidem alio in loco: « Perdam sapientiam sapientium, et » prudentiam prudentium reprobabo [4]: » nimirum quod mundi hujus sapientia dum eos, qui se excipiunt, decipit, crediturque esse vera, dogmatum ad salutem necessariorum ignorantiam gignit. Interit igitur hæc sapientia, eversa a veritate, si sophismata et suasoria ejus argumenta solvantur, ut quem ipsa præoccupavit, is ab errore et a falsa opinione liberetur. Quamobrem ut morbus medico profli-

[1] Job. IX, 9. — [2] Psal. CXLVI, 4. — [3] Esaï. XIII, 12. — [4] Id. XXIX, 14, et 1 Cor. I, 19.

gatur, et tenebræ discutiuntur a sole : ita a Deo optimo destruitur iniquorum injuria, et superborum contumelia deprimitur. Eam ob causam Jacob cum fausta filiis suis Symeoni et Levi precaretur : « Maledictus, inquit, furor » eorum, quia pervicax, et ira eorum, quia indurata est[1]. » Vitiosum illum habitum per hanc maledictionem amputat, ut quod in eis residuum esset, id Patriarchæ benedictione dignum evaderet. Eumdem ad modum et Noë, ubi rescivit quid sibi fecisset filius suus junior, dixit : « Maledictus » Chanaan[2]. » Etsi Cham exhibuisset molestiam, non tamen ei maledicit, sed ejus germini, ipsiusque operi, quod symbolice nominatur Chanaan : quippe Chanaan, si interpreteris, idem valet ac « Quasi commotio. » Quia igitur habitus commotus et exsuscitatus vitium parit, non affectui, sed operi ex eo prodeunti maledicit. Nam in humana natura difficile servatur cordis puritas. Compertum est autem eum, qui exterminat superborum contumeliam, non unum duntaxat vitium rescindere ; sed par est contumeliam ita interpretari, ut ab uno peccato ad omnia nequitiæ genera extendatur sensus. Etenim iniqui contumeliam jaciunt in templum, conviliis consectantur proximum, et quod ad imaginem Conditoris factum est, id contumelia vexant, atque contumelia ab imagine ad Opificem ascendit. Quemadmodum enim qui contumeliam intorquet in regiam imaginem, perinde condemnatur, ac si peccasset in ipsum regem : ita sane quisquis homini ad Dei imaginem condito facit contumeliam, obnoxius est peccato. Præ omnibus vero se ipse contumelia afficit fornicator per corruptionem, adulter per operis turpitudinem, fur per vilem fœdamque et illiberalem actionem, mendax quod veritatem inficiatur, perjurus quod recedit a Deo. Quare peccatum omne contumelia est, contumeliæque germen, et

[1] Gen. XLIX, 7. — [2] Id. IX, 25.

in convitiatorem primum recidit. Quin et humiliabit superborum contumeliam, quod superbia soror sit iniquitatis. Iniquus enim justitiam superbe et arroganter despicit, et adversus illam extollitur. Atque impudicus adversus pudicitiam loquitur, cum spernat eum, qui se observat in omnibus, et vel ipsum oculorum motum moderatur. Luxuriosus eum contemnit, qui modice et moderate vivit : insipiens eos irridet, qui excellunt sapientia, ac studio magno doctrinam ac scientiam undecumque sibi comparant. « Dominus itaque qui superbis resistit[1], » et « Humi» liat peccatores usque ad terram[2], » hic ipse superborum contumeliam depressurum se pollicetur. Qui igitur humiliat superbos, idem illos ab ea similitudine, quam cum diabolo superbiæ parente habent, liberat; et eos inducit, ut fiant discipuli ejus, qui ait : « Discite a me, quia mitis » sum et humilis corde[3]. »

XV. « Et erunt, qui derelicti fuerint, honorati magis » quam aurum non coctum : et homo honoratus erit ma» gis quam lapis, qui ex Suphir[4]. » Postquam inductæ fuerint tentationes magnæ, venerintque bellatores, qui sunt totum terrarum orbem disperdituri, et ubi depressa fuerit superbia omnis, homines qui e multis tunc invenientur, nihilque læserint animam per initam cum iniquis societatem, sed qui discrimina innumera ac tentamina experti, animi sui specimen eximium dederint, hi auro omni, quod concoctum non fuit, ac omni pretiosissimo lapide qui existimatur in Suphir reperiri, honoratiores futuri sunt. Cæterum nomine Suphir, regionem quamdam in Indorum gente sitam videtur indicare, in qua solent lapides pretiosissimi gigni. Aurum vero non coctum illud est, quod nihil in se materiæ ambiguæ et alienæ continet, sed quod

[1] Jac. IV, 6. — [2] Psal. CXLVI, 6. — [3] Matth. XI, 20. — [4] Esaï. XIII, 12.

simul ut conspectum est, fidem facit intuentium oculis probum se esse, et ab ære, aut ab alia quavis admixtione purum.

XVI. « Nam cœlum indignabitur, et terra concutietur a » fundamentis suis, propter furorem iræ Domini Sabaoth » in die illa, qua venerit furor ejus [1]. » Creatura omnis una cum Domino movetur ad ultionem de iis, qui in ipsum peccavere, expetendam [2]. Quemadmodum enim cœlum obstupescit [3], et inhorret ob inopinatas iniquitates populi, cum Dominum derelinquit : ita cum delicta eorum, qui defecerint, fuerint completa, veneritque retributionis tempus, indignari dicitur, et una cum Dei ira insurgere. Par autem fuerit per cœli indignationem intelligi horrenda illa mala, quæ ab eo puniendis infligentur. Nimirum cum offundentur stellis tenebræ, deficietque lux solis, nec luna amplius illustrabitur ; cum, fulminibus percurrentibus, horrendo cum fragore ruent tonitrua ; cum aër capiti imminens obscurabitur [4], ita ut cruciatus eorum, qui iræ fuerint traditi, nulla ex parte solatium aut levamen admittat. Creatura enim Conditoris administra, vehementer ad iniquos plectendos exasperatur [5] : mitigatur vero et demulcetur, ad eos, qui suam in ipso fiduciam reposuerint, afficiendos beneficio. Hæc autem contingunt ob furorem iræ Domini. Obtinuit autem mos Scripturæ, ut furorem iræ dicat æstum quemdam, et pœnarum pravis operibus ulciscendis idonearum veluti inflammationem.

XVII. « Terra autem concutietur a fundamentis suis [6]. » Declarat motum illum non futurum esse levem aut vulgarem, adeo ut superficie tenus fiat concussio : sed terræ fundamentum eversum iri, et concussum illum ad omnes terræ partes perventurum. Terræ autem fundamenta hu-

[1] Esaï. XIII, 13. — [2] Sap. V, 18 et 21. — [3] Jer. II, 12. — [4] Matth. XXIV, 29. — [5] Sap. V, 18 et 21. — [6] Esaï. XIII, 12.

manæ naturæ ignota sunt; uti apud Job didicimus, Domino dicente: « Ubi eras, dum jacerem fundamenta terræ? » Indica autem mihi, si nosti scientiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? Aut quis induxit funiculum super » eam? Super quo circuli ejus compacti sunt? Quis est » autem, qui misit lapidem angularem ejus [1]? » Num juxta gentilium opinionem, fundamenta terræ locavit Dominus in centro globi mundum circumcingentis, ut ob æquilibrium ejus, distantis scilicet undecumque a cœlo, tuto staret, stabilisque maneret et immota. Quod si tam firmiter fixa terra est, utique a suis fundamentis emota, ab ipsa sua sede basique transmovebitur. Sed quia indignatio iis, qui ratione et animo præditi sunt, competit; nonnulli olim cœlum et animatum esse et ratione usum esse opinati sunt, sic ut simul cum Domino excitari posset ad indignationem. At commentum ejusmodi est fabulosum. Nam plerumque Scriptura per metonymiam cœlestia animalia cœlum vocat, uti et nos dicere solemus: « Civitas omnis egressa est: » et, « Civitas a principe hanc rem petivit: » quippe civitatem loco incolarum nominamus. Itaque ad hunc modum indignatur etiam cœlum, cum justæ Dei iræ assentiuntur cœlestes Potestates. Quemadmodum enim « Gaudium est in » cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente [2]: » ita quoque indignatio et tristitia est super iis, qui per peccatum a Conditore deficiunt.

XVIII. « Et erunt residui quasi damula fugiens, et quasi » ovis errans, et non erit qui congreget; ita ut homo ad populum suum convertatur, et homo in regionem suam curat. Nam qui captus fuerit, opprimetur, et qui congregati fuerint, gladio cadent. Et filios eorum discerpent in » conspectu eorum, et domos eorum diripient, et uxores » ipsorum habebunt [3]. » Qui in manus hostium irrumpen-

[1] Job. XXXVIII, 4-6. — [2] Luc. XV, 10. — [3] Esaï. XIII, 14-16.

tium venerint, in ipsa acie cadunt : qui vero fuga sibi consuluerint, hi quasi damula fugiunt. Animal autem illud pavidum est valde et meticulosum, et ob pedum velocitatem procul fugit, nec gradum sistit. Erunt igitur quasi damula, et quasi ovis errabunda. Ovis enim ex se nullo modo novit ad pascua pinguia pergere, nec tutioribus in locis commorari, aut sibi potum quærere, nisi quis affuerit pastor, qui eam deducat. Itaque qui tunc erunt, fugient quidem perinde atque damæ : destituentur vero auxilio omni, tanquam oves errabundæ, quod nemo sit qui eas ducat. « Et » non erit qui congreget. » Imo timidi quidem dispergentur a persequentibus : ii vero qui residui fuerint, vincentur opprimenturque ab hostibus ; quamvis coïre, et auxiliarem quamdam societatem inire possint, tamen gladio interibunt. Deinde miserandas calamitates et ærumnas eorum, qui in servitutem fuerint abstracti, in medium profert. Filios eorum discerpent in parentum oculis, diripientque eorum domos, et uxores eorum sibi ipsis contumeliose vindicabunt.

XIX. « Ecce suscitabo vobis Medos, qui argentum non » reputant, nec auro opus habent. Arcus juvenum conte» rent, et filiorum vestrorum non miserebuntur : neque su» per filiis tuis parcent oculi eorum [1]. » Longo temporis intervallo interjecto, uti tradit historia, Medi in Assyriorum imperium invasere, Babylonemque evertere. Proinde Esaïæ prophetia ætatibus multis præcessit Israëlitici populi captivitatem. Rursus autem post abductum Israëlem multis post annis comperiuntur Medi Assyriis bellum intulisse. Itaque captivorum solamen expectatio est vindictæ populum Israëlis vexatorem brevi apprehensuræ. « Suscitabo, inquit, vobis Medos, qui neque argento, neque auro flectentur. Neque vos, Babylonii, divitiarum vestrarum copia

[1] Esaï. XIII, 17, 18.

immunitatem malorum ab ipsis emere poteritis. Neque eis pecuniæ sunt admirationi, quod et ipsi sint opulentissimi. Quapropter neque in præliis distrahuntur mortuorum exuviis ; neque detinentur in præda agenda, imo ab iis, qui capti sunt, aliquid accipere, sordidum putant et ignavum. Sed sagittariam artem adolescentium vestrorum conterent, neque ullo modo miserebuntur infantium, neque eis parcent. » Medorum autem nomen transumptum nificat « A sufficienti. » Qui igitur sufficiens est in omnibus, ac pro merito vicem reddere potest, hic ciet et accersit Medos. Aut forte quoniam Madaï [1] Mediæ conditor est (hic autem, si interpreteris, sonat « Dimensionem,) » ideo dici possint Medi acciti fuisse, ut pœnas de iis, qui nequiter et perperam vixerant, exigerent cum mensura : quoniam qua in mensura quisque nostrum dimensus fuerit, sive bene agendo, sive peccando, in hac aut præmium aut supplicium recipiet [2]. Tales autem sunt Medi; non miserebuntur filios Babyloniorum : neque eos salvos et incolumes servari patientur. Forte autem fructus fœtusque animæ Babyloniorum nunc Scriptura filios appellat. Quinetiam filios ejus, qui in Psalmo prædicatur beatus, tales esse arbitror : in quo mulier quidem sapientia est, quam ambivit, quamque uxorem duxit, et sibi conturbernalem elegit Dominus pulchritudinis ejus amore captus [3] : filii vero sunt mentis et sapientiæ fœtus simul coëuntes. De his, puto, in Psalmo CXXXVI dictum est : « Filia Babylonis misera, » beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam re- » tribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos » ad petram [4]. » Prævidet siquidem illam vicis rependendæ diem, in qua Medi, Babyloniis superatis, misericordia nulla commovebuntur, neque ipsorum filiis oculi eorum parcent.

[1] Gen. x, 2. — [2] Marc. iv, 24. — [3] Psal. xliv, 12. — [4] Id. cxxxvi, 8, 9.

Attendas autem velim Psalmum prædicare beatum, non eum qui quoquo modo prolem Babyloniorum interfecerit, sed primum quidem velle, ut parvuli eorum recens geniti trucidentur, nec adolescere permittantur, ne ad majorem nequitiam perveniant : deinde vero, ut non quoquo modo interimantur. Etenim cum dicit beatum, qui sobolem mentis confusæ, quæ Babylonia dicitur, tenuerit, et pro sua sapientia in potestatem suam redegerit, ac deinceps eos ad petram alliserit. Jam vero hic etiam petræ nomine intelligendus est Christus. Qui enim dogmata prava cum verbo veritatis collidit, is Babylonis infantes allidit ad petram. Proinde si per Babylonis filios significentur hæreticorum dogmata, quæ animum excipientis perturbant, jure optimo filius Babylonius apprehensus, ad petram allidetur.

XX. « Et erit Babylon quæ vocatur Inclyta a rege Chal» dæorum, quemadmodum subvertit Deus Sodomam et » Gomorrham. Non habitabitur in æternum tempus ; ne» que ingredientur in eam per multas generationes ; neque » transibunt per eam Arabes ; neque pastores requiescent in » ea. Et accubabunt ibi bestiæ; et replebuntur domus so» nitu. Et requiescent ibi Sirenes, et dæmonia ibi saltabunt, » et onocentauri illic habitabunt : et nidificabunt herinacei » in domibus eorum [1]. Cito veniet, et non tardabit ; et dies » ejus non elongabuntur [2]. » Hisce verbis enarrat abjectam Babylonis conditionem. Et quoniam prioris gloriæ recordatio agit et commovet vehementius, docet a quali statu ad qualem delapsa sit immutationem. « Et erit, inquit, Ba» bylon, quæ vocatur Inclyta. » Hoc fuit tanquam proprium cognomen, et ab omnibus vocabatur cum additamento illo, « Babylon Inclyta. » Hanc autem effecerat celeberrimam rex Chaldæorum, quod, multis eversis ac superatis, captivorum vires in eam transtulisset, eamdemque

[1] Esaï. XIII, 19, 22. — [2] Id. XIV, 1.

instruxisset mœnibus ingentibus, et magna militum manu instructa, ædificiis magnificis amplificasset. Hæc igitur subvertetur eo modo, quo Deus subvertit Sodoma et Gomorrha, et in æternum tempus non habitabitur. Forte autem certo tempore circumscribit eversionem ejus ac vastitatem ; quare non dixit absolute : « Et subvertetur in æter» num ; » sed adjecit, « In æternum tempus. » Sed et quæ sequuntur, indicant perfectam et integram vastitatem non prædici. Dicitur enim : « Neque ingredientur in eam per » multas generationes, » quasi solitudo esset per multas generationes permansura, ac postea iterum incolis frequentanda.

XXI. « Neque transibunt per eam Arabes : neque pasto» res requiescent in ea. » Describit mœstam vastationem isthæc sententia, nimirum tantam fore solitudinem, ut ne pastores quidem in ea reperturi tectum sint, neque inveniendi sint Arabes, qui solitudinem incolant. Qui depopulati ac deprædati omnia, urbes scrutantur et vicos, ii nihil ex ea civitate sperantes, non ingredientur, quod in ea neque incolæ adsint, nec quidquam eorum, quæ ad vitam necessaria sunt, inveniatur. Sed erit, inquit, diversorium bestiarum, ac implebuntur domus echo. Indicat echo vastitatis magnitudinem. Est enim echo vox illa, quæ a solidis et duris corporibus repercussa, rursus ad eum qui illam emisit, redit. Hæc in desertis quidem locis sonore reflectitur : at in urbibus habitatis aut vicis non sinitur reddi : quippe quæ disrupto et interciso aëre, ob instrumenta huc illuc translata, et ob sonum e transverso dilabentem frangatur. Illic igitur echo implebuntur domus. Echo signum est solitudinis. « Requiescent autem illic Sirenes, et dæmonia » illic saltabunt, et onocentauri illic habitabunt, et nidifi» cabunt herinacei in domibus eorum. » Externus quidem sermo tradit Sirenes mulieres fuisse suavissime cantantes : sed hic isto nomine indicari videntur dæmones ; quare

Aquilas Sirenes struthocamelos dixit. Illud autem animal amans est solitudinis, atque ut plurimum in arenis sterilissimis latitat. Scriptura igitur vastitatis magnitudinem exprimit per struthocamelorum habitationem. Eos autem quos onocentauros Septuaginta dixere, « Pilosos » nominavit Aquilas. Videtur significare quoddam dæmonum genus sordidum et aspectu tenebricosum, quorum munus est instabiles esse, nec unquam firmis pedibus aut mente uti. « Et » onocentauri illic habitabunt. » Aliam rursus exhibere videtur Scriptura dæmonum speciem, quam reliqui nominavere « Siin, » ipsam vocem hebraïcam huc transferentes. Quinetiam, inquit, illic herinacei domos suas facient. Animalia omnia, quæ hic locus narrat habitatura esse in Babylone post vastitatem, solitudinem amant.

XXII. « Cito veniet, et non tardabit, et dies ejus non » elongabuntur [1]. » Ait Babylonis eversionem instare, nullamque fore malorum intentatorum dilationem. Quia vero comminata est Scriptura Babylonem tanquam Sodoma dirutum iri; sciendum nobis est nomen « Sodoma » multas admittere interpretationes. Nam idem nomen, si interpreteris, sonat cæcitatem, sterilitatem, constans silentium, similitudinem, evocationem et fundamentum eorum. « Gomorrha » vero accipitur pro mensura et seditione. Verum si quis velit interpretari quomodo Babylon æque ac Sodoma funditus delenda sit, nihil ei, opinor, opus est omnibus his interpretationibus. Deus enim eam in modum medici, qui cæcitatem curat, videtur evertere, ut beneficiis afficiat eversos. Est autem cæcitatis eversio initium videndi. Quinctiam e medio tollit sterilitatem; ut ablegata et expulsa infœcunditate, eis fructum operum justitiæ largiatur. Destruit itidem constans silentium, ut sermonem ad gloriam Deo dandam in corda immittat. Atque

[1] Esaï. XIV, 1.

adeo cum Gomorrham evertit (quandoquidem Gomorrha, si quis interpretetur, utrumque sonat, mensuram et seditionem), tum excitatam in ea seditionem ac perturbationem comprimit, ut seditiosi in contrario statu constituti, pacis videlicet, evadant meliores. Cæterum quisquis sideris natalitii vim admittit, atque necessitatem, et fatum, et exitum fatalem statuit, quantumque in se situm est, homines a Dei fide et a pietate in his stabiliendis avocat, is Babyloniorum gesta, inclyta vocat. Astrologia enim inventum est Chaldæorum, qui res aiunt a semetipsis pendere, non a Deo. Et dum astrorum motui res subjiciunt, providentiam eventuum humanorum moderatricem profligant; adeo ut nihil adsit efficaciæ, neque precibus, neque pietati, sed etiamsi hæ res videantur fieri, tamen et ipsæ fatali cuidam causæ submittantur.

XXIII. Quin et gloriosam quamdam Babylonem vocat quisquis mundi divitias, gloriam, carnis nobilitatem, et cætera his similia laudibus extollit. Enimvero omnia hæc confundunt ac perturbant mentem, et digna sunt quæ eodem nomine ac Babylon appellentur. Hanc evertit Dominus, atque dæmonum efferatorum fit domicilium, sive illam pro civitate, sive pro anima confusa ac perturbata velis accipere. Necesse est enim animam, Dei contubernio destitutam, fieri spirituum reproborum habitationem. Enimvero illic non hospitatur pastor. Non est enim pastoris boni, una cum concredito grege, qui eversus est, habitare. Sed Sirenes, inquit, et dæmonia, et onocentauri, et herinacei. Proinde cum videris animam confusam et perturbatam, scito illam sonitu esse refertam, quod vox clara et articulate pronuntiata minime in ea reperiatur, sed occupet principem animæ illius partem tumultus quidam omnis significationis expers, a turbulentis affectibus exortus. Videntur igitur pravæ quædam potestates, dum per

vocis illicium et evocationem, voluptatem et oblectamentum creant animabus, quas ad earumdem perniciem demulcent suo cantu, venari transeuntes. Incertum est utrum vocis suavitas, an alia quædam ratio dæmonum illorum impulsu excitet ad peccatum ac provocet. Hoc tamen certum eos, qui inescantur voluptate, sui ad veram patriam reditus oblivisci. Quod si videris quempiam cui pruriant aures, easque avertat a veritate, et convertatur ad fabulas [1] nec sustineat sermonem solidum et efficacem, nec objurgationem et reprehensionem severam, quæ auditorem deducit ad conversionem, perferat : imo qui sermonem ad ineundam gratiam compositum, et delicias delectationemque annuntiantem amet, velim putes hunc per blandiloquentiam et assentationem deceptum, a Sirenibus detineri [2]. Sed et dæmonia, quæ varia in nobis producunt peccata, saltare dicuntur, quod saltatio integra sit membrorum agitatio. Et quoniam saltatores, aliis atque aliis indutis personis, veniunt in scenam : ita dæmones nobis ipsis ceu larvis utentes, modo quidem irascentem, modo vero concupiscentem, ac carnalibus voluptatibus inhiantem, modo etiam mendacem saltando repræsentant. Atque hoc pacto varias recipimus dæmonum actiones, qui scilicet ex eorum voluntate cor nostrum et corporis membra commutemus. Cum igitur unum aliquem conspexeris nunc risu immodico diffluentem, nunc præ tristitia dejectum et consternatum, atque molestiis, fletibus et gemitibus dilaniatum, tum quempiam in ipso saltare cogites, alias atque alias formas sumentem. Et modo avaritiæ, modo inanis gloriæ, modo superbiæ commentum ac fabula exprimitur. Uno verbo, tripudians generi hominum insultat, cum in animabus simplicibus et ad peccatum valde versatilibus choream agit et saltat. At vero onocentaurorum nomen

[1] 2 Tim. iv, 5. — [2] Rom. xvi, 18.

compositam quamdam et monstrosam animalis conformationem significat, nisi quod species sit etiam dæmonis : quo auctore et impulsore nunc quidem in res humanas oculos conjicimus, nunc vero ad brutorum animalium rapimur affectus. Herinaceus autem animal quoddam est, quod, vice pilorum, amicitur spinis, et quod difficile captu est et astutum. Omnia hæc cito ventura sunt in animam confusam et perturbatam, nec ulla erit dierum illorum mora.

CAPUT XIV.

I. « Et miscrebitur Dominus Jacob, et eliget Israël[1]. » Existimo rationi esse consentaneum, ut verbum, « Miserebitur, » referatur ad Jacob : quod nomen obtinuit ad eam usque luctationem quam ipse sustinuit : vox vero, « Eliget, » intelligatur de Israël, quod nomen præmii loco Patriarchæ post luctamen impositum est[2]. » Qui autem misericordiam consequitur, abjectiorem præfert conditionem ; qui vero eligitur, excellentiorem. Quamobrem verbis istis, « Dominus miserebitur Jacob, eliget vero Israël, » simile est illud : « Jacob puer meus, assumam eum : Israël » electus meus, suscepit eum anima mea[3]. » Enimvero Jacob pro eo accipitur, qui prima adhuc tractat elementa, quique corporalis est : sumitur vero Israël pro præstantiori et spirituali. Omnino autem Jacob et Israël « Requiescent in terra sua, » nimirum in terra illa, de qua dictum est : « Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram[4]. » Terra hæc non est pars istius, quæ obnoxia est

[1] Esaï. XIV, 1. — [2] Gen. XXXII, 28. — [3] Esaï. XLII, 1. — [4] Matth. V, 4.

maledicto; quam qui colit, in doloribus comedit omnibus diebus vitæ suæ[1]. Quinetiam Jacobo et Israëli in terra sua requiescenti advena adjungetur. Qui terram excolit, hic ille est proselytus advena. Fortasse hic est gentilis populus, Jacobo adjunctus, quem tanquam peregrinum et proselytum Scriptura advenam appellat. Cum autem ii, qui sunt inferioris conditionis, nec sibi imperare norunt, ducibus imperandi scientiam habentibus serviunt, id ipsis est pro beneficio. Quare in benedictionibus dictum est Esaü: « Et fratri tuo servies[2]. » Hoc plane indicat, quod sequitur: « Et multiplicabuntur super terram Dei in servos » et ancillas[3]. » Imponitur eis servitus loco beneficii. « Et » erunt captivi qui captivos ceperant eos[4]. » Illi quidem tyrannice eos abripiebant in captivitatem, devictos et oppressos servituti diaboli addicentes: hi vero clementer et humane servitutem subeunt, ex diaboli tyrannide ad Christi servitutem adducti. Israëli vero liberatio duræ illius servitutis, quam apud Babylonios servierat, promittitur, atque invitatur ad misericordiam, ut lugeat Babylonis regem, nec insultet ejus ruinæ, sed eum defleat, tanquam qui pœnas commiseratione et misericordia dignas sit passurus.

II. « Quemadmodum vestimentum sanguine inquinatum » non est mundum: ita neque tu eris mundus. Quoniam » terram meam perdidisti, et populum meum interfecisti: » non manebis in æternum tempus[5]. » Hæ adhuc sunt lamentationis partes, qua tum Babylonis princeps, tum res illius deflentur. Posteaquam enim Lucifer e cœlo lapsus, in corde suo dixit: « Ascendam in cœlum, ero similis Altis» simo[6]: » ut compertum fiat et exploratum, quantum Sancto dissimilis sit is, qui omni spurcitia et cæde est

[1] Gen. III, 17. — [2] Id. XXVII, 40. — [3] Esaï. XIV, 2. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 20. — [6] Ibid. 14.

contaminatus, vestimento comparatur: quod quantum ad ipsius naturam attinet, ad hominum ornatum conficitur: sed quia inquinatum est sanguine, non amplius usui ulli humano accommodari potest. Ex hoc palam est malignum illum non esse immundum ob suppellectilem et opes, sed quod sanguine perfusus sit; quippe qui perdiderit Domini terram, populumque per peccatum interemerit. Jam et alio in loco humanam naturam ab eodem Propheta cum vestimento collatam fuisse novimus, ubi videlicet adversus eos, qui in malitia inveterati sunt, ait: « Ecce omnes vos, » ut vestimentum inveterascetis, et tinea comedet vos[1]. » Est autem gravis comminatio, fore ut ne in posterum quidem mundetur. Qui enim inquinatur peccato aliquo, præsentem quidem amittit munditiam: sed expiatione, quæ deinceps per pœnitentiam speratur, nequaquam caret. Hic autem plane pronuntiat eum ne in posterum quidem mundum fore, cum sit inquinatus sanguine populi Dei: quem ad malitiam adductum, per inobedientiam morti tradidit.

III. Forte enim priusquam crearetur homo, supererat vel ipsi diabolo aliquis pœnitentiæ locus. Atque superbia illa, etiamsi foret morbus vetustissimus, si tamen ab ipso sibi ipsi per pœnitentiam medente fuisset curata, restituere illum in pristinum statum potuisset. Sed post conditum mundum, post consitum paradisum, post collocatum in eo hominem, post Dei præceptum, post diaboli invidiam, post illius qui honorabatur cædem, tum ei obstructus est pœnitentiæ locus. Si enim Esaü, jure prioris ortus vendito, nullum invenit pœnitentiæ locum, ecquis pœnitentiæ locus ei relinquitur, qui protoplastum hominem peremit, et per eum mortem invexit? Ferunt autem maculam, in vestimento ab humano sanguine impressam, nullo modo detergi posse, sed alterationem ex sanguinis tinctura semel con-

[1] Esaï. L, 9.

tractam, una cum vestimento consenescere : fieri igitur non potest, ut ille, sanguineis maculis deletis et abstersis, evadat purus. Observa autem dictionem sordes ex cæde provenientes evidenter exprimentem. Non enim dixit : « Ves- » timentum tinctum sanguine, » sed, « Inquinatum : » id ut ostendat in cæde peremptorum fuisse volutatum. Hic perdidit Dei terram, et populum ejus interemit. Et vero Nabuchodonosor terram vastavit, excisis plantis ejus fructiferis, et vicis incendio prorsus consumptis. Quin et ipse populum Israël partim occidit gladio, partim captivum abduxit in Babylonem [1]. » Cæterum antea etiam is, qui mystice rex Babylonis nominatur, mundi hujus princeps est. Nam mundi hujus confusionem potest quis apte appellare Babylonem. Etenim Dei populum, a vita ad mortem translatum abstraxit in servitutem : terram vero devastavit, uniuscujusque carne per peccatum corrupta, sicut scriptum est : « Corrupit omnis caro viam suam [2]. »

IV. « Semen pravum præpara tuos filios, ut jugulentur » peccatis patris tui; ne resurgant, et ne impleant terram » civitatibus. Et insurgam in eos, dicit Dominus Sabaoth, » et perdam eorum nomen, et reliquias, et semen [3]. » Nec ipse solum non erit mundus, sed successura etiam scelerati illius posteritas una cum ipso bonitate clementissimi Dei delebitur : qui filios, videlicet non tam carnalem prolem, quam operum ex malo habitu proficiscentium fœtum e medio tolli permittit. « Semen pravum : » quod malitiæ non erat pater, sed quod ab alio malitiæ præeunti ortum accepit, atque nequitiam ejus, qui se seminavit, imitatus est, ideo dicitur semen pravum. « Præpara filios tuos, ut jugu- » lentur peccatis patris tui. » Nonnunquam cujuspiam semen dicitur pravum, non quod continuo proveniat ex semine præ-

[1] 4 Reg. xxv, et Jer. xxxix. — [2] Gen. vi, 12. — [3] Esaï. xiv, 21, 22.

cedente, sed quod alterius ortui dat initium, seminis nomen accipit. Quemadmodum enim cum mundus fuit conditus, ea quæ primum germinavere, erant quidem semina aliorum, nec tamen ipsa ex aliis seminibus prodiere, cum rebus ex semine originem ducentibus essent antiquiora : ita forte etiam nunc semen pravum Scriptura vocat eum, qui nequitiæ exemplum primus dedit cæteris, fuitque quasi semen, semetipsum præbens imitandum : non quod hanc subsistendi rationem ab antecessoribus habeat, sed quod posteris suis præiverit. Attamen potest quispiam ex semetipso ceu nequitiæ auctor et architectus, pravum semen esse. Et rursus qui ab improbis magistris edoctus est, pari nomine potest insigniri. Peccator ille vocatus est « Semen Chanaan, et non Juda[1]; » non quod carnis genus spurium et ex Chanaan commixtum haberet : sed ideo semen Chanaan appellatur, quod æmulatus Chanaan sit. Unusquisque igitur sua ipsius voluntate potest esse aut semen sanctum, aut contrarium. Audi enim Paulum dicentem : « Nam in Christo Jesu per Evangelium ego » vos genui[2]. » Et illud : « Quotquot receperunt eum, dedit » eis potestatem filios Dei fieri[3]. » Et, « Omnis qui facit pec» catum, ex diabolo natus est[4]. »

V. Quid autem sibi vult Scriptura, cum præcipit semini nequam, ut filios suos ad cædem pro peccatis patris præparet? Observavimus jam multis in locis uniuscujusque opera et animæ fœtus appellari filios. « Salvabitur enim, » inquit, per filiorum generationem si manserint in fide, » et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate[5]. » Nam anima tanquam uxor sponsi, qui deceptus non est, salva efficitur, ubi ratione duce filios edendos curaverit, opera videlicet bona, si modo permanserit in bono habitu,

[1] Dan. XIII, 56. — [2] 1 Cor. IV, 15. — [3] Joan. I, 12. — [4] 1 Joan. III, 8. — [5] 1 Tim. II, 15.

nec a peccatis illis subsequentibus vitietur. Sic et nos qui juxta spiritualem et divinam legem interpretamur benedictionem, quæ dicit : « Benedicti fœtus ventris tui [1], » Nihil aliud quam animæ fructus significari ducimus. « Nam a ti» more tuo, Domine, in utero accepimus, et parturivimus, » et peperimus spiritum salutis, quem fecimus in terra [2]. » Operum itaque pravorum extirpatio vocatur filiorum cædes, quæ ob utilitatem patris, qui genuit, perpetratur. Hoc igitur loco figurata illa loquendi ratio occultam quamdam bonitatem præ se fert, dum præcipit semini nequam, ut deponat (quoad ejus fieri potest) vitiorum suorum onus. Quicumque enim malignum illum sibi proposuerunt exemplar, factique sunt malitiæ filii, cunctos animæ suæ fœtus, quod ad peccata attinet, debent trucidare. Nam nisi moriamur peccato, quomodo vivemus justitiæ [3] ? « Ne enim, » inquit, resurgant, et impleant terram civitatibus. » Malum est utique illa vitii rebellio. Quamobrem oportet ut ea maneat mortua, nec cœtum et multitudinem adire sinatur. Hoc siquidem indicat nomen civitatis. Addecet enim Dominum Sabaoth disperdere nomen et reliquias et semen malitiæ.

VI. Beatus ille est tum animi tum reipublicæ humanæ status, in quo nomen nequitiæ non pronuntiatur, juxta Apostolum dicentem : « Fornicatio autem, et immunditia, » aut lascivia ne nominetur quidem inter vos, sicut decet » Sanctos [4]. » Rursus autem oportet ut ne supersint quidem reliquiæ. Multi enim sunt, qui cum se avocarint a malis operibus, operum veterum velut retenta memoria, peccatum sopitum et quiescens sæpe per hanc recordationem innovant. Itaque ut ne reliquiæ quidem supersint, id est, ne extremum semen pravæ doctrinæ ex majorum imitatione

[1] Deut. xxviii, 4. — [2] Esaï. xxvi, 18. — [3] 1 Pet. ii, 24. — [4] Ephes. v, 3.

posteris relinqui accidat, « Hæc dicit Dominus : Et ponam » Babyloniam desertum, ut inhabitent hericii, et erit in » nihilum : et ponam eam luti barathrum in perditionem[1]. » Interminatur benignissimus Dominus Babyloniam redacturum se esse in desertum. Cæterum pravæ habitationis vastatio, vitæque confusæ et perturbatæ abolitio, bonum quoddam est sensu et mente præditis valde exoptandum. Tantam autem minatur fore Babylonis vastitatem, ut homo Babylonius in ea non sit amplius habitaturus, sed sint hericii subrograndi in hominum locum. Est autem animal illud rigidis et acutissimis spinis circumseptum, quod et caput et pedes, cum vult, contrahit, atque perfectam sphæræ figuram sumit; adeo ut vix possit capi, capite et pedibus intra spiram sese colligentibus, atque superficie spinis undelibet inhorrescente. Hoc utique animal solum, vel quiescens, sibi insidiantes ulciscitur. Qui enim ei injicit manum, graviter pungitur : et quanto magis voluerit quis illud constringere, tanto gravius spinis transfigitur.

VII. Forte igitur hominum mores occulte significat, vice Babyloniorum urbem habitantes, insociabiles, longe ab aliorum agendi ratione alienos, et asperiori vitæ instituto gaudentes. Nam animalium species ad exprimendos hominum mores assumi, Petri visione edocti sumus, quandoquidem in vase e cœlis descendente omne animalium genus inerat, reptilium, volucrum et quadrupedum[2]. Indicabat enim Scriptura eos, qui a diversis peccatis erant ad fidem adducendi, aut quadrupedibus similes esse ob mores belluinos, aut reptilibus ob venenum, aut volucribus ob levitatem et inconstantiam. Forte igitur herinaceus etiam per tropologiam in Scriptura designat homines aliquos : uti serpentes denotant Sadducæos et Pharisæos[3] : vulpes,

[1] Esaï. xiv, 23. — [2] Act. x, 11, 12. — [3] Matth. iii, 7.

Herodem[1]: equi fœminis inhiantes, voluptarios[2]: oves, simpliciores[3]: hæduli, inimicos societatis et avaros[4]. » Quare et hericio animali, quod incolumitatis suæ spem in suis ipsius spinis collocat, par est comparari divites scilicet hujus sæculi, quos dixit Dominus spinis suis suffocare verbum, ac illud infructuosum reddere[5]. Redigetur autem Babylon in nihilum, et erit ut luti barathrum. Ad rem sensibilem quod attinet, indicat Scriptura fore, ut fluvius Euphrates, hanc mediam intersecans, nec exitum reperiens per alveum, eamque inundans, ipsam demoliatur funditus, convertatque in barathrum non aqua limpida, sed limo refertum. Enimvero qui exacerbant Dominum hujusmodi fine evertuntur.

VIII. « Hæc dicit Dominus Sabaoth: Quemadmodum » dixi, ita erit, et quemadmodum statui, ita manebit, ut » disperdam Assyrios in terra mea, et in montibus meis. » Et erunt in conculcationem, et auferetur ab eis jugum » ipsorum, et gloria eorum ab humeris ipsorum[6]. » Israël quidem carnalis de terra quam Dei esse existimant, deque terrenis istis montibus in Judæa sensibili sitis, dicta hæc fuisse a Propheta arbitratur; ac fore, ut Israël Assyriam abducat in captivitatem, jugo servitutis Assyriis imposito: nos vero, qui consurreximus cum Christo, vovimusque quæsituros nos quæ sursum sunt[7], cor bonum terram nominamus, prout sumus edocti ab ipso Domino, dicente: « Qui vero in terram bonam seminatus est, hic verbum » audiens et intelligens, fructum affert, et facit, alius qui» dem centesimum, alius autem sexagesimum, alius vero » trigesimum[8]. » Denique Dei mons, in quo conculcandi Assyrii sunt, potest appellari is, qui in bonis operibus

[1] Luc. XIII, 32. — [2] Jer. V, 8. — [3] Matth. X, 16. — [4] Id. XXV, 33. — [5] Id. XIII, 22. — [6] Esaï. XIV, 24, 25. — [7] Col. III, 1. — [8] Matth. XIII, 23.

progressum facit, seque supra reliquos sermone attollit et cognitione; in hoc isto conculcandi inimici sunt. Et omne Assyriorum jugum auferetur per Deum. Etenim non parum gloriabantur, quod in humeros hominum, qui Dei portio esse censebantur, insilirent; ac eos, qui a Dei servitute per peccata defecerant, sub jugum suum redigerent. Itaque cum speremus, juxta id quod dictum est, disperdendos esse inimicos nostros in terra Dei, et in montibus ejus conculcandos, et jugum ipsorum esse auferendum, conterendamque gloriam qua efferebantur, ut qui in nos haberent dominium, nosque invasissent, nihil non moliamur, ut omnino excutiamus a nobis eorum imperium. Quod si fuerimus montes Dei, ipsius fundamenta erunt in nobis [1], quippe cordibus nostris mandabitur verbum veritatis, ac bona opera in fide ædificabuntur. Oportet autem renuntiare nos sincere peccato, ut liberetur cervix nostra a jugo Assyriorum, Christique jumentum possimus fieri. Nam cervici nostræ imponi non potest duplex jugum, Christi et Assyrii. « Quæ enim participatio justitiæ » cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras [2]? »

IX. « Hoc est consilium quod cepit Dominus super universum orbem; et est hæc manus excelsa super omnes » gentes totius terræ. Quæ enim Deus sanctus decrevit, » quis dissipabit? Et manum ejus excelsam quis avertet [3]? » Perspicue docet dici hæc de iis, qui sunt in universo orbe, et in omnibus gentibus; sic ut nemo dissipare valeat quod Deus sanctus statuit, nullusque Dei manum pro terra et montibus suis propugnantem avertere possit. Simul autem observa ea voce, uti multis in locis ostendimus, rem non raram solum et insolitam significari, cujusmodi est illud: « Quis sapiens, et intelliget hæc [4]? » Item illud: « Quis

[1] Psal. LXXXVI, 1. — [2] 2 Cor. VI, 14. — [3] Esaï. XIV, 26, 27. — Osee. XIV, 10.

» fidelis et prudens dispensator [1] ?» Nam hoc loco illud: « Quis dissipabit ?» idem valet quod « Nemo. » Neque enim cogitare fas est reperiri quemquam, qui dissipare valeat Domini consilium.

XI. « In anno, quo mortuus est Achaz rex, factum est » verbum istud: Ne lætemini alienigenæ omnes, contritum » est enim jugum percutientis vos. Nam ex semine serpen- » tum egredientur fœtus aspidum, et fœtus eorum egredien- » tur serpentes volantes. Et pascentur pauperes per eum, » inopes autem homines in pace requiescent; fame vero » interficiet semen tuum, et reliquias tuas interimet [2]. » Siquidem omnia, quæ scripsere Prophetæ, dictata sunt a sancto Spiritu, utique ipsa annotatio temporis, quo edita prophetia est, frustra inserta non est. Quid enim didicisse prodest hoc verbum eo anno, quo mortuus est Achaz Judææ rex, adversus alienigenas factum esse? Itaque hæc est sententia nostra. Quemadmodum scriptum est in Exodo: « Mortuus est rex Ægypti, et ingemuerunt filii Israël ab » operibus suis, et ascendit clamor, et exaudivit Deus ge- » mitus eorum [3]. » Nam pessimo rege vivente, gemitus et querelas suas in Deum effundere non poterant; eos siquidem cogebat incumbere in opera ardua, nec ad Deum attollere oculos sinebat [4]. Postquam autem nequam ille sublatus est e medio, tunc par erat plaudere, suique hostis ruinæ insultare. Hi autem ingemiscere referuntur præter expectationem. Nimirum ostendit Scriptura, quod ipsi præ stupore, quandiu mens corporis amans dominatum habebat, ne lugere quidem pœnam ob peccatum sibi irrogatam novissent, sed postquam cessarunt vitia, a gemitu initium curationis capiunt, crassis ac corporalibus operibus degravati. Eam ob rem exaudivit eos Deus hominum amantissimus [5]. Huic utique enarrationi simile quiddam

[1] Luc. XII, 42. — [2] Esaï. XIV, 28-30. — [3] Exod. II, 23. — [4] Id. I, 14.— [5] Id. III, 7.

declaratur et in superioribus Esaïæ verbis. « Factum est » enim, inquit, anno quo mortuus est Ozias rex, vidi Do- » minum sedentem super solium excelsum et elevatum[1]. » Regem Oziam fuisse improbum historia prodidit; quandoquidem « Exaltatum est cor ejus ad corrumpendum. Et » injuste fecit in Dominum Deum suum, et intravit in » templum Domini ad adolendum super altare, et lepra » affectus est[2]. » Tum demum improbo principe everso, et legis cultu ab inquinamentis purgato ac liberato, Prophetæ manifesta fiunt divini consilii mysteria. Hic igitur refert etiam Scriptura principem non probum interiisse, ut compertum sit et exploratum Deum beneficum, vitio subducente se et recedente, ad alienigenas loqui. In quarto enim Regnorum libro invenimus hunc Achaz quod rectum esset in oculis Domini, id nequaquam peregisse; quippe filium suum per ignem traducebat juxta gentium abominationes, offerebatque sacrificia, et in excelsis adolebat[3]. Hic quoque aurum et argentum e thesauris domus Domini misit ad Assyriorum regem; unde ea quæ circa sacras pecunias admissa fuerat impietas, parva non fuisse demonstratur. Diruto itaque principatu improbo, verbum fit adversus alienigenas. Alienigenæ autem proprie dicuntur Phylisthæi, quos nominant Græci Palæstinos.

XI. Sciendum autem est tum fieri verbum Domini in nobis, cum peccatum, quod in nostra uniuscujusque vita dominatur, in mortali nostro corpore mortuum fuerit. Forte enim peccatum quodlibet similitudinem quamdam et congruentiam habet cum unoquoque eorum regum, qui reprehenduntur in Scripturis, quique vituperatione digni sunt omnino, quorum nomina haud raro deteguntur per totam Scripturam. Exempli causa, etiamnum Achaz

[1] Esaï. VI, 1. — [2] 2 Paral. XXVI, 16 et 19. — [3] 4 Reg. XVI, 2-4.

interpretantur nomine « Detentionis , » quod symbolum sit pravi dogmatis , quod præoccupat animas nostras et detinet : quo mortuo, anima nostra, a detinente se liberata, efficitur idonea quæ verbum illud, quod adversus alienigenas fit , contempletur. Itaque hic est sensus obvius : « Ne » læfemini omnes alienigenæ , contritum est enim jugum » percutientis vos. » Ne existimetis, o Phylisthæi, vos, Achazo mortuo, a timore, qui vobis ab Israële incutitur , fore immunes ; quamobrem ne lætemini de regis interitu. Etsi enim contritum est jugum , hoc est servitus , quæ vobis fuit imposita a conculcantibus vos , et pro sua auctoritate flagris cædentibus , tamen ex semine serpentum egredientur fœtus aspidum. Achazi posteritatem significat. Quod si hic habuit serpentis amaritudinem , ob idque insultatis ipsius morti, insurget in vos ex hujus serpentis semine soboles aspidum, et rursus prodibit illarum proles. Per hunc Scriptura ostendit amaram fore regum sequentium successionem. Volabunt enim , inquit , aspides, reptiliumque venenum , et volatilium pernicitatem habebunt. Deinde quoniam ad Dominum pertinet genealogiæ series , Scriptura , continuatione orationis intercisa , transit ad bonam pollicitationem. « Pascentur enim , inquit , pauperes per » eum. » Ecquis est qui pascit pauperes, nisi pastor ovium? Mendicos autem dicit non eos, qui pecuniis carent, sed eos qui mentis sunt inopes [1]. Hi autem pauperes, qui prædicantur ab ipso Domino beati (ait enim : « Beati pauperes spi» ritu [2]) , In pace requiescent , fame vero interficiet semen » tuum. » Disperibit fame alienigenarum semen , et reliquiæ eorum e medio tollentur.

XII. Qui pravis nutriuntur sermonibus , ii addicuntur esuritioni , ad animarum suarum utilitatem. Nam magistri eos ad nequitiam instruentis penuria , bonæ habitudini

[1] Joan. x, 14. — [2] Matth. v, 3.

animæ occasionem præbet et saluti. Hunc autem sensum recipere potest isthæc sententia. Lætetur nemo, cum jugum, quod sibi incumbit, atque a percutiente se impositum est, contriverit. Nam plaga, quæ per sermonem infligitur, et exprobratio, quæ per ipsum fit, cædens flagris et castigans ejus, qui lapsus est, conscientiam ob peccata, fit plerumque ei, qui jam ad salutem per Christum datam vocatus fuerat, ansa et occasio ad jugum Christi conterendum. Cum enim quispiam non fert molestiam ex reprehensione et objurgatione ortam; instar equi et muli reluctans et rebellis factus, seque e Dei servitio eximens, et subjiciens se peccato, lætitia in Deo fruenda indignus est. Itaque multo præstat patienter tolerare sermonem objurgatorium, quam indigne ferentem jugum ejus, qui se percutit, conterere. Sed qui non contriverint, imo qui visitationem ad erudiendum idoneam sustinuerint, hi ob cordis humilitatem appellati pauperes, per eum pascentur. Finis siquidem bonæ disciplinæ, illa sunt pascua promissa, de quibus Salvator ait: «Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet [1].» Quin et Propheta dicit: «In pascuis pinguibus pascam »eos [2].» Itaque inopes homines in pace requiescent, si modo non neglexerint Domini disciplinam, neque animo conciderint, ab ipso correpti. Semen autem alienigenarum interimetur fame, pœnam ob contritum jugum perferens, alimentorum videlicet penuriam.

XIII. «Ululate portæ civitatum, et clament civitates »turbatæ, Allophyli omnes; quia ab aquilone fumus venit, »et non est, ut sit. Et quid respondebunt reges gentium? »Quia Dominus fundavit Sion, et per eum salvabuntur »humiles populi [3]. Ululate, inquit, portæ civitatum.» Hæc comminatio adhuc Allophylis intenditur. «Et clament civi»tates turbatæ.» Clamore, inquit, compleantur præ tumultu,

[1] Joan. x, 9. — [2] Ezech. xxxiv, 14. — [3] Esaï. xiv, 31, 32.

qui ex timore inter incolas suscitatur. Ululent quidem portæ propter obsidionem susceptam ; civitates vero clament, hoc est, incolæ civitatum. Imo ne Allophyli quidem ruri et in agris habitantes , quiescant. Qui enim ab aquilone venit fumus, omnes similiter tum civitates tum rusticanos apprehendet. « Ab aquilone enim venit fumus. » Ponit ob oculos imbecillitatem Allophylorum; quippe fumi eruptionem non perferunt , nedum succensum ab Allophylis ignem sustineant. « Fumus ab aquilone venit ; et non est, » ut sit. » Non , inquit , in semetipso subsistit : nec substantiæ corporis rationem natura fumi admittit. Est enim acer vapor , quem e materia suffumigante emissum fert ignis sursum. Quod si turbantur Allophyli fumo , quæ natura est non subsistens , quid reges gentium dicturi sunt , Israëlis regionem videntes in pace ? Ecquid aliud , quam quod « Dominus fundavit Sion ? Et per eum salvabuntur » humiles populi. » Ipse fundamenta Sion immota et inconcussa substruxit ; nam Deus ipse artifex est et conditor supernæ civitatis. Salvi autem in ea fient , non qui valent pecuniis , non qui fortes sunt corpore, non qui sunt in rebus bellicis exercitati, sed, inquit, « Humiles plebis ; » quandoquidem « Infirma mundi elegit Deus [1] , » ut per ea potestatis suæ præstantiam commendet.

XIV. Cæterum ne omnino sententiam hanc inexploratam et citra contemplationem prætermittamus ; agedum si fieri potest , occasionem quamdam et subsidium ex nominum interpretatione ad majorem eorum, quæ dicta sunt, explanationem arripere conemur. Invenimus nomen « Phy» listhæum » in linguam græcam conversum, sonare « Caden» tes potu. » Vide igitur num temulentos et impudicos, qui suam ipsorum animam addicunt phialis et poculis , ac postea juxta proverbium ambulant pistillo nudiores, appel-

[1] 1 Cor. 1, 27.

lare possis per tropologiam, « Cadentes potu, » hoc est, potus immoderatione. Hi autem cadunt potu, quod non queant ascendere ad altitudinem regni Dei, Paulo luculenter dicente : « Ebriosi regni Dei hæreditatem non accipient [1]. » Sunt enim casus multi, variæque causæ, cur nos ab illa altitudine excidamus, nec pertingamus ad brabium supernæ vocationis [2]. Causa autem una hæc est, nec minima, bibendi scilicet cupiditas et studium. Horum igitur temulentorum portæ jussæ sunt edere ululatum. Portæ, inquam, per quas merum advectum accersit malorum turmam. Vias igitur, quibus peccatum committitur, jubet Scriptura ad ululatum confugere, adeo ut ore ingemiscat, qui per os peccatum admisit ebrietatis. Civitates autem harum portarum ipsi sunt animæ sensus, in quibus pravarum cogitationum conventus, cupiditatum multitudo, crapulæ et ebrietates diversantur, quæ ob phantasiam, a vino in eis excitatam, exturbatæ et confusæ, eam, quæ intellectum omnem superat, pacem non habent [3]: imo semper agitantur et commoventur. Eam ob causam clamaverunt. His infert nunc fumum aquilo, de quo dixit Salomon : « Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur [4], » hoc est, spiritus durus, qui refractarius ac contumax fuit coram Omnipotente, suumque cor obduravit. Hic, quem nonnulli dextrum etiam vocant, ipsis fumum affert, occasionem scilicet materiamque lacrymarum. Quinam autem sunt, nisi hi qui judicium mentis corruptum habent, et ordine inverso de rebus ferunt sententiam; qui dicunt amarum, dulce, et dulce, amarum; qui ponunt lucem, tenebras, et tenebras, lucem. Hi ab eo, qui se in angelum pacis transfigurat, decepti et subducti, hunc ipsum licet sinistrum et vitandum, vocant dextrum. Aquilonem autem

[1] 1 Cor. vi, 10. — [2] Philip. iii, 14. — [3] Id. iv, 7. — [4] Prov. xxvii, 16.

pro adversaria potestate usurpari planum est ex his verbis, « A facie aquilonis exardescent mala [1] : » quod dictum est in visione ollæ succensæ. Qui autem sunt hujusmodi, esse desierunt. Nam in eis cum non sit qui vere est, ideo dictum est : « Et non est, ut sit. »

XV. « Et quid respondebunt reges gentium ? quia Dominus fundavit Sion, et per eum salvabuntur humiles plebis. » Quia igitur nemo est Allophylorum qui sunt quidem, sed facti sunt tanquam non sint propter suam ipsorum malitiam : « Deficiant enim, inquit, peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint [2], » non quod abeant in nihilum, sed quod semoveantur a conspectu Dei, qui ille ipse est, qui vere est. Quid dicturi sunt reges eorum, tantam illam gentium et Sion diversitatem videntes ? Nonne intelligent eos, qui gentium more ambulant, agitari et conturbari ob suam ipsorum nequitiam, eos vero quorum mens purgata est, tranquillos esse et pacatos ; quæ mens appellatur Sion, quod inde natura omnis inspiciatur. Nam a mentis sublimitate velut a summo vertice et mundus et rectus illius ordo consideratur, et per hæc Deus. Quinetiam res mundi et earum vilitas spectantur. Quemadmodum igitur animus vino aliisque vitiis immersus, præ ebrietate cadit, ita animus purus Deum habet sui ipsius fundatorem. « Et per eum humiles plebis salvabuntur. Beati siquidem pauperes [3] : » et, « Væ divitibus, quoniam recipiunt consolationem suam [4]. »

[1] Jer. I, 14. — [2] Psal. CIII, 35. — [3] Matth. V, 3. — [4] Luc. VI, 24.

CAPUT XV.

I. «Verbum Moabitidis[1].» Collige simul ea, quæ de Moab scribuntur, ut totius prophetiæ, quæ adversus eum profertur, intelligentiam possis consequi. Ex Genesi quidem quæ spectant ad Lot, qui ex filia sua natu majore genuit Moab Moabitarum patrem[2]: ex libro vero Numerorum, quæ post erectum serpentem æneum acciderunt. Nam «Profecti » sunt filii Israël, et castrametati sunt in Oboth, et abeun» tes ex Oboth, castrametati sunt in eremo, quæ est contra » faciem Moab[3].» Adjicienda sunt etiam quæ referuntur de Balac, qui erat Sephor filius, rex Moab[4]. Hic cum Israëlem vellet perdere per maledictionem, misit ad Balaam filium Beor in Pathura, hariolum[5], ejus consilii quod de fornicatione et idololatria datum erat, auctorem, per quem, inquit, populus cum filiabus Moab pollutus est, ac eum vocaverunt ad sacrificia idolorum suorum[6]. Perscrutare etiam quæ scribuntur de Ruth, ex semine prognata Moabitarum, quæ Israëli sociata est[7], et ad eam pervenit generis claritatem, ut non David solum, sed etiam Dominus noster ex ea originem traxerit[8]. Atque operam da, ut undelibet eruas Moabitidis nomen, quo figurate in Scriptura exprimuntur alia quidem in comminationis modum, alia vero in modum pollicitationis. Dicta enim sunt omnia obscure, ut velamen lectioni Veteris Testamenti superpositum a nobis auferatur, si modo ad Dominum vere conversi, molestia afficiamur.

[1] Esaï. xv, 1. — [2] Gen. xix, 37. — [3] Num. xxi, 10, 11. — [4] Id. xxii, 2. — [5] Id. v, 6.— [6] Id. xxv, 1, 2.— [7] Ruth. 1, 4.— [8] Matth. 1, 5.

II. « Noctu peribit Moabitis : noctu enim peribit murus » Moabitidis [1]. » Quod noctu irrogatur supplicium, solet esse acerbius. Nam cum cuipiam aliquid accidit adversi interdiu, lux ipsa eorum, quæ fiunt, solatium est et levamen : nox vero vel ex se ipsa est quiddam triste et tetricum. Quod si ærumnas et calamitates adjunctas habeat, dolorem et molestiam non parum auget. Tibi igitur velim animo fingas nocturnam hostium irruptionem et inopinam incursionem, mulierum ac liberorum servitutem, opum direptionem, cædem eorum qui in manus hostium venerint, mœnium eversionem, incendium civitatis. « Noctu igitur » peribit murus Moabitidis. » Nam mœnium ambitu vastato, necessario etiam simul disperibunt qui sibi in ipsis proponebant securitatem. « Dolete igitur, inquit, in vobismet» ipsis. Peribit enim et Decbon, ubi est ara vestra : illo as» cendetis ad plorandum [2]. Dolete in vobismetipsis. » Beatus est quidem quisquis animam puram consecutus, nullam, quæ sibi propria sit, habet mœrendi materiam : sed quoniam « Charitas non quærit quæ sua sunt [3], » dolente membro, dolet simul et ipse, simulque affligitur, et flet cum flentibus, juxta Apostolum multos, qui ante peccaverant, nec egerant pœnitentiam, lugentem [4]. Qui rursus ait : « Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo » pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum car» nem [5]. » Quod si quispiam non est ejusmodi, sed in suis volutatur peccatis, hic suimet causa sit mœstus, ut qui ab hoste, adversus quem est luctatio, victus fuerit et superatus. Hujus tristitia lætitiam parit ei, qui ipsum doctrinæ verbis ad conscientiam revocat. Quemadmodum enim pharmaca, quæ urunt et cruciant, ulcera, fœtoremque ex pure effusum, et vulnera corrupta extergunt, corporaque red-

[1] Esaï. xv, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] 1 Cor. xiii, 5. — [4] Rom. xii, 15. — [5] Id. ix, 2, 3.

dunt magis idonea ad eam, quæ suo loco fit, obductionem : haud dissimilem sensum habere mihi videtur illud, «Dolete » in vobismetipsis, » quod dicitur adversus eos, qui sapientiæ alicujus nomine gloriantur, cujusmodi sunt hæreseum præsides, noctu pereuntes : quippe « Omnis qui mala agit, » odit lucem, et non venit ad lucem [1]. » Et quoniam qui in nocte versantur, nocte peribunt, noctu etiam excidit eorum murus, hoc est, sophistica munimenta, quibus subsidentes magnam quamdam securitatem ex his ostendere videbantur. Dialectica enim veluti murus tuetur ac servat hæreses falsa scientia innixas : qua collabente, ululent necesse est, qui capti fuerunt ac expugnati. « Dolete igitur in » vobismetipsis, » cum perierint.

III. Decbon quoque est digna, quæ pereat, ubi ædificatum est vestrum templum. Ad interpretationem eum attendimus animum, quid sit Decbon intelligimus. Etenim si interpreteris, Decbon idem sonat, quod « Fluxio eorum. » Quemadmodum igitur veritatis sermo firmus est et stabilis, fundatus et immotus : ita et qui radicatus est in fide, comparatur homini fundamentum supra petram collocanti [2]. Quin et Manna fuisse dicitur veluti terræ glacies, Scriptura divina firmitatem quamdam et soliditatem per congelationem ostendente [3] : sic dogmata contraria, suasionesque eorum patronæ, fluxa sunt et instabilia, nec consistere queunt ; et ipse mendacii pater « In veritate non stetit [4]. » Itaque mendacii instabilitas fluxio nominata est. Doleant igitur qui talia ædificant, et a quibus de Deo sermones habentur instabiles et infirmi. Hæc est enim ara, adversus quam lata sententia est in ruinam Decbon, ubi ædificata est ara. Ascendite igitur flentes, nequaquam sacrificia offerentes, sed pœnitentiam agentes ob preces, quas olim

[1] Joan. III, 20. — [2] Matth. VII, 24. — [3] Exod. XVI, 14.— [4] Joan. VIII, 44.

male adhibuistis : quippe precatio facta est vobis in peccatum. Quisquis enim creaturam colit loco Creatoris, nec adorat Filium, neque Patrem per Filium, sed propria sibi struit dogmata, et in aris extraneis laudationis suæ hostiam offert, is fleat, cum tristitia, quæ secundum Deum est, salutem aud pœnitendam conciliatura sibi sit. Hæc autem non de iis solum dicta sunt, qui suam de Deo opinionem mutuati sunt ex hæreticorum placitis, verum etiam de quibuscumque, qui res fluxas probantes, suam spem in his reponunt, nequaquam ei obtemperantes, qui dicit : « Divitiæ » si affluant, nolite cor apponere [1] ; » et de iis quoque, qui splendorem carnis et gloriam ultra modum admirantur, « Quæ fœnum est et gloria eorum ut flos fœni [2]. » Talis est etiam carnis et sanguinis pulchritudo, in qua mulier insipiens, quæ comparatur inauri in naribus suis, sese effert [3]. Et in summa omnibus, qui in errorem incidunt, accommodari poterit nomen Deebon ; adeo ut dixerit quis non inepte eos, qui sive vita, sive sermone aberrant, in Deebon aram habere. Flentes igitur ascendant, qui ob id ipsum quondam efferebantur.

IV. « Super Nabay Moabitidis ululate : super omne caput » calvitium : omnia brachia excisa. In plateis ejus circum- » cingimini saccis, et plangite super tecta ejus, et in vicis » ejus omnes ululate cum ploratu. Quia clamavit Esebon, » et Eleale : usque ad Jassa audita est vox ejus. Propter hoc » lumbus Moabitidis clamat : anima ejus cognoscet : cor » Moabitidis clamat in se usque ad Segor. Vitula enim trima » est in ascensu Luith. Ad te flentes ascendent via Aruniim : » clamat contritio, et concussio. Aqua Nebrim deserta » erit : herba siquidem viridis non erit. Numquid et sic » salvanda est ? Inducam enim super vallem Arabes, et ca- » pient eam. Attigit enim clamor terminum Moabitidis Ga[...]

[1] Psal. LXI, 11. — [2] 1 Petr. 1, 24, et Esaï. XL, 6. — [3] Prov. XI, 22

» lim, et ululatus ejus. Aqua autem Decbon replebitur san-» guine. Inducam namque super Decbon Arabes, et tollam » semen Moab, et Ariel, et residuum Adama mittam quasi » reptilia in terram [1].» Invitat ad « Tristitiam quæ secundum » Deum est [2], » eos, qui per humani intellectus commenta prolapsi sunt in errores, nec se permiserunt spiritus præsidio, ut ululatu prosequerentur terram pestilentium magistrorum. Etenim per Nabay tales indicare mihi videtur Scriptura, quod Nabay nomine « Sessionis » interpretentur. Sunt enim nonnulli, qui cum sophismatibus dolosis et fucum facientibus sedent, et pravis suis colloquiis nonnunquam « Corrumpunt bonos mores [3]. » Oportet itaque ut ii, qui perversis illorum dogmatibus imbuti sunt, agant pœnitentiam, ululentque ob eam doctrinam, de qua valde superbiebant. Nam verborum horum, « Super omne caput » calvitium, » is est sensus, ut debeant magistros suos deserere, accepto ab eis ornamento se spoliare, monita ipsorum ad doctrinam practicam spectantia bono vitæ instituto elevare, et sermone sano quasi resecare, ut brachia omnia sint excisa, hoc est, præcepta practica sano sermone confutentur pravis documentis divisis, et particulatim expensis. Sed quia a pravis deducti fuerunt per viam latam, ideo eos, qui probatum vitæ genus sunt amplexi, plangere in plateis jubet, ob suavitatem rerum quibus ad voluptatem pellecti sunt, pœnitentiam agentes, lugentes quidem in platea, inquirentes vero viam angustam et strictam, ut pœnitentia rite peracta, circumcingantur saccis, sumptoque lugubri habitu, efficiant ut per res ipsas visibiles clamet lumbus, in iis locis, in quibus aberravere, pœnitentiæ suæ vestigia relinquentes. Insuper super omni tecto et in omnibus vicis cum fletu ululare jussi sunt. Nam excelsas

[1] Esaï. xv, 3, 9. — [2] 2 Cor. vii, 10. — [3] 1 Cor. xv, 33.

et inanes disciplinas vocavit tecta : at cogitationum quasi divisiones vicos Moabitidis dixit.

V. Sive igitur quis ascenderit in altitudines « Quæ se ex» tollunt adversus Dei scientiam [1], » sive occupatus fuerit in dialectica quadam partitione verborum et problematum, quæ de singulis rebus propositis distincte tractare videntur, ululet pœnitentia ductus, ut quod scriptum est impleat : quippe in plateis, et super tecta, et in omnibus vicis clamorem edi jubet Scriptura. Idcirco autem hæc fieri oportet, quia clamavit Esebon. Esebon enim, si quis interpretetur, sonat « Ratiocinationem : » Eleale autem, « Dei » ascensum : » Jassa vero, « Factum præceptum. » Clamavit igitur Esebon, hoc est, Moabitarum documenta ratiocinationes humanas esse manifesto declarat, non divinorum mysteriorum revelationes. « Et Eleale. » Atque hæc reipsa clamavit eos, qui ad illas disciplinas mentem appellunt, adversus Deum impudenter agere, seque contra eum efferre. Hunc enim sensum indicat « Dei ascensus, » ceu animus ad superbiæ fastigia elatus. « Et Jassa. » Etsi videtur esse « Factum præceptum, » tamen revera præceptum impletum non est : sed est simulatio quædam diligentiæ circa vitæ rationem, qua prava documenta ab animo pravo suggesta, suaderi et excipi queant. Eam ob causam dictum est supra : « Omnia brachia excisa, » ut si quis malus magister opinionibus falsis deceperit sectatorum animas, sed accuratius vitæ institutum amplecti videatur, tamen ii, quos pœnituit adhæsisse ejusmodi magistro, resecent sua ipsorum brachia, hoc est, vivendi genus practicum. Cæterum detondent ejus quasi comam, eamque a suo corpore separabunt : quandoquidem qui corpori ecclesiarum præficiuntur, iidem loco capitis sunt. Itaque clamat etiamnum Jassa, quod ingens studium circa vitæ rationem adhibitum, illi-

[1] 2 Cor. x, 5.

cium quoddam sit ad persuadendam veritatem. Hæc est igitur causa ejulandi cum planctu, quod clamavit Esebon et Eleale usque Jassa.

VI. « Propter hoc lumbus Moabitidis clamat. » In plerisque locis lumbus sumitur pro genitalibus membris : « Adhuc enim in lumbis patris sui erat, » nimirum Levi filius Abrahæ, « Quando obviavit ei Melchisedech [1]. » Et, « Sint » lumbi vestri præcincti [2]. » Intelligimus indicari appetitus, qui generationi subserviunt, reprimendos esse. Luctus igitur Moabitidi imminens, qui causa est et origo continentis et pudicæ vitæ, clamat ob vociferationem Esebon, et Eleale, et Jassa. « Anima ejus, inquit, cognoscet. » Jam Scriptura progressum ostendit eorum, qui prædicta per pœnitentiam exsecuti sunt. Et, « Cor Moabitidis clamat in se usque ad » Segor. » Est autem Segor is ipse locus, ad quem Lot, e Sodomis egressus, pervenire potuit. Volebant enim Angeli, in montem ut conscenderet, eique dicebant : « Salvam fac » tuam ipsius animam. Ne respicias retro : nec stes in omni » circumjacente regione. In montem te recipe, ne forte simul comprehendaris. Ille autem dixit : Quæso, Domine, » ne apprehendant me hæc mala, et moriar. Ecce civitas » hæc prope est, ut confugiam ego huc. Nonne parva est ? » et vivet anima mea [3]. Eam ob rem vocatum est nomen » urbis, Segor [4] : » hoc est, « Parva. » Clamat igitur cor Moabitidis usque ad Segor, quæ nunc in Palæstinæ finibus jacet. Strenuam itaque ac efficacem pœnitentiam, sive gravem luctum ob suorum malefactorum plagam editum ob oculos ponens Scriptura, nobis patefacit intervallum, ad quod usque exauditus est Moabitidis clamor. Invitat autem pœnitentia, ut quis prius in seipso clamet, corque suum conterat : deinde etiam ut pœnitentiæ suæ modum audiendum curet, cumque notum efficiat, ad bonum exemplum

[1] Hebr. VII, 10.— [2] Luc, XII, 35.— [3] Gen. XIX, 17-20.— [4] Ibid, 22.

aliis præstandum. « Vitula enim trima est, hoc est, » perfecta est, quod ad ætatem attinet. Nam trima vitula jam generare, jugoque collum submittere potest. Itaque ut doceat id eorum, qui converti possunt, proprium esse, ut humana ætate perfecti sint et adulti, polleantque ratione, qua se veritatis jugo subjicere possint, dixit vitulam trimam. Qui enim per ætatem nondum assecutus est humanam perfectionem, necdum possidet mentem perfectam, sed imperfectus est ob minorem ætatem, neque ab eo exiguntur pœnitentiæ opera. Quapropter et in Genesi Abraham a Deo signum requirente, et dicente : « Dominator Do» mine, quomodo sciam me hæreditatem terræ esse accep» turum [1] ? » Deus dixit : « Accipe mihi juvencam trimam et » arietem trimum [2] : » quippe in tribus annis perfectionem constituebat animalium, et idoneam generandi facultatem eligebat. Sed turturi et columbæ nullum præscripsit temporis spatium [3], quod hæc animalia generare statim incipiant.

VII. « In ascensu autem Luith flentes ascendent [4]. » Fletus bonus initium est lætitiæ, et tristitia, quæ secundum Deum est, initium est ascensus, et ejus, qui ad superna fit, progressus. Quamobrem et Apostolus lætatur causa eorum, qui fuerant contristati, cum videret eos suis ipsius sermonibus ad suorum delictorum conscientiam fuisse adductos, et ad eam, quæ secundum Deum est, tristitiam [5] inductos, videlicet ad pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam. Nam qui lugent ob prava opera, et ob perversas suas cogitationes, non amplius descendent, neque ingredientur in infimas terræ partes : sed ascendent, ea, quæ secundum Deum est, tristitia tanquam adminiculo quodam usi, quo evehant se sursum et attollant. « Clamat autem contritio

[1] Gen. xv, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. — [4] Esaï. xv, 5. — [5] 2 Cor vii, 9.

» et concussio. » Sermo enim, qui redarguit et objurgat, conterit pravam mentem, et quodammodo cogitationes vitiose insitas exagitat et concutit, ut ipsæ quidem tollantur radicitus, sententia vero, quæ sana sit, introducatur. Quare « Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet [1]. » Nam peccandi habitu stante, necdum concusso, neque flebunt peccatores, neque ascendent ad superiora. Sed pravo affectu contrito, et anima veluti concussionem quamdam et perturbationem ob perversa dogmata patiente, auditur clamor, ad eorum qui audiunt utilitatem.

VIII. « Aqua Nebrim deserta erit [2]. » Nimirum aqua falsæ opinionis, quæ prius affatim et abunde fluebat ad eorum perniciem, qui eam excipiebant, e medio, inquit, tolletur, et deserta erit. Quod si daretur vim hujus nominis nosse, posset inde arripi occasio aliqua intelligentiam sensus prophetici melius assequendi, et nominum significationem ipsis rebus accommodandi. Cæterum aqua illa aquæ refectionis [3], qua quos Dominus a se pastos enutrit, contraria est et adversa, estque aliena ab illa aqua, quam Dominus iis, qui in se credunt, impertit : potu cujus quisquis fuerit dignatus, habet in se « Fontem aquæ salientis in vitam » æternam [4]. » Ita autem illa aqua mala est et nihili facienda, ut alat nihil aliud nisi fœnum, quod et ipsum non erit. Hoc est, animæ temporariam hanc et ocissime marcescentem mundi gloriam sequi edoctæ, sermone, qui eas quasi irrigabat, vastato ac deleto, confestim immarcescent. « Numquid et sic salvanda est ? » Scriptura ostendit futurum esse, ut Moabitis viis quibusdam ac vitæ institutis salva fiat, atque disciplina asperiore perducatur ad salutem. Nam illud : « Peribit Moabitis, » et « Nocte peribit, » et alia quæcumque dicta sunt huc eo referuntur, quod isthæc pro

[1] Psal. L, 19. — [2] Esaï. XV, 6. — [3] Psal. XXII, 2. — [4] Joan. IV, 14.

illius salute fiant. « Inducam enim super vallem Arabas. » Consequentur salutem priores quidem fletu suo : alii vero, quorum cor pœnitens non est, plaga per Arabas inducenda. Cæterum Arabes occidentales, aut forte virtutes tenebris similes hoc loco dicuntur Arabes : quarum opera emendatrices vindicesque plagæ in eos, quorum cor pœnitentiam refugit, immittuntur. « Pertigit enim clamor ad terminum » Moabitidis Gallim, et ululatus ejus[1]. » Confinium Moabitidis vocatum est Gallim. Sed juxta nominis interpretationem idem valet atque Arietinum, desumpto nomine ab animali principe et duce. Quoniam igitur idem potest esse finis et initium regionis, nunc Moabitidis regio ab initio appellationem suam duxit. « Et ululatus ejus omnia im» plevit. »

IX. Rursus aquam vocat doctrinam, quam ait esse sanguine plenam, quod mali præceptores rei sint mortis discipulorum. Quare de sermonibus exitiosis, et qui animas perimunt, cum loqueris, tum opportune uteris prophetica sententia, quæ dicit : « Aqua autem Deebon re» plebitur sanguine[2]. Inducam enim super Deebon Arabas, » et tollam semen Moab, » quod minime transiit ad meliora, sed inter eos, qui non ingrediuntur in Ecclesiam Domini, remansit. Tolletur semen Moab : Moabitæ namque non introibunt in Domini Ecclesiam usque ad decimam generationem, et usque in sæculum. Id Scriptura comminatur exterminatum iri, quod semen Ariel vocat. Hebræi autem Ariel nomine leonis interpretantur. Sane et Dominus ipse ait homicidas ex diabolo esse natos, ubi Judæos alloquitur, eorum animum mortis ipsius cupidum videns : « Vos ex » patre diabolo estis, et opera patris vestri facitis : ille ho» micida erat ab initio[3]. » Et quidem desertores Ecclesiæ semen sunt Moab : semen vero Ariel ii dicuntur, qui an-

[1] Esaï. xv, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Joan. viii, 4.

helant fratrum cædem, ac perniciosis sermonibus animabus eorum mortem afferunt. Postea ait : « Residuum Ada-»ma, » quod significat virginalem terram, ex qua formatum est Adami corpus. « Mittam quasi reptilia in terram, » hoc est, homines reliquos, qui terrena sapiunt, quod ex sua malitia ac pravitate geniti sint serpentes, et animalia venenum ejaculantia. Sunt quidem serpentes, quia eam amisere sublimitatem, in qua fuerant constituti juxta primam suam conditionem : sunt vero animalia virulenta, quia exitio sunt occurrentibus. Hos mitti dicit Scriptura. Itaque post priores illos Moabitas, de quibus dicta sunt meliora, si quis in terra supersit, et serpenti similis evadat, de quo dictum est : « Terram comedes omnibus diebus tuis[1], » hic immittitur quasi reptilia. « Quisquis autem seminat in » carne, comedit terram, et ex carne metit corruptio-» nem[2]. »

CAPUT XVI.

I. « Num petra deserta est mons filiæ Sion ? Eris enim » sicut avis avolantis pullus ablatus, eris filia Moab. Deinde » vero Arnon plura delibera. Facite tegmen luctus ei sem-» per. In meridianis tenebris fugient, obstupuerunt : ne » abducaris : habitabunt juxta te profugi Moab. Erunt te-» gumentum vobis a facie persequentis, quia sublatum est » commilitium tuum, et princeps periit qui conculcabat a » terra. Et restaurabitur cum misericordia thronus : et » sedebit cum eo cum veritate in tabernaculo David, ju-

[1] Gen. III, 14. — [2] Gal. VI, 8.

» dicans et quærens judicium, et accelerans justitiam[1]. » Sermo etiamnum ad Moab spectat. « Num petra deserta » est mons filiæ Sion? » Reprehendit ejus contemptum, quo prosequebatur Sion. Nam existimabat montem hunc esse petram desertam, ac si nulla ei inesset amplitudo memoratu digna, neque agriculturæ bona posset excipere, adeo ut nec incolas nec cultores suos aleret. Tu enim quæ ita sentis de eo monte, ac illum aspernaris, quæque supra modum arrogantia ac fastu turges, ac te ipsa effers cum jactantia et superbia, assimilis eris pullo, a fovente se ave destituto, postquam perterrita e nido avolavit, alumno suo citra custodiam derelicto. Nam fugiente ave, pullus cuivis volenti est captu perquam facilis. Aquila quidem, aut si qua alia sit magnarum avium, quæ sese longe a terra evehere soleant, ab iis, qui sibi afferre perniciem conantur, tuta est et secura : tu vero eris quasi pullus opis alienæ indigus ad comparandum alimentum, qui nuper prodiit ex ovo, et cujus corpus ne profundis quidem alis est circumvestitum, sed qui adhuc alieno eget tegumento, ut calefiat noctu, et interdiu non torreatur. Matre igitur sibi fuga consulente, e nido detraheris, cum neque repellere injuriam, neque fugere possis. Cæterum erit idem, qui et te deturbabit e nido, et qui matrem, quæ te protegebat, fugabit. Animas igitur a pravo et instabili spiritu enutritas, ubi quempiam, qui eas per bona opera et per invocationem nominis Christi insequatur viriliter, nactæ fuerint, bonaque peropportune orbitate orbatæ fuerint, palam est fieri expeditiores ad sumendam Christi alimoniam, qua provehantur ad perfectionem. Filia Moab, detecta tua infirmitate, reliquum illud eris. Quid eris, filia Moab? Quid sis, compertum erit et perspectum. Oblita es enim tuæ ignobilitatis, nempe te ex patre, qui ex fur-

[1] Esaï. xv, 1-5.

tivis nuptiis originem traxit, prognatam esse, tua matre ob noctem et vinum semen paternum suffurante [1].

II. « Deinde vero Arnon plura delibera. » Quandoquidem nihil tibi, o Arnon! attulere emolumenti consilia priora, neque profuit de dogmatibus cum omni philosophia connexis multas questiones philosophicas habuisse, multiplica, si videbitur, consilia. » Videtur per ludibrium et ironiam exhortari Arnon ad stulta consilia capienda, ut vanis suis exsatiata consiliis, et eorum edocta inutilitatem, hoc pacto accedat ad sanam doctrinam. Est autem Arnon, oppidum moabiticum, et hoc uno oppido Scriptura nobis indicat omnem Arabiæ locum. Fuit autem nomen Arnon antepositum ob ejus significationem ab interpretibus allatam: Arnon siquidem, si interpreteris, sonat « Illustrationem eorum. » Quoniam igitur ii maxime, qui multum efferuntur ob sapientiæ suæ existimationem, versari in luce suum animum putant, etiamsi reipsa sint mente excæcati, et alienati a Deo, ideo Propheta adversus eos loquitur, qui se arbitrantur manere in luce cognitionis et scientiæ.

III. Dein hortatur et admonet. « Facite tegmen luctus » ei semper. » Deusti sunt Nadab et Abiud, oblato in ara igne alieno [2]. Et qui non recepere veram lucem, imo qui eum « Qui se transfigurat in lucis angelum [3], » suscipiunt, si intelligant se in falsa scientiæ opinione versatos fuisse, et aberrasse se a veritate, necessario semetipsos lugebunt. Eam ob rem Scriptura transtulit consilium ad eos, qui eorum curam habebant, et dicit: « Facite tegmen luctus » ei semper. » Qui enim mœrorem creant et molestiam ob peccata, quæ admittuntur tum in iis, quæ attinent ad vitam, tum in iis, quæ ad doctrinam, sic ut nonnulli ad beatum luctum pertingant, ii faciunt tegmen luctus. Vidi ego quosdam, qui immodico dolore correpti, includerent

[1] Gen. XIX, 33 et 37. — [2] Lev. X, 1. — [3] 2 Cor. XI, 14.

se in cubiculo, et lucis aditu omni obturato, veluti se ipsi per ejusmodi vitam in tenebris transactam ulciscerentur. Itaque ne consueta illa, quam de sua sapientia habent, existimatio sensus eorum, decepta mente, obturbet, cum ipsa vere sit tenebræ, et tamen lux esse putetur, ait : « Facite » tegumentum luctus eis. » Nimirum, ut exclusis hæreticorum erroribus, lumini vero locum detis, quo corda eorum qui in se credunt, illustret. Prius igitur quam veniat dies Domini, in qua plangent omnes tribus terræ, juxta id quod in Zacharia dictum est : « Magnus erit planctus in » Jerusalem : sicut planctus malogranati. Et planget terra » per tribus : tribus domus David seorsum, et mulieres » eorum seorsum : tribus domus Nathan seorsum, et mu» lieres eorum seorsum : omnes reliquæ tribus, tribus » seorsum, et mulieres eorum seorsum [1]. » Vos qui edocetis populum, atque peccatores in omni vitæ articulo convertitis, « Facite tegmen luctus ei ; » ut qui prius vitio male afflictabantur, jam ad beatum luctum sermone vestro inducantur.

IV. « In meridianis tenebris fugient [2]. » Lux in meridiano diei statu videtur clarior esse et splendidior. Quapropter cum veritas per mundi creaturas ab iis, qui animum suum ad rationes creaturarum percipiendas solerter adjungunt, deprehendi queat et intelligi ; qui in mundo degunt, Deique sapientia undique collustrantur, et tamen Dei ignorantia laborant, hi versantur in meridianis tenebris : quippe res quidem meridiem præ se ferunt, sed nihilominus tenebræ in horum ignarorum animis existunt. Tales itaque fuga in meridianis tenebris capta, mente alienati sunt, quod eorum dogmata a phantasia, quam sibi insanientes fingunt, nihil differant. Atque tenebras meridianas interpretari licet alienationem mentis : quandoquidem et

[1] Zach. XII, 11-14. — [2] Esaï. XVI, 3.

qui morbo aliquo a sana mente dejecti sunt, neque illucescere solem, neque aërem luce circumfundi opinantur. [illegible] a[illegible]ue rebus adeo claris potentiam Conditoris nostri præca[illegible]ntibus, fuerit vere mentis alienatio et stultitia mani[illegible] et figmentis studium impertire; iis, quæ non [illegible]m Dei attribuere; plerumque a veritate abduci per hæretica dogmata, et luce veluti deserta in tenebris diversari. « Ne abducaris. » Adhortatur nos Scriptura, ut ne a suasoriis hæreticorum verbis alliciamur, cum mente alienatos sequi perspicua sit stultitia. Scito illos mentis non esse compotes. Declinarunt de via, quæ ad Deum perducit : iis ne utaris ducibus, nequando ab ipsis in præcipitium barathrumque deducaris. « Cæcus enim si cæco » ducatum præstet, ambo in foveam cadent [1]. »

V. « Habitabunt juxta te profugi Moab [2]. » Post hæc autem a benignissimo et hominum amantissimo Deo dicitur filiæ Sion de Moabitis sese ad bonam frugem recepturis, et juxta ipsam habitaturis, qui quidem Deum olim refugerunt, sed reversuri sunt ad suum ipsorum Dominum; dicitur, inquam : « Habitabunt juxta te profugi Moab. » Et protegentur, inquit, hi apud vos, nihil a facie persequentis perpessuri. Qui enim erant aliquando commilitones, hi persecutores fient, cum eo præliaturi, quod convertentur ad Deum verum. Quoniam igitur facti sunt ut avis avolantis pullus ablatus, utique solutus est malo imperio, liberatusque principe pravo, qui omnibus per superbiam et tyrannidem conculcatis interiit : quo sublato e medio, vaticinium inducit quæ eventura essent bona. « Thronus » enim, inquit, et regnum David restaurabitur. » Itaque cum subjiciendi sint omnes Christi imperio juxta hoc dictum : « Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub » pedibus ejus [3], » thronum dixit restauratum iri, quod quæ-

[1] Matth. xv, 14. — [2] Esaï. xvi, 4. — [3] 1 Cor. xv, 25.

cumque in ejus ditionem redigentur, reparanda sint et instauranda : quod minime fit ob meritum eorum, qui potestati ejus ac imperio sunt submittendi, sed per misericordiam ac benignitatem Dei. Ait itaque : « Sedebit David, » hoc est, « Christus ipse manu ac potentia idoneus, cum veritate. Et regnabit in tabernaculo, donec judicans judicium ferat omnibus. » Ea autem quæ cum veritate fit sessio abolitionem indicat mendacii. Regnabit vero donec fecerit judicium. Ostendit ejus in omnibus justum judicium, secundum quod non temere de singulis profert sententiam : sed id, quod æquum sit ac congruum, inquirit, adeo ut judicium de unoquoque latum perducat ad bonum exitum : quippe qui festinanter acceleret urgeatque justitiam, nec remisse aut lento gradu, sed cum omni festinatione eam faciat.

VI. « Audivimus contumeliam Moab : contumeliosus » valde : superbiam ejus sustuli : et contumelia ejus, et » ira : non sic divinatio tua, non sic. Ululabit Moab : nam » in Moabitide omnes ululabunt : habitantibus Sedec » meditatio, et pudore non suffunderis. Campi Esebon » lugebunt [1]. » Hæc ab altero principio cum petantur, ita legenda sunt quasi a prioribus nequaquam pendeant. Scriptura enim, quæ non raro efficit ut auditor meliorum narratione recreetur, Deique bonitatem et futurum finem per eam fruendum inspiciat, ad convertendos nos minas resumit et supplicia. Indigemus enim plerique hujusmodi terriculis, ut ne divitiis bonitatis et tolerantiæ contemptis, juxta nostram ipsorum duritiam et cor pœnitere nescium, colligamus nobismetipsis « Iram, in die iræ et revelationis, » et justi judicii Dei [2]. » Nam aliquid tale invenimus etiam apud Psaltem : « Suavis Dominus universis [3]. » Et posteaquam multa de bonitate dixit; quod eos qui corruunt,

[1] Esaï. xvi, 6-8. — [2] Rom. ii, 4, 5. — [3] Psal. cxliv, 9.

suffulciat, « Detque escam in tempore opportuno [1], » nequaquam in his se continet, sed subjungit : « Custodit » Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disper» det [2]. » Itaque et hic cum prolata verba multum ostenderint lenitatis atque clementiæ iis, qui se convertunt, rursus ab alio principio intentantur amariora : « Audivi» mus contumeliam Moab. » Dicta sunt hæc adversus mundi hujus principem, qui primus defecit, qui fuit in Conditorem suum contumeliosus, hominesque injuria afficit, et eos per contumeliam ac superbiam proculcavit. Hic est enim qui Ecclesiæ alumnos tanquam si manciparentur servituti, nihilque a servis per ignorantiam differrent, injuriose tractat. Hic convitiatur singulis : hic inducit quarumvis hæresum duces ac præfectos, ut in excelsum iniquitatem loquantur [3] : qui si quando ad quæstionem expendendam conveniant, edocet rationem quidem non excutere, sed eum, qui suorum dogmatum ineptias confutare posset, contumeliis insequi. Dominus igitur ei medelam adhibens, ait : « Superbiam ejus sustuli. » Nam cum pessimum superbiæ vitium aufertur, veluti morbus quidam aufertur : sed « Et contumelia ejus, inquit, et ira ejus. » Vitia illa peculiariter ipsi Moab competunt. Possessionum iniquarum dominus est Moab, nempe tum contumeliæ ad dedecus proximi excogitatæ, tum iræ, ceu permanentis et diu stantis iracundiæ.

VII. Deinde addit : « Non sic divinatio tua, non sic. » Exprobrat vetus consilium Moab, quod Balaam divinatio nihil potuisset detrimenti populo Israëlitico inferre, quandoquidem Dominus Deus a maledictione ad benedictionem os illius deflexerat. « Non sic, inquit, divinatio tua, non » sic. » Accersivit enim Balac filius Sephor Moabitarum rex vatem Balaam, cujus vaticinia in manibus erant, et

[1] Psal. CXLIV, 14, 15. — [2] Ibid. 20. — [3] Id. LXXII, 8.

dixit : « Maledic mihi populo huic[1]. » Non sic certe evenerunt vaticinia, ipso Balaam respondente : « Ut quid ma-» ledicam cui non maledicit Dominus? Et quid male pre-» cabor, cui male non precatur Deus[2]? » Deinde ululatum prænuntiat Moabitidi. Ait enim : « Ululabit Moab : nam » in Moabitide omnes ululabunt. » Proinde cum ululatus vox sit dolore plena, a mulieribus ut plurimum gravissimo luctu correptis emissa ; ut plagæ inflictæ acerbitatem, ita eorum, qui male afficiuntur, infirmitatem ostendit, cum dicit : « Ululabit Moab. »

VIII. « Habitantibus Sedec meditatio[3]. » Hanc vocem, quæ obscura est, explanant reliqui interpretes. Ait enim Symmachus : « Ad exultantes in muro testaceo loquimini. » Non desunt qui magnifice de se ob dialecticam sentiant, et præsidio ab ea petito tanquam muro inexpugnabili dogmata sua circumcingant. Hi igitur qui lætantur, inveniuntur in muro testaceo. Et ut planum fieret quid sit murus testaceus, adjecit illud : « Loquimini. » Ecquid autem testa fuerit captu facilius? Qui in fabulis vilibus et pro nihilo ducendis gloriantur, ii in muro testaceo loquentes, oblectantur. Hoc sibi vult illud : « Habitantibus Sedec me-» ditatio. » Et quidem bona est meditatio, meditari legem Domini die ac nocte : sed meditatio Moabitarum mala est et prava, quia erit habitantibus Sedec meditatio. Quicumque ergo fabulas ignominia dignas meditantur, nequaquam pudore afficientur. Quare « Campi Esebon lugebunt. » Irrogata pro impudentia pœna, infœcunditas est camporum Esebon. Est autem Esebon nomen civitatis moabiticæ, quæ in suburbiis sibi circumjacentibus amplum agrum habet, quæ ob flagitiosam incolarum meditationem infœcunda erunt et infructuosa, emolumentum nullum colonis suis afferentia. Quod si ex ipsa etiam verbi notione ac in-

[1] Num. XXIII, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Esaï. XVI, 7.

telligentia par sit aliquam arripere occasionem : Esebon, si quis interpretetur, idem valet quod cogitatio. Itaque vanarum ac futilium cogitationum multitudo, quæ nomine camporum designatur, ideo lugebit, quod impiorum dogmatum pravitas nihil sit sibi profectura.

IX. « Vinea Sebama : qui deglutitis gentes, conculcate » vineas ejus usque Jazer : ne conjunxeritis : errate per » desertum : missi derelicti sunt, transierunt enim mare. » Et ideo plorabunt quasi ploratum Jazer, vineam Sebama. » Arbores tuas dejecit Esebon et Eleale, quia messem tuam » et vindemiam tuam conculcabo, et omnia concident. Et » tolletur lætitia et exultatio de vineis : et in vineis tuis non » lætabuntur, neque calcabunt vinum in torcularibus : » etenim cessavit[1]. » Superius dictum est : « Campi Esebon » lugebunt. » Nunc additur : « Et vinea Sebama : » subauditur, « Lugebit. » Itaque unaquæque gens vineam aliquam habere dicitur, siculi est Sodomorum et Gomorrhæ propria quædam et peculiaris vinea. Quapropter scriptum est : « Ex vinea Sodomorum, vinea eorum : et palmes eorum » ex Gomorrha[2]. » Ita quoque quædam est Ægyptiorum vinea, quam percutit Deus, juxta dictum illud : « Occidit » in grandine vineam eorum, et moros eorum in pruina[3]. » Est autem vinea aliqua, quam plantavit Dominus. « Cantabo enim dilecto canticum dilecti mei vineæ meæ. Vinea » facta est dilecto in cornu, in loco pingui[4]. » Rursus regnum Dei appellatum est vinea : uti expressit Dominus in agricolarum parabola, qui quidem curam susceperant colendæ vineæ, sed fructus nequaquam reddebant[6]. « Auferetur enim, inquit, a vobis regnum cælorum, et dabitur » genti facienti fructus ejus[5]. » Ac si diceret : « Eloquia divina a vobis auferentur, lex scilicet et Prophetæ ; quippe

[1] Esai. xvi, 8-10. — [2] Deut. xxxii, 32. — [3] Psal. lxxvii, 47. — [4] Esaï. v, 1. — [5] Matth. xxi, 33. — [6] Ibid. 43.

quia ex illorum mente ac placitis vitam vestram minime instituistis; et eorum intelligentia genti, quæ fructum ejus per vitæ institutum faciet, dabitur. Quemadmodum igitur hic vinea dicitur sermo veritatis : ita vinea Ægypti est sermo mendax inter Ægyptios commorans, qui a principe mundi tenebrarum harum eis fuit ad colendum traditus. Vinea quoque in Sodomis plantata, ea est, quæ per flagitiosam vitæ consuetudinem a quibusvis sceleratis illic diabolo operam suam mercede locantibus excolitur. Itaque qui, rejectis Domini dogmatibus, diaboli placita discunt, ii a vera illa Dei vite sese radicitus avulsere, quandoquidem dicit : « Ego sum vitis vera [1]. » E Sodomis autem et Gomorrha sumpsere suum palmitem [2] : quapropter fructum referunt, uvam scilicet fellis, et botrum amaritudinis; et furor draconum est vinum eorum, et furor aspidum insanabilis.

X. Itaque quæ vinea dicitur Sebama (quandoquidem si interpreteris, Sebama idem sonat quod « Conversio ») forte sermo quidam est simulatus, qui quidem nonnihil pietatis et quemdam a pravis illecebris recessum præ se ferre simulat, sed per simulationem hanc non paucos pellicit in suam perversitatem. Invenias etiam complures heterodoxorum libros, qui ad morum emendationem spectent, et ad vitam rite instituendam adhortentur. Quos si intellexerimus non vere conversioni inservire, sed ideo proferri ut insidiæ pietati vulgi struantur, jure optimo dixerimus eorum culturam esse vineam Sebama : hoc est, doctrinam, ex pietate et ex sana theologia nequaquam desumptam, sed esse documenta quædam ac præcepta, quibus morum honestas, societasque et liberalitas contineantur. Id ipsum est vinea Sebama, a Moabitis exculta : quæ etiam ex se uberes fructus profert, gentes deglutire

[1] Joan. xv, 1. — [2] Deut. xxxii, 32

dicitur. Hi enim alienorum dogmatum antistites, per dialecticam, in qua sunt exercitati, et per omnem verborum peritiam quoslibet philosophiæ rudes atque hominum vulgus subigentes, eos quos capiunt, quasi deglutiunt. Proinde ad hos spectat sententia isthæc : « Vos qui deglutitis » gentes.» Postquam sermones ejusmodi contempseritis, eos conculcate. Non enim poteritis, utpote in his occupati, conjungere vos ac connectere cum Jazer, quæ, si interpreteris, dicitur « Fortitudo. » Fieri igitur non potest ut excipiatis fortitudinem, quam Spiritus confert recte ambulantibus, nisi vineas Sebama conculcetis. Obliviscamini vestræ solitudinis, nec amplius in ea permaneatis : quin potius ab ea aberrantes, eamdemque relinquentes, in locis præstantioribus immoremini. »

XI. « Missi derelicti sunt. » Sunt nonnulli pseudo-apostoli, operarii dolosi, in Apostolos Christi transfigurati, qui sunt derelicti a Deo. Cavete itaque decipiant vos, quasi reipsa viribus polleant : omni quippe auxilio destituuntur, suntque derelicti. Sed hi ipsi etiam transierunt mare. Quid autem hoc sibi velit, ita intelligendum est : « Nimirum ob id non immerito deseri aliquos, quod aliquid vituperatione dignum egerint, videlicet quod mare trajecerint. Meo quidem judicio mare accipit pro amaris tentationibus, quæ tentatis accidunt. » Tale est enim illud : « Veni in altitudi» nem maris[1]. » Enimvero athleta adversos casus non refugit, neque trajicit mare : imo iis occurrit, nullamque non adoritur tentationem. Qui autem, ne persecutiones patiantur, semetipsos gentium genio accommodant, neve in certamen descendant ac labores exantlent adversus desideria et appetitus corporis, cedunt voluptatum illecebris, hi mare trajecerunt. Postea subjungitur : « Ideo plorabo » quasi ploratum Jazer, vineam Sebama. » Haud equidem

[1] Psal. LXVIII, 3.

scio an fletus Jazer fletus sit fortitudinis, quem laudabiliter flent fortes viri, qui suam in hac vita commorationem lugentes, et de ea dolentes, animæ desiderio feruntur ac deficiunt in atria Domini [1]. Vel forte quemadmodum defletur fortitudo morbo consumpta, quod careat qui ea olim fruebatur : ita et fletus vineæ Sebama erit, utpote quæ immarcuerit, sitque igni tradenda.

XII. Deinde adversus Moabitidem dicitur : « Arbores » tuas dejecit Esebon et Eleale [2]. » Esebon igitur et Eleale arbores Moabitidis everterunt. Quid autem hisce verbis indicetur, agedum pro virili exponamus. Esebon quidem, quod ad nominis interpretationem attinet, sonat « Cogita- » tionem : » Eleale vero, « Dei ascensum. » Itaque vitis aliena, et arbores quascumque Pater cœlestis non plantavit, dejiciuntur [3] : at rectæ ratiocinationes et ascensus, qui per bona opera ad Deum nos evehit, plantationem evertunt heterodoxorum. Proinde « Beatus vir cujus est auxilium » ejus abs te : ascensiones tuæ in corde ejus [4]. » Quisquis igitur in suo corde habet Dei ascensiones, et diligenter suas observat cogitationes, dogmata hæreticorum male plantata, et perniciosos fructus afferentia, evertere poterit et expugnare. Deinceps ait : « Messem tuam et vindemiam » tuam conculcabo, et omnia concident. » Nam quando quod demetit frumentum, et quod vindemiat vinum, adversentur tum pani, qui confirmat cor hominis, tum vino quod lætificat cor hominis [5] : Deus utpote bonus ea proculcat, nec in cibum aut potum cedere sinit iis, qui damnum quod afferunt ignorantes, temere et inconsulte essent ea sumpturi. Itaque « Messem tuam et vindemiam tuam » conculcabo, et omnia concident. » Hoc etiam ad verbum potest nobis præstare ædificationem, quod non pauci jam

[1] Psal. LXXXIII, 3. — [2] Esaï. XVI, 9. — [3] Matth. XV, 13. — [4] Psal. LXXXIII, 6. — [5] Id. CIII, 15.

fructuum collectionem in manibus habentes, inopina quadam plaga per grandinem vel aliud quodvis flagellum expectatione sua fraudati sint : quippe ob hominum ingratum animum atque avaritiam, eosdem iis perfrui Deus non sinit.

XIII. « Et tolletur lætitia et exultatio de vineis : et non » lætabuntur, neque calcabunt vinum in torcularibus : » etenim cessavit [1]. » Et vero sublata est lætitia et exultatio e vineis. Ab Israëlitico populo ablatum est regnum Dei, et « Datum est genti facienti fructus ejus [2]. » Potest etiam hæc sententia accipi ad verbum; eo quod aufertur lætitia omnis ab iis, qui de spe segetis colligendæ subito decidunt. Aut quia vineam diximus esse sermonem mendacem, potest intelligi lætitiam ex falsa omni scientia animis deceptorum inditam tolli et auferri, quod a vite profecta sit, quæ lætitiæ ingenerat speciem, non veritatem, ut ne deinceps inducantur in errorem. Non enim ii lætabuntur amplius ob ea quorum coarguti sunt, qui eadem prius admirabantur : neque uvam moabiticam excolent, qui quod damnum ex ea accedit bibentibus, didicerint. Fortasse autem et torcularium nomine, animæ prava doctrina imbutæ significantur.

XIV. « Ideo venter meus super Moab quasi cithara so» nabit, et interiora mea quasi murus quem instaurasti, et » erit ad confusionem tui. Et defatigatus est Moab in alta» ribus, et ingredietur in manufacta sua, ut oret : et non » poterunt eruere illum. Hoc verbum quod locutus est Do» minus super Moab, quando et locutus est [3]. » Itaque Prophetæ venter super Moab quasi cithara sonabit, hoc est, concinne et modulate edet sonum numerosum ; quandoquidem scite et ex artis præceptis eam pulsabit. Ventrem autem appellat id quod Psaltes alibi interiorum nomine

[1] Esaï. xvi, 10. — [2] Matth. xxi, 43. — [3] Esaï. xvi, 11, 13.

designavit : ait enim : « Benedic anima mea Dominum, et » omnia interiora mea nomini sancto ejus[1]. » Qui namque interioribus suis præcipit ut benedicant nomini Domini, nisi is, qui naturæ cogitationum ab intimis præcordiis exeuntium præcipit? quarum duplex est classis. Aliæ enim pravæ sunt, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, et oculus nequam : aliæ vero sunt probæ et salutares, benignitas, temperantia, liberalitas, fausta precatio, testimonia secundum Deum reddita, oculus purus, et his similia. Is igitur cujus interiora omnia parata sunt ad benedicendum nomini sancto Dei, non ab re intimum suum affectum assumit ad gratias Deo persolvendas. Itaque et Esaïas habebat sua interiora ceu murum a Deo instauratum. Sic enim per Verbi gratiam sibi datam, qua homo interior innovatur, instructus fuerat et præparatus. Quin et ipsius cogitationes erant tanquam murus inexpugnabilis, adeo ut cogitationibus pravis, aut inimicis ad damnum inferendum circumstantibus aditus nullus daretur. Profuerit igitur nobis isthæc reputantibus, imitari, pariterque cum Propheta dicere : « Venter meus, ut cithara sonabit, et » interiora mea quasi murus quem innovasti. Et erit, in- » quit, ad confusionem tui, quia defatigatus est Moab in » altaribus. » Eumdem alloquitur. Quid ergo sibi vult illud, quod temere dictum videtur : « Et erit ad confusionem » tui? » Ideo, inquit, firmas mihi intus cogitationes elargitus es, ut qui se nunc minime convertunt ad te, confundas tu ob argumenta, quæ sibi ex inditis mihi prævalidis cogitationibus adducuntur. Deest igitur illud, « Ipsos, » sic ut sana sententia reddatur, « Et erit ut tu ipsos confundas. » Quemadmodum enim qui in bellis adversa facie consistunt, quandiu æquo marte pugnare videntur, non terga dant, neque pedem referunt, sed cum pars altera præva-

[1] Psal. CII, 1.

let, tunc cedentes se in fugam dant : ita et anima impudenter in acie stabat, nec reverebatur, sed verbo objurgatorio convicta, in pudorem et reverentiam vertitur. Et quoniam in occulta hominis parte hæc conversio efficitur, ἐντροπή, sive verecundia vocatur. Ideo ergo venter sonabit, et interiora quasi murus, quem innovavit Deus Prophetæ, ut mutentur et confundantur ad præstandam Deo reverentiam ii, qui antea utilis pudoris erant ignari.

XV. « Quia defatigatus est Moab in altaribus, et ingredietur in manufacta ad orandum, et non poterunt eruere » illum[1]. » Nunc Esaïas omnis idololatriæ destructionem in fine ex adventu Verbi futuram vaticinatur, quod omnes in construendis templis insumpti labores vani sint, infructuosaque spes in manufactis posita sit. « Nam, inquit, ora» bunt, et non poterunt eruere illum. » Hoc jam in adventu Christi completum est. Illa enim templa olim famosa pro scopulis habentur : nec ultra illæ dæmonum fallaciæ consistunt, adversaria illa potestate per mysterium crucis in toto orbe prædicatum in fugam versa. « Hoc enim ver» bum quod locutus est Dominus super Moab, quando et » locutus est[2]. » Quasi epilogus est totius verbi adversus Moabitidem pronuntiati, nimirum, « Hoc verbum quod » locutus est Dominus. » Præmissa enim fuerat sententia, his verbis expressa : « Verbum contra Moabitidem[3] : » toti vero sententiæ parti in modum epilogi subditur « Verbum » hoc, quod locutus est Dominus super Moab, quando et » locutus est. » Quid est hoc, « Quando et locutus est ? » Ostendit Deum Moabitas raro fuisse allocutum. Etenim cum Israëlitico populo assidue colloquitur, a sua portione alienis ut plurimum tacet. Non quidem omnino occulit sermonem suum : sed clementiam ac benignitatem suam eis quoque degustandam præbet, ut pauca experti, quæ

1 Esaï, XVI, 12. — 2 Ibid. 13. — 3 Id. XV, 1.

perfecta sunt cum omni studio ac impetu concupiscant. Quoniam igitur rarius loquitur Moabitis, idcirco dictum est: « Hoc verbum quod locutus est Dominus, quando et » locutus est. »

XVI. « Et nunc dico: In tribus annis annorum merce-» narii dedecorabitur gloria Moab in omnibus divitiis mul-» tis: et relinquetur minimus, et non honoratus[1]. » Videtur mihi hisce verbis Moabitidi circumscribere supplicii et pœnarum tempus, quod nominavit tres annos mercenarii. Quia igitur dividitur in tres partes tota temporis natura, plenum atque perfectum tempus exprimere cupiens, dixit annos tres. Itaque « In tribus annis annorum mercenarii » dedecorabitur gloria Moab. » Quin et in Evangelio infamia mercenario inuritur a Servatore, dicente: « Mercena-» rius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves » propriæ, videt lupum venientem, et fugit, quia merce-» narius est, et oves non sunt illi curæ[2]. » Inquilinus insuper et mercenarius sacerdotis non comedet sancta secundum legem[3]. Moab igitur se ipse stata mercede locavit, et factus est mercenarius. Non enim dilexit Deum: sed ob mercedis opinionem et sui commodi spem, non rei faciendæ studio agebat quod agebat. Tribus ergo annis annorum mercenarii afficietur ignominia. Quemadmodum ergo pastor, mercede conductus, pastor non est: ita etiam quisquis facit eleemosynam ad accipiendam ab hominibus gloriam, recipit suam mercedem, nec misericors est nec munificus[4]. Item quicumque temperans est ad ineundam ab hominibus gratiam, temperans non est, cum virtutem non quærat, sed gloriam ex ea proventuram venetur. Itaque ii sunt apud Deum inhonorati, qui aliquid ostentationis causa faciunt. Quare et Moab dedecorabitur annis tri-

[1] Esaï. XVI, 14. — [2] Joan. X, 12, 13. — [3] Lev. XXII, 12. — [4] Matth. VI, 2.

bus, hoc est, in omni temporis mensura. Inferetur autem mercenarii dedecus, quod non ex animo, sed simulate et ficte munus virtutis expleverit. « Dedecoratur autem in » omnibus divitiis multis. » Enimvero quantum ei existimationis in hac vita inerat, tantum eidem infamiæ et dedecoris pro mercede rependetur, ubi abscondita nostra fuerint revelata. Et qui multas res vanas et infructuosas manibus suis congerit, is dedecoris sibi imprimendi segetem majorem habet : qui vero lingua mendaci efficit thesauros, is prosequitur inania, atque in mortis laqueos veniet. « Et relinquetur minimus, et non honoratus. » Quæ hic describitur animadversio, iis, qui ad vitium alendum conspirant, loco est doni ac beneficii.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

LIBRI V CONTRA EUNOMIUM.

LIBER I.

I. Si omnes[1], super quos nomen Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi invocatum est, nihil voluissent tentare et aggredi præter Evangelii veritatem, sed traditione Apostolorum fideique simplicitate contenti esse, nihil nunc opus nobis esset oratione : sed quam ab initio coluimus taciturnitatem, etiamnum omnino amplecteremur. At enim cum veritatis inimicus præter ea, quæ a principio in Ecclesia Dei conserit zizania, additamentis semper malum augeat, nuncque instrumenta omnem simul ejus artem suscipientia nactus, per christianismi simulationem, negationem deitatis Unigeniti introducat, externa illa ac vana sapientia puritatem ac simplicitatem doctrinæ divini Spiritus conturbans, ac verbis persuasibilibus simpliciores seducens; necessario et nos, tum propter vestrum qui imperastis amorem, tum propter nostram ipsorum securitatem, nostram interim imbecillitatem non curantes, quanquam in

[1] Vide D. Guillon, t. VII, p. 403-412.

hoc dicendi genere enexercitati sumus, tamen pro tradita nobis a Domino scientiæ mensura, et veritati patrocinari, et mendacium confutare recepimus; rati e tribus bonis unum saltem omnino consecuturos nos. Nimirum, aut iis qui jam præoccupati sunt, confutationem hanc velut morbi remedium daturos; aut sanis oblaturos tutamen qualecumque; aut certe, nos ipsos, qui nostris fratribus optime consuluerimus, mercedem adepturos. Qui autem primus dicere aperte ac docere ausus est dissimilem esse substantia unigenitum Filium Deo et Patri, quantum certe nos novimus, Aëtius ille est Syrus, de quo non dicam quibus ab initio innutritus artibus, sese perniciose in Dei ecclesias intruserit, ut ne omissa confutatione convitiari videar. At in impietate qui successit, eamque perfecit, Eunomius hic est Galata (2), qui sibi ipse ex rebus turpissimis claritudinem comparans : « Gloria enim, inquit, in confusione ipsorum [1], » cum reposita piis bona postposuisset honori ei quem se sperabat acquisiturum, si scriberet quæ nullus unquam alius ausus fuisset, sic animo elatus est, ut blasphemiam hactenus sub dentibus deblateratam hoc suo splendido opere evulgarit : quippe hæresis totius auctor atque architectus prædicari ambibat. Quem sane etiam redarguere in præsenti propositum nobis est. Cum autem eadem in utrisque improbitas sit, palam est in perfecto discipulo magistrum quoque, qui semina impietatis jecit, refutatum iri; si modo nobis vestris precibus datum fuerit vim dicendi tantam accipere, ut, exemplo æmulatoris illius Phinees, utrosque inter se impietate conjunctos uno redargutionis ictu simul configamus [2]. Etsi igitur multa suppetunt mihi, quibus ostendere possim eum fuisse in eo libro mendacem, imperitum, convitiatorem, cavillatorem, blasphemum : cætera quidem obiter commemorabo; blasphemiam vero quam in subli-

[1] Philip. III, 19. — [2] Num. XXV, 8.

mitatem gloriæ Unigeniti locutus est, artis involucris detectis, manifestam omnibus facere conabor.

II. Sed jam, sumpto ex ipsa inscriptione argumento, accedam ad arguendum. Primus enim omnium dolus, hic ille ei excogitatus est dicendi modus, ut in speciem apologiæ ac defensionis doctrinam suam componeret, ne velut aggressor videatur dogmata impia exponere, sed coactus ad hos sermones devenisse. Cupiebat quidem omni modo pravum illud ac impium dogma promulgari; et quam olim conceperat ac pepererat blasphemiam, proferre in medium: sed videbat fore, ut si aperte doctoris locum arripuisset, præterquam quod id grave admodum esset ac molestum audientibus, præterea se etiam fide indignum ac suspectum apud plerosque redderet, qui videlicet gloriæ cupiditate aggressus esset innovare. Sin autem simulata apologia verba faceret, et innovationis se suspicionem evasurum putabat, et hoc pacto auditores magis allecturum, cum soleant homines omnes suapte natura lacessitis favere. Quapropter accusatores calumniatoresque culpat, eisque sui scripti causam ascribit. Quare ut ejus artificium fiat perspicuum omnibus, melius fuerit ipsum proloquentem audire. Sic autem habet.

Eunomius. Cum calumniari, et petulanti lingua ac improba mente aliquibus detrahere, opus sciamus esse hominum flagitiosorum, seque simultatibus oblectantium: contra, si qui per calumniam pravi esse visi, omni studio mendacium redarguendo propulsare conentur, id opus esse virorum, qui probi sunt, quique sibi privatim bene consulentes, multorum securitatem plurimi faciunt.

Basilius. Genus igitur orationis tale est, quale esse possit ejus, qui nihil simpliciter, nihil sine dolo efficit. Nam et innovandi suspicionem prætextu apologiæ tegit, et quasi calumniæ obterendæ necessitate ad hos sermones devene-

rit, auditorum captat benevolentiam. Inde autem illius circa apologiam commentum deprehenditur, quod cum non possit nominare satorem ullum criminis, cujus causa se decertare simulat, tamen citra oppositam sibi personam ad agendam apologiæ fabulam furtim accedat. Nec ex tolerantia eos, qui sibi molesti fuerunt, nominatim dicere abstinet : quî enim fieri possit ut id faciat qui tantis conviliis contradicentes impetit? sed mendacii evidentiam veritus, certas accusatorum personas producere erubuit. Nam si nominare aliquos potuisset, dixisset profecto ac divulgasset : videlicet etiamsi haud explesset suam iram, at certe securitati multorum, quibus se maxime prospicere profitetur, consuluisset. Etenim quæ latet improbitas, perniciosior est quam quæ promulgata est. Quare cum calumniatores noverimus, eorum linguas petulantes ac mentem improbam facilius effugere poterimus : ipsis enim sapientissimi illius utar verbis. At quoniam tunc ob quamvis tandem causam conticuit, nunc interrogetur, nunc respondeat, qui fuerint calumniatores, qui eum calumniis lacessere incipientes, ad respondendum coëgerint? Unde terrarum venerunt? Qui judices coram quibus subiit certamen? Quo in consessu hanc accusationem sustinuit? Ubi terrarum et marium congregatus? Quid enim possint dicere? In Seleucia? At ob silentium convicti sunt, qui scilicet etiamsi ad objecta sibi crimina depellenda ab iis, qui convenerant sæpius invitarentur, tamen non occurrerint; ob idque damnati sunt. Alloquor enim in communi omnem simul cœtum, qui propter impietatis societatem velut morbosum quoddam membrum a sano Ecclesiæ corpore abruptus est. An Constantinopoli? Verum illic ipsis nihil opus erat apologia atque oratione. Nam cum aulæ regiæ viros ac reliquos, qui plurimum pollebant, conciliassent sibi, longe superiores effecti, res aggrediebantur, iidem ipsi ac-

cusatores, et judices, et carnifices, et omnia quæ volebant existentes, cum episcoporum alios ejicerent, substituerent alios in illorum locum, alios in periculum vitæ adducerent, ipsi vero magna cum potestate inter se partirentur civitates(3). Tum demum quidam ex Syriæ urbibus pulsus, Constantinopolim quasi ob tyrannidem exercendam occupavit. Hic autem iste inexpugnabilis et gravis orator, præmium impietatis Cyzicum retulit : Theosebio vero post maximarum blasphemiarum redargutionem, Sardiensis ecclesia propinata est. Taceo autem Bithynos, Paphlagones, Cilices, et omnes quoscumque depasta est circumlata improbitas. Cujus ergo apologiæ necessitas tunc erat? Sed, opinor, mentiri ne volens quidem potuit. Quare quavis re verius est, hanc orationis formam ei ad decipiendum excogitatam esse. Sed de his hactenus : quæ vero paululum progressus scribat, considerate. Neque enim fortasse inutile fuerit, anteaquam confutemus ejus impietatem, pauca de fastu ipsius in medium proferre.

III. Eun. Ante omnia autem rogamus vos, qui et nunc audituri estis, et postmodum lecturi, ut ne velitis ex multitudine verum a falso discernere, parti majori tributa palma : neque mente cæcutire, dignitatum habita ratione : neque aures obturare posterioribus, priorum agmini concessa victoria.

Bas. Quid dicis? Palmam ne demus antiquioribus? ne revereamur multitudinem Christianorum, neque eorum qui nunc sunt, neque eorum qui fuerunt, ex quo prædicatum est Evangelium? ne reputemus dignitatem eorum, qui donis spiritualibus cujuscumque generis claruerunt; quibus omnibus inimicam et adversam hanc viam impietatis recens excogitasti : sed clausis prorsus animæ oculis, et sancti cujuslibet viri memoria e mente depulsa, unusquisque cor nostrum otiosum ac purgatum captionibus ac sophismatibus tuis subda-

mus? Magna profecto foret tua potentia, si quæ multiplici suo artificio diabolus consecutus non est, ea tibi solo imperio assequi contingeret: si videlicet persuasu ac inductu tuo traditionem, quæ per præteritum omne tempus apud tot Sanctos obtinuit, impio vestro commento postponeremus. Huic autem satis non est, eorum duntaxat qui nunc audiunt animum avocare: sed postulat etiam ii ut, qui deinceps libellum lecturi sunt, habeant mentem eamdem. O fastum! putare librum sibi etiam in posterum superstitem fore, et memoriam suam nunquam perituram. Et nunc quidem tantopere intumescit qui paulo post apud auditores joculari quadam simulatione utitur, quasi fastum omnem negligens, sicque quos finxit judices alloquens.

Eun. Ad hæc, neque nobis succenseatis, si fastum negligentes ac tumorem, gratiæque præsenti et securitati præferentes securitatem ad futura attinentem, atque intententatas impiis minas magis quam terrenam omnem afflictionem ac mortem temporalem metuendas esse arbitrati, veritatem nudam absque ullo velamine exponamus.

Bas. Quam superbiæ immoderationem hæc verborum pompa non excedit? Quin adest cavillo etiam contumelia in judices: siquidem propterea quod bona ægre ferant, vix possunt quin succenseant viro, qui negligit fastum ac tumorem: qui spectantem ad futura securitatem præsenti suæ securitati anteponit: qui futurum supplicium morte temporali horribilius judicat. Quid autem hoc sibi vult? « Ne, viri, succenseatis mihi, qui ad ipsum virtutis apicem ascendi, qui transcendi terrena, ac conversationem omnem in cœlum transtuli. » Novus hic est arrogantiæ modus: quibus namque negligere se fastum simulat, iisdem se ipse ad summum animi tumorem effert. Nam si quibus ostendit venia esse digna quæ gerit, ea evangelicæ vitæ capita sunt; conjectare sinit, qualem se in reliquis præclare gestis

haberi conveniat. Et quidem hæc quibus totus illius animus quasi exprimitur, multis silentio præteritis, abunde memorata sunt; ut per ea, quæ mentitus est, patrem mendacii in eo locutum cognoscamus, discamusque ex ejus arrogantia, quocum sit condemnatus; cum aperte dicat Apostolus fastu tumidum in diaboli judicium incidere [1]. Jam tandem ad redarguendam impietatem accedamus.

IV. Fidem proponit primum ex simplicibus ac vagis vocibus compositam, qua quidam ex Patribus usi sunt, ad propositas quæstiones non attenti, sed simpliciter sic a seipsis in simplicitate cordis disserentes (4). Quanquam autem Arius, ut aiunt, hanc Alexandro obtulit, ipsum decipiens (nam et hoc dicunt) nihilominus tamen eamdem tanquam suæ ipsius sententiæ consentaneam profert propter duas causas : primum quidem, ut innovandi effugiat suspicionem, cum Patrum fidem tanquam rectam suscipiat : alteram, ut omnes, verborum horum simplicitati adhibita fide, incaute in sophismatum ipsius laqueos incidant. Simul autem etiam illud intellexit, se et suam ipsius sententiam speciosa quadam ratione obiter inducturum, si videlicet dicta Patrum exponeret, et maxime impietatem occulturum. Quod si forte deprehenderetur, putavit fore, ut extra culpam esse videretur, quod non e suo, neque a se quidquam diceret, sed alienæ sententiæ esset interpres. Qua in re admisisse se quiddam risu dignissimum non animadvertit. Postquam enim multis ac summis laudibus extulit fidem Patrum, eam probris fœdissimis afficit. Sed ut clarius fiat quod dico, librum in partes divisum expendam. Et primum quidem quam proponit fidem, ipsis illius verbis appositis, consideremus.

Eun. At, inquit, traditionem piam, quæ ab initio apud Patres obtinuit, velut amussim ac regulam quamdam præ-

[1] 1 Tim. III, 6.

mittentes, hac accurata judicandi ratione utamur, ut de iis, quæ referentur, sententiam feramus.

Bas. His subjungit Patrum fidem, hoc modo se habentem :

Eun. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia : et in unum Unigenitum Filium Dei, Deum Verbum, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia : et in unum Spiritum sanctum paracletum.

Bas. Deinde statim adjungit :

Eun. Simplicior igitur et communis fides omnium, qui aut videri aut esse Christiani cupiunt, ut compendio ac summatim dicam, hæc est.

Bas. Equidem de eorum quæ retulit contrarietate, et de impudenti dictorum inter se repugnantia paulo post loquemur. Illud tamen prius in memoriam reduxerimus, hunc illum esse, qui superius valde arroganter pollicitus est nobis se veritatem velamine omni nudam propositurum. Hic igitur scriptum est : « Credimus ingenerationem esse essentiam Dei universorum » : aut, « Credimus Unigenitum essentia dissimilem esse Patri. » Nam hæc scripsisset, si, quemadmodum pollicitus erat, doloso nullo velamine opinionem suam obrumbrasset. Sed, opinor, insidiosa oratione ubique adhibita, sua reticet, ut ne aures inassuetas personans, sibi ipse adimat fidem, et suam sententiam receptu difficilem reddat : contra proponit Patrum fidem, quæ, utpote verbis indifferentibus constans, nihil quidquam quod toti orationis ejus constructioni repugnet, exhibitura erat; eumque facile secutura, si sermonem sub expositionis specie ad ea, quæ intendit, transferret. Hæc autem vera esse sua sponte liquet. Nam simul ut Patrum fidem proposuit, statim transilit ad expositionem, tum alio obtentu, tum quod ea ad crimen diluendum haudquaquam sufficeret. Quid est igitur quod ipsam proposue-

ris, nec statim ad eos sermones deveneris, qui et sinceritatem haberent, et a criminibus eximere te possent? Nunc autem eam proponit ceu tutam judicandi regulam : rursus vero eamdem corrigit velut nihil sani complectentem. Hoc porro perspectum ac notum est omnibus, quod opinioni suæ velut hamo ad mortem trahenti simplicitatem fidei ceu escam quamdam circumdat, ut imperitiores ad id quod apparet festinantes, incaute impietatis scelere transfigantur. Sed ne videatur citra necessitatem emendationem fidei aggredi, quam ipse summis laudibus extulit, videte quomodo ei quasi verborum suorum oblitus detrahat.

Eun. Simplicior igitur et communis fides omnium, qui aut videri, aut esse Christiani cupiunt, ut compendio ac summatim dicam, hæc est.

Bas. Dic mihi : pia Patrum traditio regulaque, uti ipse nominasti, et amussis, tutaque judicandi ratio, nunc rursus instrumentum fraudis, et ars simulandi, et alia id genus appellatur? Etenim si eos, qui vere Christiani sunt, nequaquam decet, at iis tamen, qui videri quam esse malunt, quid aliud de ea quam talia sentire convenit? Quis igitur, nisi demens omnino sit, dixerit regulam recti iis, qui animo perverso sunt, convenire; aut veritatis amussim, iis qui veritatis sunt inimici? Qui enim vocari Christiani quam vere esse maluerunt, simulationem hanc ad multos decipiendos induentes, procul ab omni rectitudine ac veritate absunt. « Neque igitur distortum dirigetur [1], » velut Ecclesiastes dixit; neque veritatis judicia iis, qui in vita mendacium amplexati sunt, convenient : quod quidem huic videtur.

V. Verum ob eas, quas retuli, causas, tam aperte secum pugnat, ut dum laudat fidem, pietatis Patrum particeps esse videatur : dum vero ipsam rursus criminatur, viam

[1] Eccl. 1, 15.

sibi aperiat ad expositionem. Quapropter eamdem et regulam appellat, aitque eam additamento accuratiore indigere. Hoc ipsum autem etiam extremæ ignorantiæ signum fuerit, si cui id quoque disquirere libuerit. Regula enim et amussis, o sapientissime! quandiu nihil defuerit quominus regula sint et amussis, accessionem nullam ad integritatem admittunt. Fit enim accessio ob defectum. Quod si imperfectæ fuerint, ne has quidem appellationes jam recte acceperint. Sed de his satis : jam vero etiam quos de Deo profert sermones consideremus.

Eun. Nos igitur, inquit, unum Deum et juxta naturalem notionem et juxta Patrum doctrinam confitemur, neque a seipso, neque ab alio factum. Nam utrumque horum ex æquo fieri non potest, cum revera id quod facit, prius esse oporteat eo quod fit, et id quod fit, posterius eo quod facit. Neque vero quidquam seipso prius aut posterius esse potest, neque aliud quidquam ante Deum. Enimvero illud præ posteriore dignitatem haberet Deitatis.

Bas. Quorsum igitur totam hanc ejus apposui dictionem? ut conspicua fiat viri vana loquacitas, qua per totum librum utitur. Etsi enim ille ipse dixit evidens esse communibus omnium intelligentiis, Deum esse ingenitum, hoc tamen nobis nititur commonstrare. Unde simile quiddam facit, ac si quis clara in meridie sanis oculis præditos homines docere ratione velit solem cœlestium omnium stellarum esse lucidissimum. Quod si deridetur qui ea, quæ sensibus nota sunt, ratione ostendit : qui res ex communibus notionibus confessas docet, nonne amentiæ ejusdem futurus est reus? Hæc enim profecto longe certiora sunt æquis rerum æstimatoribus, quam quæ cadunt sub oculos? Et vero si quis esset qui in hanc veritatem impudenter inveheretur, et eum qui ingenitus est, aut a seipso, aut ab tero genitum esse contenderet, hæc ista verborum vani-

tas veniam aliquam fortasse obtinere posset : sin autem nullus ad hunc usque diem, nec eorum qui alieni sunt a doctrina nostra, nec eorum qui ex ipsa Ecclesia exiere, contra veritatem insurrexerunt, eo devenit stupiditatis, ut de ingeniti ingeneratione dubitaret, quid ei lucri ex his verbis accedat, haud intelligo. Num vere Aristotelis aut Chrysippi syllogismis opus nobis erat, ut disceremus eum, qui ingenitus est, neque a seipso, neque ab altero genitum fuisse, et eumdem seipso nec antiquiorem, nec juniorem esse. Quid igitur sibi volunt hæc ejus verba ? Videtur mihi se inter suos sectatores jactare, tanquam prudens quispiam ac egregia mente præditus, qui cum acutus sit in absurdis prospiciendis, in hoc quod deprehendit dissolvendo acutior est, ob idque in verborum versutia gloriari, et conar subtiliter et argute illud demonstrare, quod is qui ingenitus est, nec a seipso, nec ab alio genitus sit. Deinde vero ne hic quidem artis suæ obliviscitur : sed rebus confessis immorans, quasi elementa quædam sibi ipse ad eam, quæ sequitur, doctrinam interserit. Illud enim non otiose dixit, quod oporteat id quod facit revera prius esse eo quod efficitur : sed ut in instituendis de Filio sermonibus, in antecessum concessum habeat Filium postea factum Patri accessisse, siquidem id quod facit, eo quod fit antiquius est : item, ut hoc tanquam inde consequens colligat, Filium scilicet ex non extantibus factum esse. At impietatis in Filium confutatio suis locis reservetur. Ego vero etiam ingeniti appellationem, quanquam maxime nostro intelligendi modo congruere videtur, tamen quod nusquam in Scriptura usurpetur, sitque primum impietatis ipsorum elementum, hanc silentio jure tradendam esse duxerim. Quippe vox patris idem valet quod vox ingeniti, præterquam quod Filii etiam notionem conjunctim per relationem simul præferat. Qui enim revera et solus Pater est, ex

nullo alio est : hoc autem quod ex nullo est, idem est atque ingenitus. Non igitur magis ingenitus quam Pater appellandus nobis est, nisi Salvatoris documenta voluerimus sapientia superare, qui dixit : « Euntes baptisate in nomine » Patris [1], » non ingeniti. Sed de his hactenus. Nos vero ea, quæ proxime refert, expendamus. Nam ubi paululum progressus est, sibique ipse ea, quæ dixerat, velut in summam redegit, sic scribit.

Eun. Itaque si ostensum est neque ipsum ante seipsum, neque quidquam aliud ante ipsum esse, sed ipsum ante omnia extare, sequitur illum ingeneratio : imo potius ipse est substantia ingenita.

Bas. Proinde quam in his deprehendimus improbitatem, intelligere quidem, ut puto, facile est admodum ei, qui vel leviter attenderit animum : at eam vulgo manifestam reddere non ita fuerit facile. Tentandum tamen posteaquam spem collocaverimus in eo, qui « Dat verbum evan» gelisantibus, virtute multa [2]. » Dixerat porro quod illud, si neque ipse ante seipsum, neque aliud quidquam ante ipsum est, sequatur ingeneratio : sed postmodum intellexit verba sua sibi ob jactorum fundamentorum consequentiam in contrariam partem cedere. Nam si Deum sequitur ingeneratio, ea illi procul dubio extrinsecus accedit. Quod autem extra Deum est, substantia ejus non est. Ex his autem dolosum illius commentum diffluet ac dilabetur. Sed hoc ei ne accidat, quid facit ? Haud multum curans risum, quem ob pugnantia quæ loquebatur subiturus erat, orationem ad ea, quæ voluit, corrigendo convertit, his verbis : « Imo potius hæc ipsa est substantia ingenita. » Hoc autem cum iis, quæ præcesserunt, nullo pacto consentit. Quomodo enim Deus ita comparatus est, ut ingeneratio sit in eo, et quiddam consequens, et rursus quiddam non consequens,

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Psal. LXVII, 12.

imo sit aliquid, quod in substantiæ ratione contineatur? Verumtamen non sinit cavillationem sibi omnino corruere. Etenim si posteaquam dixerat ingenerationem Deum sequi, hic sermonem stitisset, nec potuisset dicere ingenerationem esse substantiam Dei universorum, nec ostendere unigenitum Filium secundum ipsam substantiam diversum esse, cum nihil eorum quæ extrinsecus sequuntur, necessitudinem inter Patrem et Filium secundum ipsam substantiam dirimere possit. Nunc vero subjunxerit: « Imo potius hæc ipsa est substantia ingenita, » ostendit hoc ipsum quod Deus est, ipsam ingenerationem esse. Hoc autem quantum ei cursum ad impietatem stabiliendam semper paret, paulo post sermone progrediente ostendam. Porro quod quidem initio dixit, id ex rerum veritate per concessorum consequentiam apparet : quod vero postremum posuit, id hæretico sensu adjectum est, cum impudentissime omnium hic orator ad sermonem corrigendum transilierit. Quî enim fieri potest ut idem et sequatur Deum, et idem sit quod ipse, cum omnibus compertum sit ac perspectum, id quod sequitur, aliud esse ab eo cujus consequens est. Hic vero quasi via quadam arrepta, ex eo quod sermonem furtim occupavit, confirmat ingenerationem substantiam esse Dei universorum : ut, hoc demonstrato, concessum habeat Unigenitum secundum substantiam Patri esse dissimilem. Quæ autem dicat, perspicite.

Eun. Ingenerationem autem dum dicimus, non nomine solum secundum humanam cogitandi rationem decorandum Deum putamus, sed ei persolvendum arbitramur quod maxime Deo debemus, ut idipsum scilicet quod est confiteamur. Quæ enim juxta intelligentiam dicuntur, cum in nominibus solum et prolatione existentiam habeant, una cum vocibus dissolvuntur.

Bas. Negat ingenerationem juxta nostrum intelligendi

modum in Deo considerari, ratus probaturum se hinc facili conatu, ingenerationem substantiam Dei esse : inde vero evidenter ostensurum esse se unigenitum Filium secundum ipsam substantiam Patri esse dissimilem. Quapropter vocabulo intelligentiæ inhæret tanquam nihil omnino significanti, sed in sola prolatione existentiam habenti : atque Deo indignum esse simulat, eum videlicet ideis ac perceptionibus ornare ac cohonestare. Ego vero an ingenitum possimus mente (5) assequi, necne, non prius affirmo, quam ab ipsa rationis indagatione doceamur.

VI. Sed quidnam sit perceptio ista, libenter eum interrogaverim : utrum hoc nominis nihil omnino significet, et sonus sit qui temere ex ore excidat? At res hujusmodi non perceptio, sed potius amentia ac nugacitas appellari potest. Quod si concesserit significari quidem aliquid perceptione, sed falsum quiddam omnino, et quod revera non existat, quemadmodum in fabularum commentis centauri ac chimæræ confinguntur : quomodo falsum illud quod significatum est, una cum linguæ sono interit, cum etsi vox omnino in aërem diffunditur, tamen cogitationes falsæ remaneant in animo? Neque enim anima, quæ falsis prorsus ac vanis commentis sive in somniorum visis, sive alias in vanis animi motionibus repletur, cum semel hæc in memoria retinuerit, et deinde per vocem efferre voluerit, etiam una cum prolato sermone imagines rerum evanescunt. Etenim si natura falsi simul cum verbis interiret, operæ-pretium esset falsa dicere. Sed hoc certe naturam non habet. Reliquum jam fuerit ostendere quomodo et quibus in rebus consuetudo dictione «Perceptionis» utatur, et quomodo divina eloquia usum ejus susceperint. Videmus igitur, in communi quidem usu, quæ subito mentis impetu simplicia esse videntur ac unica; accuratius autem inquirendo varia et multa, ea dum mente dividuntur, sola cogitatione divisibilia dici. Exempli

causa, corpus simplex esse prima apprehensio dicit : sed ubi ratio supervenit, illud multiplex esse ostendit, ipsum per cogitationem in ea, ex quibus compositum est, dissolvens, in colorem, in figuram, in duritiem, in magnitudinem, inque reliqua. Rursus quæ non subsistunt omnino, sed quadam mentis pictura ac imaginatione sola confinguntur, qualia portenta sunt quæ poëtæ ac pictores cogitatione comminiscuntur, stuporem in legentibus excitaturi, hæc quoque ex consuetudine dicuntur contemplationi obnoxia esse. Quorum nulla mentione facta, sive ex ignorantia, sive ex malitia, de sola rerum non subsistentium perceptione Eunomius disseruit; et ne hujus quidem naturam ut se habet, exponit. Non enim ait significari quidquam per animi perceptionem, ne falsum quidem : sed dicit nomen esse sine ulla significatione, atque in sola pronuntiatione subsistere. Et tamen tantum abest ut hoc perceptionis nomen de solis vanis ac non existentibus visis prædicetur, ut post primam in nobis a sensu impressam ideam, subtiliorem accuratioremque rei considerationem perceptionem nominemus : unde ex consuetudine, licet improprie, ratiocinatio vocatur. Verbi gratia, tritici simplex intellectus omnibus inest, quod ubi apparuit cognoscimus : at cum diligentius inquirimus, tunc et rerum multarum contemplatio, et diversa nomina res intellectas significantia sese animo offerunt. Enimvero idem triticum nunc fructum, nunc semen, et rursus alimentum appellamus. Fructum quidem, velut præteritæ agriculturæ finem : semen vero, velut futuræ principium : alimentum denique, velut corpori comedentis augendo idoneum. Horum unumquodque et ratione consideratur, nec tamen una cum oris sono evanescit : sed cogitata in cogitantis animo fixa manent. Et in summa, quæcumque sensu cognoscuntur, ac in subjecto simplicia quidem esse videntur, variam vero ratio-

nem per contemplationem admittunt, hæc omnia animi perceptione sub contemplationem cadere dicuntur.

VII. Ad hunc fere modum, etiam a divina Scriptura usum edocemur perceptionis. Equidem omittam reliqua; et quanquam dicere multa habeo, tamen unius solius opportunissimi mentionem faciam. Dominus noster Jesus Christus, cum de seipso verba faceret, deitatisque in homines affectum atque incarnationis gratiam hominibus declararet, proprietatibus quibusdam, quas in ipso contemplari possumus, hunc usum significavit. Nam seipsum dixit portam, viam, panem, vitem, pastorem ac lucem[1]: qui tamen multis nominibus præditus non est, nec enim nomina omnia inter se significatum eumdem præ se ferunt. Enimvero aliud lux, aliud vitis, aliud via, aliud pastor significat: sed cum unum sit secundum subjectum, sitque una substantia simplex, et non composita, alias aliter se ipse nominat, diversas appellationes inter se ratione dissidentes sibi ipsi accommodans. Nam pro operationum diversitate, et pro ea habitudine, quam ad ea habet, quæ beneficiis ejus afficiuntur, diversa quoque sibi nomina imponit. Nam ideo seipsum lucem mundi dicit, quod partim inaccessam Deitatis majestatem hoc nomine significet, partim quod splendore scientiæ eos, qui purgatos animi oculos habent, illuminet; vitem vero, quod eos, qui in eo per fidem radices egerunt, bonorum operum fertilitate enutriat; panem autem, quod sit cibus mentis maxime proprius, quippe qui animæ statum sustineat atque proprietatem ejus conservet, id quod deest explens semper de seipso, nec sensim delabi sinens ad eam, quæ ex rationis inopia emergit, infirmitatem. Quod si quispiam ita nomina singula percurrat, rationes varias invenire poterit, tametsi secundum substantiam unum et idem subjectum est omni-

[1] Joan. x, 9. — xiv, 6. — vi, 51. — xv, 1. — x, 11. — viii, 12.

bus. Quis igitur sic paratam ad blasphemandum habet linguam, ut dicere audeat simul cum vocibus has perceptiones interire? Quid igitur absurdi est, ad hunc etiam modum de Deo universorum quædam secundum perceptionem accipi, et hoc ipsum primum, de quo nobis tota instituta est disputatio? Nusquam enim reperiemus vocem hanc, « Ingenerationem, » aliter usurpari. Incorruptibilem namque ac ingenitum Deum universorum dicimus, eum pro diversa notione his nominibus appellantes. Cum enim in transacta jam sæcula respicimus, Deique vita principium omne superare a nobis invenitur, tunc ingenitum ipsum dicimus; cum vero in futura sæcula cogitationem extendimus, eum, ceu infinitum ac immensum, nec ullo fine comprehensum vocamus incorruptibilem. Quemadmodum igitur vita fine carens dicitur incorruptibilitas: ita eadem principii expers vocatur ingeneratio, tum cum utraque per mentem speculamur. Qua igitur ratione negabitur et hæc utraque nomina excogitari, et ejus quod revera Deo inest confessionem esse? Ille vero tanquam si hæc inter se pugnarent, nec inter se conciliari ullo modo possent, alterum ab altero dirimit: inficiatur videlicet et aliquid dici juxta animi perceptionem, et per hoc ipsum Deo persolvi ejus quod est confessionem.

VIII. At enim ne hoc quidem prætereamus, qualis ei simulatio pietatis excogitata sit ad auditorum eversionem, cum dicit:

Eun. Se ingeniti appellatione Deum non decorare juxta humanum intelligendi modum, sed ei persolvere debitum maxime omnium necessarium; quandoquidem eum id quod est confitetur esse.

Bas. Quibusnam verbis possit pro merito explicari harum versutiarum obliquitas? Nititur terrere simpliciores; quasi quod debent non reddant Deo, nisi ingenerationem

substantiam esse confiteantur. Atque suam ipsius impietatem debiti solutionem appellat, ut ne quid videatur a seipso dicere, sed id quod necessario Deo debetur, persolvere. Quin et reliquis declarat fore, ut si ingenerationem in substantia ponant, innoxii sine pœna dimittantur : si secus juxta pium modum acceperint, futurum esse, ut ipsi tanquam qui debitum omnium antiquissimum maximeque necessarium omiserint solvere, iram sustineant implacabilem. Proinde libens eum interrogaverim, utrum hunc animi candorem pariter in omnibus quæ de Deo prædicantur servet, an in hoc duntaxat verbo? Nam si nihil omnino juxta intelligendi modum speculatur, ut ne humanis appellationibus Deum exornare videatur, omnia, quæ de Deo prædicantur, similiter substantiam esse confitebitur. Quomodo igitur ridiculum non est creandi facultatem substantiam esse dicere? aut etiam providentiam, aut similiter præscientiam rursus substantiam esse? et uno verbo, omnem actionem substantiam putare? Quod si omnia hæc ad unum significatum tendunt, necesse omnino est, ut nomina idem inter se valeant, quemadmodum fit in iis, qui multis nominibus appellantur : sicuti cum eumdem dicimus Simonem et Petrum et Cepham. Quare qui audierit immutabilitatem Dei, deveniet ad ingenerationem : item, qui audierit indivisibilem esse, ad creandi facultatem deferetur. Ecquid hac confusione fieri possit absurdius? Si quis videlicet, adempto proprio uniuscujusque nominis significatu, tum communi usui, tum Spiritus doctrinæ repugnet. Et quidem cum audimus de Deo, quod « Omnia in sapientia fecit [1], » creatricem ipsius artem docemur : cum vero audimus quod « Aperit manum suam, et implet omne animal be- » neplacito [2], » providentiam omnia invadentem discimus : quando autem audimus quod « Posuit tenebras latibulum

[1] Psal. CIII, 24. — [2] Id. CXLIV, 16.

»suum[1], » invisibilis naturæ ejus admonemur : cum rursus audimus id quod in persona Dei dicitur : « Ego sum, et »non mutor[2], » perpetuam identitatem ac immutabilitatem substantiæ divinæ intelligimus. Nonne igitur manifesta est insania, si dicas proprium significatum unicuique nomini subjectum non esse? sed contra verborum vim, decernas nomina omnia idem inter se valere? Præterea etiamsi hoc dederimus, ne sic quidem eis quidquam amplius supererit ad tuendum propositum. Etenim si hæc omnia, cum de Deo et Patre dicuntur, substantiam ejus significant, immutabile dico et invisibile et incorruptibile : similiter sine dubio etiam de unigenito Dei Filio dicta, substantiam indicabunt. Nam invisibilem, et immutabilem, et incorruptibilem, et indivisibilem, ac reliquis nominibus similibus, etiam unigenitum Filium nominamus. Et ita subtilis eorum argutia ipsis recidet in contrarium. Non enim magis propter unius appellationis diversitatem, dissimilem in substantia Filium poterunt demonstrare, quam propter plurium convenientiam similem confiteri cogentur, ad hoc ex concessis necessario adacti. Quod si dixerit in sola ingeniti voce se hac circumspectione uti, in reliquis vero incaute se gerere; rursus ipsum percontemur quænam sit hæc temeritas, ut cum tot sint quæ de Deo dicuntur, tamen in hoc uno solo diligentiam ostendat, atque in hoc uno ei confessionem persolvat, qua confitetur id eum esse quod est : in cæteris vero quam plurimis, eum humanis intelligendi modis decorare recuset. Etenim plura qui debet, non magis gratus judicatur ob unius redditionem, quam supra modum ingratus ob plurium fraudationem. Sic igitur instar versutarum bestiarum suis ipsius artibus capitur; dum quibus latere nititur, iis magis convincitur.

IX. Qualia vero sint quæ sequuntur perpendite. Postea-

[1] Psal. XVII, 12. — [2] Malac. III, 6.

quam ostendit, ut putat, fieri nequaquam posse ut ingeneratio cogitatione concipiatur, subdit :

Eun. Nec vero secundum privationem : siquidem privationes sunt privationes eorum quæ sunt natura, suntque habitibus posteriores.

Bas. Quod autem hæc ex mundana sapientia garriat, a qua præceps actus, ejusmodi verborum novitatibus animum adjecit, demonstrare arduum non fuerit. Sunt enim Aristotelis de habitu et privatione verba, qui posteriores habitibus privationes esse ait; quemadmodum ii, qui legerunt in libro qui inscribitur Categoriæ, possunt testari. Nobis autem satis erat ostendisse, non ex doctrina Spiritus, sed ex sapientia principum hujus sæculi hæc eum dicere, ac illud Psalmi in ipsum proferre : « Narraverunt mihi » iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine [1]. » Et quoniam didiceramus, non ex doctrina Domini nostri Jesu Christi esse quæ dicuntur, satis habebamus vocis ipsius meminisse : « Cum loquitur mendacium, ex propriis loqui» tur [2] : » atque hoc pacto longiorem sermonem contrahere. Quippe hinc illud omnibus conspicuum fecissemus, quod nihil ipsis nobiscum sit commune : « Etenim quæ concor» dia Christo cum Belial, aut quæ pars fideli cum infideli [3] ? » Verum ne videamur ob redargutionum inopiam ad silentium confugere, age de iis etiam pauca disseramus. Multa eorum, quæ de Deo dicuntur, o Eunomi, simili forma efferri videmus, ut puta incorruptibilis, immortalis, invisibilis. Jam vero et hanc vocem « Ingenitus » formæ ejusdem esse ducimus. Quod si quipiam ea, quæ sunt ejusmodi, nominant privativa, nihil ad nos. Neque enim artificia novimus verborum; neque eos, qui noverunt, imitamur. Verum cujuscumque tandem generis existimentur esse voces reliquæ, quas enumeravimus : ejusdem generis esse et « Ingeniti »

[1] Psal. CXVIII, 85. — [2] Joan. VIII, 44. — [3] 2 Cor. VI, 15.

appellationem dicturi sumus. Quemadmodum igitur incorruptibile significat non inesse corruptionem in Deo; et invisibile, excedere eum omnem oculorum comprehensionem; et incorporeum, substantiam ejus trina dimensione non constare; et immortale, cum dissolutioni nunquam obnoxium fore : eumdem ad modum dicimus « Ingenitum » etiam significare, generationem in ipso non inesse. Proinde si nullum ex illis nominibus privativum est, neque hoc erit. Quod si concedis illa secundum privationem dici, sed id in appellatione ingeniti non admittas, dic quo habitu præcedente, incorruptibile privationem indicet ? aut quomodo ingenitum non idem quod hoc valeat ? At circa hoc verbum solum malignis artibus utitur, quod ei hinc impietatis dependent occasiones. Sed artificium ejus manifestum ut fiat, ita facite : quos de ingenito instruit sermones, quod neque ex humano concipiendi modo, neque ex privatione de Deo dici par est; hos translatos in aliud quoddam nomen ex his, quæ de Deo dicuntur, consideretis velim. Unicuique enim illorum prorsus convenire comperietis. Et, si vultis, de incorruptibili eadem dicamus, his ipsis, quibus utitur, verbis huc transmotis. Incorruptibilem autem cum dicimus, non secundum humanum intelligendi modum decorandum esse Deum arbitramur, sed persolvendum ei debitum maxime omnium necessarium, confessionem videlicet qua eum id esse quod est confiteamur : sed neque secundum privationem : siquidem privationes sunt privationes eorum, quæ sunt natura, suntque habitibus posteriores. Cur magis de ingenito hæc affirmare decet, quam de incorruptibili, et omnino de qualibet voce, quæ eodem modo proferatur ? Sed aliud nihil ei ad impietatem conducit. Quare ne meminit quidem reliquorum, etiamsi innumera sint quæ de Deo dicuntur.

X. Habet autem se res hoc modo. Nullum quidem no-

men est quod totam Dei naturam complexum, sat eam possit enuntiare: plura vero et varia, singula in propria significatione, obscuram quidem omnino et perquam exiguam, si cum toto comparetur, nobis tamen sufficientem intelligentiam congerunt. Itaque inter nomina ea quæ de Deo dicuntur, aliqua significant quæ Deo insunt: aliqua vero e contrario indicant quæ ei non insunt. Ex his enim duobus, et ex eorum quæ dissentanea sunt negatione, et ex eorum quæ adsunt confessione, velut quidam Dei character nobis imprimitur. Exempli causa, cum incorruptibilem nominamus, idem facimus ac si dicamus aut nobis ipsis aut audientibus: « Cave putes Deum subjacere corruptioni: » et cum invisibilem: « Ne existimaveris ipsum oculorum sensu comprehendi: » et cum immortalem: « Absit ut unquam credas mortem Deo accidere. » Sic igitur et cum ingenitum: « Ne arbitreris ex ulla causa aut principio existentiam Dei dependere. » Et ut verbo dicam, ex unoquoque horum docemur, ut ne in indecoras sententias incidamus tum, cum de Deo quidpiam cogitamus. Itaque ut præcipuam Dei proprietatem cognoscamus, alter alteri, cum de Deo sermo habetur, interdicimus ne cogitatione ad ea, quæ non oportet, deferamur, ne unquam homines putent Deum esse quidquam corruptibile, aut visibile, aut generatum. Quare per omnia hæc prohibitoria nomina, ejus quod alienum est fit quasi negatio quædam, dum singula distinguens mens nostra, eorum quæ in Deo non insunt opiniones exuit. Deum rursus bonum dicimus, et justum, et creatorem, et judicem, aliaque hujusmodi. Quemadmodum igitur in illis hæ voces reprobationem quamdam, ac interdictionem significabant notionum a Deo alienarum: ita hic positionem et naturam eorum, quæ propria Dei sunt, convenienterque in eo considerantur, significant. Itaque ex utroque appellationum genere docemur, aut de his quæ adsunt, quod

adsint : aut de his quæ absunt, quod absint. Vox autem « Ingenitum » ea, quæ non adsunt, significat. Indicat enim Deo generationem non adesse. Hoc autem sive quis privationem, sive interdictionem, sive negationem, sive quid hujusmodi appellare voluerit, haud contendemus. Quod autem nihil eorum, quæ in Deo insunt, significet ingeniti vox, ex jam dictis satis declaratum esse puto. At substantia non est quidquam eorum quæ non adsunt : sed est ipsum « Esse, » Dei, quod inter ea, quæ non sunt, annumerare, summæ amentiæ est. Etenim si substantia in numero eorum, quæ non sunt, locatur, multo minus aliud quidpiam eorum, quæ de Deo dicuntur, fuerit. Demonstratum est autem ingeniti vocem inter ea, quæ non adsunt, numerari; mendax est igitur qui hac voce substantiam significari putat.

XI. At vero Eunomius aliquid de Deo secundum privationem dici ægre ferens, tanquam si res esset absurda, ad religiosiorem scilicet sententiam confugit ; eo nimirum, ut in ipsa substantia ingenitum constituat, sermonemque in summam contrahens, ita scribit :

Eun. Igitur si neque secundum concipiendi modum, neque secundum privationem, neque in parte (quippe est indivisibilis), neque in ipso velut aliud (simplex namque est), neque præter eum aliud (unus enim est et solus ingenitus) : hoc ipsum fuerit utique substantia ingenita.

Bas. Perduxit orationem quo voluit, et posteaquam undelibet ingenitum extrusit, in ipsam, ut putavit, substantiam intrusit, quippe qui de Deo universorum dixerit, quod ingenitum ipsa ingenita substantia sit. Ego vero substantiam Dei ingenitam esse, etiam ipse dixerim, non autem ingenitum esse substantiam. Deinde illud quoque attendere operæ-pretium est, quod indivisibile et simplex, quæ eadem sunt inter se significatione (indivisibile enim est quod ex partibus non componitur, et simplex similiter quod e plu-

ribus non constat) hic quasi diversa sint subjecto, alterum ab altero separat. Postea vetat Deum dividi oportere, aut aliam ipsius partem ingenitam, aliam genitam suspicari, aut rursus arbitrari ingenitum in ipso velut aliud in alio situm esse. Horum autem verborum vanitatem piget me confutare. Videtur enim quodammodo similis fieri ei qui vana dicit, is qui contradicit. Quapropter, opinor, sapiens Salomon admonet, ut ne respondeamus insipienti juxta insipientiam illius[1]. Quæ enim neque dicta, neque prolata sunt unquam, ea hic suæ divisioni subjecit, ut, multis enumeratis, invenire videatur ingenitum unico modo proprie dici. Nobis autem fortasse longiori opus esset oratione, ut mendacium detegeremus, ingenitumque substantiam Dei non esse demonstraremus : nisi quæ ab eo per divisionem enumerata sunt, jam liquido refutata essent. Nam etiamsi vim haberet allata ab illo ratio, quod neque ex intelligendi modo, neque ex privatione ingenitum accipitur; utique ne sic quidem id quod colligit, consequeretur. Quid enim necesse est sub uno enumeratorum contineri ingenitum? Sed quoniam ipse tanquam aliquid præcedentibus necessario conjunctum infert illud : « Igitur si neque secundum intelligentiam, neque secundum privationem, neque secundum alium ullum ex enumeratis modum, ingenitum utique ipsamet fuerit substantia ingenita; » nos retorquentes sic dicamus : « Igitur quoniam ratione consideratur, et privativum nomen est, non est substantia Dei ingenitum. » Quandiu enim quæ nobis dicta sunt non refutat, nec suis propositionibus robur addit; id quod colligit, nullum locum habebit.

XII. In summa, quod putat se Dei, qui super omnia est, substantiam ipsam adinvenisse, quantæ superbiæ est atque elationis? Fere enim jactantia superant vel illum ipsum,

[1] Prov. XXVI, 5.

qui dixit : « Super astra ponam sedem meam[1] : » qui scilicet non contra stellas aut cœlum insurgant, sed ipsam Dei universorum substantiam pervadere se glorientur. Percontemur autem eum, undenam comprehendisse se eam dicat? ex communi-ne notione? At hæc Deum esse, non quid sit, nos admonet. An ex doctrina Spiritus? quali, aut ubi tradita? Nonne magnus ille David, cui occulta abscon- ditaque suæ sapientiæ Deus manifestavit, palam confitetur inaccessam esse Dei cognitionem, cum dicit : « Mirabilis » facta est scientia tua ex me, confortata est; num potero » ad eam[2]? » Esaïas autem, dum majestatem Dei specularetur, quid nobis de divina substantia declaravit? qui proferens de Christo vaticinium, testatur his verbis : « Gene- » rationem ejus quis enarrabit[3]? » Quid vero vas electionis Paulus, qui loquentem in se habebat Christum, qui ad tertium usque cœlum raptus est, « Qui arcana audivit verba, » quæ non licet homini loqui[4], » quam nobis de substantia Dei doctrinam reliquit? Hic ad particulares providentiæ rationes cum respexisset, velut vertigine laborans propter insuperabilem contemplandi difficultatem, quasi clamans vocem illam emisit : « O altitudo divitiarum et sapientiæ et cogni- » tionis Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et imper- » vestigabiles viæ ejus[5]! » Quod si hæc illi ipsi, qui ad mensuram cognitionis Pauli pervenerunt, assequi non possunt; quanta est superbia eorum, qui se substantiam Dei profitentur cognoscere? Quos profecto libens interrogaverim quidnam de terra, in qua commorantur, et ex qua nati sunt, dicant, quam ejus nobis exponant substantiam : ut si de iis, quæ humi sunt ac pedibus subjacent, certo indubitanterque disserant, tunc eis quoque cum de rebus intellectum omnem superantibus sententiam proferunt,

[1] Esaï. XIV, 13. — [2] Psal. CXXXVIII, 6. — [3] Esaï. LIII, 8. — [4] 2 Cor. XII, 4. — [5] Rom. XI, 33.

fidem habeamus. Quæ igitur substantia est terræ? quis comprehensionis modus? Respondeant nobis utrum eam ratio assequatur, an sensus? Sed si sensum dicent, quo sensu potest comprehendi? Visu-ne? at hic colores percipit: an tactu? at hic duritiem et mollitiem, calidum et frigidum, et alia hujusmodi discernit: quorum nihil ullus, nisi in summam dementiam lapsus, substantiam dixerit. De gustu vero, deque olfactu quid attinet dicere? quorum alter sapores, alter vapores attingit. Auditus denique sonos percipit et voces, quibus nihil est affinitatis cum terra. Reliquum igitur est, ut sermone invenisse se ejus substantiam dicant: quo tandem? et quo loco Scripturæ editus est? a quo Sanctorum traditus?

XIII. Certe de creatione qui disseruit, tantum docuit nos Deum in principio fecisse cœlum et terram, atque terram fuisse invisibilem et inornatam, satis sibi esse ratus eum, qui hanc fecit atque exornavit, prædicare: quæ vero ejus substantia foret, tanquam si fuisset quiddam vanum et audientibus inutile, noluit curiosius investigare. Itaque si neque ex sensuum testimonio, neque ex sermonis doctrina, cognitio ejus constat, unde jam dicent comprehensionem ipsius adeptos esse? Nam quod in ea sensibile est, aut color est, aut moles, aut gravitas, aut levitas, aut densitas, aut raritas, aut durities, aut mollities, aut frigiditas, aut caliditas, aut humorum qualitates, aut figuræ diversitas: quorum hi nihil dixerint substantiam, etiamsi omnia facile soleant affirmare. Rursus nullo sermone sapientium virorum atque beatorum percepta est. Quis igitur jam superest modus comprehensionis? Respondeant nobis qui cuncta, quæ sub pedibus sunt, despiciunt: cœlum vero et quaslibet cœlestes Potestates transcendunt, ac ipsi primæ substantiæ mente conjunguntur. Sed videtur arrogantia omnium humanorum vitiorum gravissimum esse, et

quibus inest, eos vere diaboli crimine implicare. Unde etiam hi, ne noscentes quidem qualis sit terræ quam calcant natura, ipsam Dei universorum substantiam adire se arroganter asserunt. Et Deus Sanctis quidem suis, Abraham et Isaac et Jacob, quorum, ob totius virtutis perfectionem, quasi hoc fuisset præcipuum quiddam ac majestati suæ conveniens, Deus etiam nominari voluit, Deum Abraham seipsum appellans, et Deum Isaac, et Deum Jacob : « Hoc » enim nomen meum est æternum, inquit, et memoriale » generationum generationibus [1]. » His igitur ne suum quidem nomen declaravit Deus, nedum quæ sit sua ipsius essentia revelarit. « Ego enim, inquit, Dominus, et visus sum » Abraham, et Isaac, et Jacob, Deus existens ipsorum, et » nomen meum non indicavi ipsis [2], » tanquam majus videlicet, quam ut humanæ aures capiant. At Eunomio, ut videtur, non nomen modo, sed etiam suam ipsam essentiam Deus patefecit, et arcanum tantum quod nulli Sanctorum fuit apertum, ipse in suis libris conscribens prodit, ac temere apud omnes homines effutit. Et quæ quidem in promissionibus nobis reposita sunt, humanam omnem cognitionem excedunt, et pax Dei intellectum omnem superat : ipsam vero Dei essentiam supra omnem intelligentiam et supra humanam omnem cognitionem esse non vult.

XIV. Ego vero ipsius comprehensionem non homines solum, sed omnem etiam rationalem naturam excedere arbitror. Nunc autem cum dico rationalem, creatam dico. Nam soli Filio notus est Pater, et Spiritui sancto. « Nemo » enim novit Patrem nisi Filius [3]. » Et, « Spiritus omnia » scrutatur, etiam profunditates Dei. Nemo enim novit, in» quit, quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in » eo : et quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus qui est ex » Deo [4]. » Quid igitur præcipui relinquent Unigeniti cogni-

[1] Exod. III, 15. — [2] Id. VI, 2, 3. — [3] Matth. XI, 27. — [4] I Cor. II, 10, 11.

tioni, aut sancti Spiritus, siquidem ipsi ipsam essentiam comprehendunt? Nec enim potentiæ, bonitatis ac sapientiæ Dei contemplationem Unigenito attribuentes, accommodatam sibi esse essentiæ intelligentiam putabunt. Nam contra omnino constat ipsam quidem essentiam nulli nisi Unigenito et Spiritui sancto cogitabilem esse, sed ab operationibus Dei subvectos nos, et per ea, quæ condita sunt, Conditorem intelligentes, sic bonitatem ac sapientiam ejus percipere. De Deo enim notum est, quod cunctis hominibus Deus manifestavit [1]. Nam quæ apud theologos de essentia Dei conscripta esse videntur, per quasdam tropologias aut etiam allegorias, ad alias notiones ferunt. Quare si quis citra examen secundum sensum magis obvium litteræ nudæ insistere contendat, ad judaïcas et aniles fabulas devolutus, omnino ejus de Deo notionis, quæ digna sit, inops consenescet. Nam præterquam quod materialem quamdam essentiam Dei intelliget, eaque in re impiis gentibus assentietur, ipsam quoque et variam et compositam animo sibi finget. Cum enim Propheta narret electrinum quidem Deum esse a lumbis usque ad superna, ex igne vero inferna conflata esse [2]: quicumque ad altiorem intellectum per litteram non ascendit, sed corporeis inhærens descriptionibus, et talem esse Dei essentiam ab Ezechiele edoctus, rursus Deum ignem esse a Mose audiet [3], atque a sapiente Daniele ad alias opiniones deducetur; atque hoc pacto non falsas solum, sed inter se etiam pugnantes imaginationes ex Scripturis colligere reperietur. Proinde curiosa essentiæ indagatione, tanquam quæ captum nostrum superet, relicta, credendum nobis est simplici consilio Apostoli, qui dicit: « Nam primum credere oportet esse Deum, et esse » remuneratorem quærentibus se [4]. » Non enim investigatio,

[1] Rom. I, 19. — [2] Ezech. VIII, 2. — [3] Deut. IV, 24. — [4] Hebr. XI, 6.

qua perscrutamur quid sit, sed confessio qua ipsum esse confitemur, salutem nobis conciliat. Quare cum demonstatum sit essentiam Dei ab humana natura intelligi ac explicari nullo modo posse, reliquum est ut de ipsa ingeneratione inquiramus quid sit, et quomodo eam in Deo universorum speculemur.

XV. Reperimus itaque, rem reputantes, quod non in scrutatione qua quid sit scrutamur, ingeniti nobis notio accedit : sed potius, ut coactus sententiam dicam, in scrutatione, qua scrutamur quomodo sit. Nam cum mens nostra expendit an Deus, qui est super omnia, causam aliquam se superiorem habeat, nec tamen ullam excogitare potest, ejus vitam principio carentem, ingenitum appellavit. Quemadmodum enim in sermonibus, qui de hominibus instituuntur, cum dicimus : « Hic ex illo natus est, » non quid sit, sed unde natus sit narramus; sic et in iis, qui de Deo habentur, sermonibus, vox « Ingenitus » non quid sit, sed eum ab alio non esse significat. Quod autem dico, id hoc modo fiet magis perspicuum. Lucas Evangelista genealogiam Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi secundum carnem exponens, et ab ultimis ad primos rediens, incœpit quidem a Joseph : sed ubi dixit hunc Heli esse, hunc vero Mathan, sicque ordine inverso ad Adam usque narrationem perduxit, tum ad superiores progressus, cum dixisset Seth esse ex Adam, Adam vero ex Deo, hic ascensum terminavit. Nec tamen, cum uniuscujusque generationem narraret, eorum qui enumerati fuerant indicavit essentias : sed origines proximas unde unusquisque natus esset, exposuit. Quemadmodum igitur ille dixit Adam ex Deo esse, sic nos nosmetipsos percontemur : « Deus autem ex quo ? » Nonne in uniuscujusque mente promptum fuerit respondere : « Ex nullo ? » Quod autem ex nullo est, utique sine principio est : et quod sine principio est, id ingenitum est.

Sicut ergo in hominibus origo ex aliquo, non est eorum essentia : sic neque in Deo universorum ipsum ingenitum quod idem est atque ex nullo esse, ejus essentiam dicere possumus. Porro esse sine principio, essentiam esse qui dicit, non aliter facit ac si quis interrogatus quæ fuerit essentia Adæ, et quæ ipsius natura, respondeat non ex coïtu viri et mulieris, sed divina manu conformatum eum fuisse. At, inquiet quis, non modum quo subsistat inquiro, sed ipsum materiale hominis subjectum : quod longe absum ut discam ex responsione. Hoc autem nobis etiam contingit; cum ex ingeniti voce magis quomodo Deus sit, quam quæ sit ejus natura edoceamur.

XVI. In summa, si quis velit veritatem eorum, quæ a nobis dicuntur, perdiscere, se ipse perscrutetur num ad ingeniti notionem perveniat tum, cum vult aliquid de Deo intelligere? Ego equidem video, quod cogitatione velut in ventura sæcula extenta, fine carentem dicimus eum, cujus vita nullo fine terminatur : ita etiam dum ad superiora sæcula conscendentes cogitatione, atque in immensitatem vitæ Dei velut in vastum quoddam pelagus intuentes, cum principium nullum unde sit apprehendere possimus; imo cum videamus Dei vitam ultra omne quod intelleximus, semper extendi ac protrahi, hoc quod in illius vita principio caret et origine, ingenitum vocavimus. Hæc est enim vocis « Ingeniti » notio, non habere aliunde existendi principium. At Eunomius, quoniam in solo universorum Deo ingenitum inspicitur, facinorosissime omnium hoc ad Unigeniti blasphemiam rapuit. Quid enim progrediens ait?

Eun. Ingenitus autem cum sit, ut superius demonstravimus, nunquam potest generationem admittere, adeo ut suam ipsius naturam communicet cum genito : sed omnem comparationem ac participationem cum genito fugiet.

BAS. O impudentem et improbam blasphemiam! O occultum dolum, et multiplicem versutiam! quam diligenter ex ipso diaboli artificio loquitur. Nam quia dissimilem Deo ac Patri unigenitum Filium ac Deum vult ostendere, Patris et Filii nomen silentio prætermittit, ac simpliciter de ingenito et genito disserit. Quin et occultatis salutiferæ fidei nominibus, blasphemiæ dogmata nuda tradit, ut, denudata in ipsis rebus impietate, ac deinde facto ad personas transitu, videatur ipse nihil dixisse blasphemi, sed orationis serie blasphemiam concinnatam habeat. Ingenitus autem cum sit, inquit, effugit utique omnem comparationem ac communionem cum genito. Non dixit: « Pater et Filius, » sed « Ingenitus et genitus. » Tale est igitur unum, quod ab eo excogitatum est : alterum vero quale sit, considerate. « Ingenitus vero cum sit, inquit, nunquam sane admiserit generationem, » et subjungit : « Adeo ut suam ipsius naturam communicet cum genito. » Illud, « Nunquam sane admiserit generationem, » duo significat. Unum, quod propriæ ipsius naturæ non congruit generatio (quippe fieri non potest ut natura ingenita generetur :) alterum, quod generare non sustinet. Hic quidem hac voce secundum posteriorem sensum usus est : sed ex priore sensu vulgus hominum in suam sententiam trahit. Etenim quod hoc sit quod astruitur, manifeste patet ex eo quod infertur. Nam posteaquam dixit: « Nunquam sane admiserit generationem, » subjunxit: « Adeo ut suam ipsius naturam communicet cum genito. » Hoc namque sensui posteriori convenit : siquidem non sustinet Pater fieri, ut ne cum genito naturam propriam communicet. Impietate hac quæ possit esse perniciosior? Quis unquam tantam iniquitatem locutus est in celsitudinem?

XVII. Ego equidem vereor ne nos quoque, dum alienas blasphemias ore repetimus, mentem nostram polluamus,

atque condemnationis eorum fiamus participes. Sed consolatur me illud in Evangeliis proditum, quod Spiritus sanctus quoque Judæorum in Dominum blasphemiam scriptam posteris tradere non abstinuerit, illorum blasphemiam in omne tempus ita notans, ut nullam tamen incontaminatæ Unigeniti majestati blasphemiam affricet. Itaque si nunquam generationem admiserit, adeo ut propriæ naturæ participem faciat genitum; non est quidem Pater Deus, non est etiam : sed præstat ut blasphemiam imperfectam relinquamus. Alter quidem non admisit generationem: alter vero genitoris naturam non participavit. Deinde ipse secum certat, novam blasphemiæ mitigationem excogitans, non quod quidquam dicat quod ad pœnitentiam pertineat, sed quod posterioribus priora superare conetur. Quid enim proferre ausus est?

Eun. Effugeritque utique omnem comparationem ac communicationem cum genito.

Bas. At nisi comparatio sit Filii cum Patre, nisi sit communicatio cum genitore, mendaces sunt Apostoli, mendacia Evangelia, ipsa etiam veritas Dominus noster Jesus Christus. Sed ego iterum horreo blasphemiam, quam cuique facile est intelligere. Nam si nullam habet comparationem cum Patre, quomodo dicebat Philippo : « Tanto » tempore vobiscum sum, et non vidisti me, Philippe [1] ? » Et, « Qui videt me, videt eum qui misit me [2]. » Nam eum, qui nec comparationem suscipit, nec ullam cum Filio communionem habet, quomodo in seipso Filius ostendere potuisset? Nec enim per dissimile aut alienum comprehendi potest quod ignoratur : sed ex affini affine solet cognosci. Sic in sigillo inspicitur ejus, qui se impressit, effigies, et per imaginem exemplar cognoscitur, si videlicet comparemus nos eam, quæ in utroque est, idenditatem.

[1] Joan. xiv, 9. — [2] Id. xii, 45.

XVIII. Quare hac una blasphemia voces omnes, quæ a Spiritu sancto ad glorificationem Unigeniti traditæ sunt, reprobantur. Et quidem Evangelium docet, quod « Hunc » Pater signavit Deus [1] : » Apostolus vero ait : « Qui est » imago Dei invisibilis [2]. » Imago non inanimata, neque manu elaborata, neque artis aut industriæ opus : sed imago viva, imo vero ipsa per se vita, non in figuræ similitudine, sed quæ in ipsa substantia similitudinem dissimilitudinis cujuscumque expertem semper retinet. Ego enim illud, « In forma Dei esse, » idem valere dico, quod hoc, « In substantia Dei esse. » Sicut enim illud, « Formam assump- » sisse servi, » significat Dominum nostrum in substantia humanæ naturæ natum esse : ita etiam hoc, « In forma » Dei esse, » prorsus divinæ substantiæ proprietatem exhibet. « Qui vidit me, inquit, vidit Patrem [3]. » Hic autem alienum a Patre Unigenitum faciens, ac prorsus rescindens ab ejus societate, cognitionis ascensum qui per ipsum fit, quantum in ipso est, abscindit. « Quæcumque habet Pater, » mea sunt, [4] » inquit Dominus. At Eunomius communionem nullam esse ait Patri cum eo, qui ex ipso est. « Et sicut » Pater in seipso vitam habet : sic dedit et Filio vitam ha- » bere in semetipso [5]. » Hoc sumus ab ipso Domino edocti : ab Eunomio vero quid? nempe, nullam esse comparationem geniti cum genitore. Et uno verbo, ut imaginis rationem hac unica voce tollit, ita splendorem ac characterem esse substantiæ negat. Neque enim fieri potest, ut imaginem intelligas ejus qui nullam habet comparationem, neque, ut splendor sit ejus, qui nullam communionem secundum naturam habet. Cæterum in eodem artificii genere sursus persistit, dum ait non esse comparationem ingeniti cum genito : non Patris, cum eo qui ex ipso est, ut quam his

[1] Joan. VI, 27. — [2] Coloss. I, 15. — [3] Joan. XIV, 9. — [4] Id. XVII, 10. — [5] Id. V, 26.

vocibus inesse oppositionem ostenderit, eam in ipsam Patris et Filii substantiam transferat.

XIX. Sed ne, si omnes ipsius blasphemias persequamur, et singula quæ dixit confutare conemur, longius orationem protrahamus: quæ quidem manifestam habent impietatem, et per se legentibus patent, præteribimus; quæ vero aliqua ratione opus est redarguere, hæc proferemus in medium. Nam ubi variis modis, substantiam Patris Filio incommunicabilem esse affirmavit, et undecumque, ut sibi videtur, ineptiam ostendit, hæc adjungit.

Eun. Non enim dicere possumus communem quidem utrisque substantiam esse, ordine vero et temporis prærogativa illum primum esse, hunc vero secundum: siquidem certe in iis, quæ præstant, præstantiæ causam inesse oportet. Substantiæ autem Dei non tempus, non ævum, non ordo conjunctus est. Nam et ordo ordinante posterior est; nec quidquam eorum, quæ Dei sunt, ab altero ordinatum est. Et tempus quidam est stellarum motus ad qualitatem pertinens: stellæ autem non post ingenitam solum substantiam ac cunctas creaturas intelligentes, sed post prima etiam corpora factæ sunt. Jam vero de sæculis quid attinet dicere, cum Scriptura aperte pronuntiet Deum ante sæcula esse?

Bas. Postquam sumpsit sibi in oratione quæ voluit, et ea, quæ suæ causæ accommodata sunt, posuit, tum in absurdos sensus se ipse detrudens, hinc demonstrasse se putat, necessario recipienda esse dogmata sua. Ait enim: «Hoc dicere non possumus, quod communis quidem sit utrique substantia, ordine vero et temporis prærogativa hic sit primus, ille vero secundus.» Quod si communem substantiam sic a se acceptam dixerit, ut quamdam ex materia prius existente distributionem ac divisionem, in ea quæ ab ipsa sunt, intelligat; nos hanc sententiam non possumus susci-

pere. Absit: et qui hoc dicunt, si qui sunt, eos iis, qui dissimilitudinem profitentur, impietate inferiores non esse affirmamus. Si vero quis substantiæ communionem ita accipit, unam et eamdem « Essendi » rationem in utrisque consideret, ut si ex hypothesi Pater lux subjecto intelligitur, Unigeniti quoque essentiam lucem confiteatur; et quamcumque quis «Essendi» rationem reddiderit in Patre, eamdem et Filio accommodet; si ita essentiæ communio accipitur, admittimus, atque hoc nostrum dogma esse profitebimur. Nam hoc pacto et Deitas una erit, unitate videlicet secundum essentiæ rationem intellecta, adeo ut in numero quidem et in proprietatibus utrumque designantibus differentia sit: in Deitatis vero ratione unitas consideretur.

XX. Cum igitur constitutum sit quomodo oporteat communitatem substantiæ accipi, quæ sequuntur expendamus, quam scilicet habeant cum præcedentibus connexionem. « Ordine vero, inquit, et temporis prærogativa, ille primus est, hic secundus. » Quid necesse est ea, quorum communis est essentia, et ordini subjici, et esse tempore posteriora? Non enim fieri potest, ut universorum Deus cum sua ipsius imagine, quæ citra temporis accessionem illustrata est, ab æterno non sit, et conjunctionem non habeat non solum ultra tempora, sed etiam ultra omnia sæcula. Nam idcirco « Splendor » dicitur, ut conjunctionem intelligamus: et « Figura substantiæ [1], » ut consubstantialitatem perdiscamus. Sed et ordo alius naturalis est, alius artificialis. Naturalis quidem, ut creaturarum, qui ex creandi ratione dispositus est, et sicut numerabilium positio, et causarum ad producta habitus; cum res confessa sit, Deum etiam ipsius naturæ conditorem esse et opificem. Excogitatus vero et artificialis, ut ille, qui deprehenditur in probatio-

[1] Hebr 1, 3.

nibus, in disciplinis, in dignitatibus, in numero et reliquis hujusmodi. Eunomius itaque, horum priore occultato, de secundo ordinis genere fecit mentionem; aitque non oportere dicere in Deo ordinem esse, quoniam ordo ordinante posterior est. Illud vero aut non intellexit aut ultro occuluit, quoddam ordinis esse genus, non nostra constitutum ordinatione, sed ipsa necessitudine naturali contingens, quo se modo habent ignis et lux, quæ ex ipso est. Nam in iis causam priorem esse dicimus: posterius vero id quod ab ipsa est, non intervallo hæc a se invicem dirimentes, sed cogitatione causam ante effectum intelligentes. Quonam igitur pacto rationi consentaneum fuerit, ordinem in iis negare, in quibus est prius et posterius, non ex nostra dispositione, sed ex naturali quadam rerum consecutione? Cur igitur fastidit ordinem in Deo admittere? Arbitratur, si ostenderit non aliter prius in Deo intelligi, reliquum se habiturum, in ipsa scilicet substantia præstantiam demonstrari. Nos autem pro habitu causarum ad ea quæ ex ipsis sunt, Patrem Filio præponi dicimus: at vero secundum naturæ diversitatem non item, neque secundum temporis excessum, alioquin hoc pacto etiam Deum Patrem esse negabimus; cum alienatio, quæ in essentia reperitur, conjunctionem naturalem aboleat.

XXI. Sed quoniam huc ille in omnibus sapiens progressus est, nobis ut definiret temporis naturam, et hic quam firma, quam circumspecta sit mens ejus, videamus. Tempus ergo certum quemdam stellarum motum esse dicit, solis videlicet et lunæ ac reliquarum, quibus vis inest, qua per se moveantur. Intervallum igitur, quod ab origine cœli et terræ ad stellarum usque creationem intercessit, quidnam esse decernet eximius ille rerum sublimium speculator? Nam qui mundi creationem virtute Spiritus conscripsit, magna illa luminaria et reliquas stellas die quarta

productas esse perspicue narrat [1]. Tempus igitur, ut liquet, in prioribus diebus nequaquam erat, siquidem nondum movebantur stellæ. Quomodo enim id fieri potuisset, cum ne conditæ quidem omnino fuissent? Et iterum, cum Jesus Nave adversus Gabaonitas pugnaret, quoniam sol præcepto ligatus manebat immobilis, ac luna in loco stabat, tempus tunc non erat [2]? Quodnam igitur nomen illi diei spatio imponemus? Quam excogitabis appellationem? Etenim si temporis defecerat natura, ævum utique ei successit. At ævum exiguam diei partem appellare, quem dementiæ modum non superat? Sed, quæ multa est ejus solertia! putare videtur diem ac noctem fieri quapiam stellarum motione ad qualitatem pertinente, atque has esse temporis partes; unde tempus statuit quemdam esse stellarum motum qualitate præditum, ne id quidem quod dicit intelligens. Non enim motum qualitate præditum, sed quantitate donatum, si tamen ita loqui fas est, dicere magis conveniebat. Quis enim sic omnino puer est mente, ut ignoret dies, horas, menses, annos, temporis mensuras, non partes esse? Tempus autem spatium est, quod æque extenditur atque ipsa mundi constitutio: quo motum omnem sive stellarum, sive animalium, sive cujuscumque rei quæ movetur, admetimur; prout dicimus aliud alio velocius aut tardius esse; velocius quidem, id quod minore tempore plus percurrit spatii; tardius vero, quod minus longiore tempore movetur. Eunomius vero quoniam in tempore stellæ moventur, temporis ipsas esse opifices pronuntiat. Proinde ex sapientissimi illius sententia, quoniam scarabei quoque in tempore moventur, constituamus tempus talem quamdam motionem esse scarabeorum. Etenim quod dixit, id ab hoc nihil differt, nominum dignitate ex-

[1] Gen. 1, 19. — [2] Jos. x, 13.

cepta. Et hæc quidem ita se habent. Quæ autem sequuntur, considerate.

Eun. Atqui, inquit, ne fieri quidem potest, ut quidquam in Dei substantia existat velut forma, aut moles, aut quantitas, quod compositione omni prorsus immunis est Deus. Quod si cogitare neque fas est, neque unquam fuerit, horum et talium quidquam cum Dei substantia complicatum esse, quænam adhuc ratio sinet, ut cum substantia ingenita genitam conferamus? quippe ea, quæ secundum substantiam est, similitudo, sive comparatio, sive communio, nullam præstantiam aut differentiam relinquit, imo æqualitatem aperte efficit, atque cum æqualitate ingenitum demonstrat eum, qui assimilatur, vel comparatur. Nemo autem ita est stolidus et ad impietatem audax, qui æqualem Patri Filium dicat, cum Dominus ipse palam dixerit: «Pa»ter, qui me misit, major me est[1]. » Et rursus paulo post. Sed, missis pluribus, ea quæ diximus satis, puto, demonstrant universorum Deum ingenitum atque incomparabilem, unum esse.

Bas. Cum improbum aliquem sermonem vult attingere; nonnulla, quæ ab omnibus conceduntur, præmittit: ut propterea quod de iis recte sentit, in reliquis quoque sibi fidem paret. «Neque, inquit, fieri potest, ut in Dei substantia existat quidquam, neque forma, neque moles, neque quantitas, quod Deus prorsus expers est compositionis.» Ad hæc usque verba æquus est; in iis vero, quæ sequuntur, ad se ipse redit. Nam blasphemiam velut necessario ex præmissis consequentem adjungit, verbis illis: «Quod si cogitare neque fas est, neque unquam fuerit, horum et talium quidquam cum Dei substantia complicatum esse, quænam adhuc ratio sinet, ut cum substantia ingenita genitam comparemus?» Quamnam inter se cognationem habent illa, fieri

[1] Joan. xiv, 28.

non posse, si Deus incompositus est, ut Filius ei sit consimilis? Dic enim: «Nonne tu quoque pariter dices Filium neque formam, neque molem, neque quantitatem in seipso habere, atque prorsus a compositione liberum esse?

XXIII. Ego equidem, vel si insanires, non puto ausurum te esse aliud quid dicere Filium quam incorporeum, quam formæ expertem et figuræ, et omnia, quæ de Patre dicere possis? Quomodo igitur pium non fuerit eum, qui formam non habet, formam non habenti comparare? item eum, qui quantitatem non habet, quantitatem non habenti? item eum, qui omnino incompositus est, incomposito? Hic vero in forma statuit similitudinem, et in mole æqualitatem: quantitatem autem quid præter molem esse putet, ipse sane aptius exposuerit.

Eun. Idcirco, inquit, nec æqualis, nec similis, quoniam et quantitate caret et forma.

Bas. Ego vero in hoc ipso pono similitudinem. Quemadmodum enim Pater liber est ab omni compositione: ita et Filius simplex omnino est, atque incompositus. Quinetiam similitudinem non secundum formæ identitatem, sed secundum ipsam substantiam perspici arbitror. Quibus enim forma figuraque circumjacet, iis secundum formæ identitatem inest similitudo; quæ vero natura nec formam nec figuram admittit, reliquum est ut in ipsa substantia habeat similitudinem; æqualitatem vero non in molis dimensione, sed in potentiæ identitate possideat. «Christus, »inquit, Dei potentia, et Dei sapientia[1],» tota videlicet paterna potestate in ipso residente. «Unde quæcumque »videt Patrem facientem, ea et Filius similiter facit[2].»

Eun. Sed similitudo, inquit, quæ secundum substantiam est, aut comparatio, aut communitas, neque præstan-

[1] 1 Cor. 1, 24. — [2] Joan. v, 19.

tiam, neque differentiam ullam relinquens, æqualitatem aperte efficit.

Bas. Quomodo igitur differentiam nullam relinquit, ne quidem eam, quæ causis inest cum iis, quæ ex ipsis sunt? Subjungit postea:

Eun. Quis autem ita stolidus est, vel ad impietatem ita audax, ut æqualem Patri Filium dicat.

Bas. Ad hæc dicamus ei illa Prophetæ: « Facies meretricis facta est tibi; amisisti pudorem erga omnes [1]. » Etenim ut illæ suis ipsarum probris caste viventes aspergunt, ita hic quoque eos, qui majestatem Unigeniti magnificare cupiunt, stolidos et ad impietatem audaces vocat, iisdem offensus, quibus et Judæi exacerbabantur, dicentes tunc: « Æqualem seipsum facit Deo [2]. »

XXIV. Et certe (nemini videatur mirum quod dico) illi quodammodo consequentiam rerum magis perspicere videbantur. Nam ægre ferebant quod Deum Patrem suum appellaret, hanc inde a seipsis consecutionem colligentes, quod hoc pacto faceret æqualem se Deo; quasi necessario sequatur, si Patrem habeat Deum, Deo æqualem esse. Eunomius autem prius concedens, posterius negat, ac Domini vocem objicit nobis, dicentis: « Pater, qui me misit, major me est [3]: » nec audit Apostolum, qui dicit quod « Non rapinam arbitratus sit esse se æqualem Deo [4]. » Atqui si, ut dicis, ingeneratio substantia esset, voluissetque præstantiam secundum substantiam ostendere, dixisset utique: « Ingenitus major me est. » Nam sententia vestra hæc est, Patris appellatione operationem non substantiam significari. Itaque cum dicitis Patrem Filio majorem, operationem opere majorem dicitis. Omnis enim operatio, proportione servata, iis, quæ ex illa fiunt, congruit; et magna

[1] Jerem. III, 3. — [2] Joan. V, 18. — [3] Id. XIV, 24 et 28. — [4] Philip. II, 6.

quidem magnorum operum est, parva vero minorum. Proinde majorem Filio Patrem hoc modo confiteri, nihil aliud est, quam incongruentem operi operationem statuere, et dicere frustra Deum ad operationis magnitudinem commotum esse, cum non potuerit effectum operationi adæquare. Quare alterutrum ex duobus necessario admittent, ita ut vel Pater non significet operationem, sed substantiam, (sicque illis evanescet excogitata similitudinis ratio, qua sanciunt Filium Patri similem esse, id est operationi: qualem enim voluit Pater, inquiunt, talem fecit, unde voluntatis imaginem eum vocant): vel si id retinent, major Filio Pater dici non possit. Nam operatio omnis, externa nulla re obstante, habet cum effectibus suis proportionem. Atque hæc ad confutandam ipsorum in dogmatibus dissensionem dicta sint.

XXV. Illud autem cui non est perspicuum, quod aliquid dici possit majus aut ratione causæ, aut potentiæ redundantia, aut excellentia dignitatis, aut molis magnitudine? Itaque non accipi « Majus » secundum magnitudinem, et hic ipse prior dixit; et plane res ita se habet; cum in magnitudine « Majus » tantum sit, quantum et minus et amplius. Quæ enim magnitudine non possunt comprehendi, imo potius, quæ magnitudine ac quantitate omnino carent, ea quis possit inter se dimetiri? Quæ autem non queunt inter se comparari, quomodo in iis, id quod excedit cognoscetur? Dicere autem Christum Dei potentiam, potentia inferiorem esse, valde puerile est, et eorum, qui ne audierunt quidem vocem Domini, qui dixit: « Ego et Pater » unum sumus: » quique illud, « Unum, » pro æqualitate potentiæ accepit, ut ex ipsis Evangelii verbis ostendemus. Cum enim dixisset de iis qui crediderant: « Nullus eos e » manu mea rapiet: » et, « Pater qui mihi dedit, major omni» bus est: » et, « Nullus e manu Patris mei potest rapere »

adjunxit : « Ego et Pater unum sumus[1], » sic ut aperte « Unum » pro æqualitate ac identitate potentiæ accipiat. Præterea si Dei sedes, ut nos credimus, dignitatis nomen est, illa Filio a dextris Patris assignata sedes quidnam aliud quam dignitatis æqualitatem significat ? Quin et Dominus in gloria Patris venturum se pollicetur[2]. Reliquum est igitur, ut vox « Majus » hic secundum causæ rationem dicatur. Nam quoniam a Patre origo est Filii, hoc major est Pater, quod causa sit et principium. Quapropter et Dominus sic dixit : « Pater meus me major est, » prout Pater videlicet. Illud autem, « Pater, » quid aliud indicat nisi causam atque originem esse ejus, qui ex ipso genitus est ? Denique secundum vestram sapientiam, substantia ipsa non substantia dicitur major aut minor. Quare et secundum illos ipsos, et secundum veritatem ipsam, vox « Majoris » quæ usurpata est, nullo pacto præstantiam secundum substantiam significat. Nec vero hic ipse Deum Patrem majorem dixerit secundum molem, qui scilicet statuerit quantitatem in Deo intelligi non oportere. Superest igitur is, quem nos diximus, « Majoris » modus, principii, inquam, et causæ. Quam itaque blasphemiam circa vocem « Majus » tentavit, ea ejusmodi est.

XXVI. Illud autem admiratione dignum, quod sic in paucis ad sermones perquam inter se contrarios delapsus, oculis animi velut quadam cæcitate perculsis, verborum inter se pugnam intelligere non potuit : planum ut sit ac conspicuum eum tam alienum esse a Dei pace, quam Dominus noster iis, qui vere ac sincere in ipsum crediderunt reliquit, dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem » meam do vobis[3], » ut non cum aliis solum, sed secum etiam ipse pugnet. Nam ubi Deum et Patrem dixit unigenito Filio majorem, et eos, qui æqualem dicunt, dementiæ

[1] Joan. x. 28-30. — [2] Matth. xvi, 27. — [3] Joan. xiv, 27.

insimulavit; quasi suppeterent sibi ea de re demonstrationes, quibus non possit contradici; paululum progressus qualia scribat, expendite.

Eun. Verum, quod unus sit universorum Deus ingenitus atque incomparabilis, pluribus omissis, ea quæ dicta sunt, puto, sufficiunt ad demonstrationem.

Bas. Interrogetur itaque : Si incomparabilis est Deus, unde præstantia ejus comprehensa est? quippe id quod majus est ex comparatione eorum, quæ superantur, æstimatur. Quî igitur fieri potest ut idem et major sit et incomparabilis? Verum ut Dei substantiam ab Unigeniti substantia diversam ostenderet, illud, « Majus, » quod comparative dicitur, pro substantiæ diversitate accepit : rursus, ut ad creaturæ æqualitatem Unigenitum detrudat, Patrem sancit esse incomparabilem. Novam quidem ac vere incomparabilem blasphemiæ viam commentus est, qui intereadum exaltare se ac extollere Deum et Patrem simulat, imminuat unigeniti Filii et Dei majestatem; quanquam Dominus testatur ac dicit : « Qui non honorat Filium, Pa» trem non honorat[1] : » et, « Qui me contemnit, non me con» temnit, sed eum qui me misit[2]. » Sed veritatis inimicus, cujus opera ac impulsu isti hæc dicunt scribuntque, illud vidit, quod si eos circa gloriæ Unigeniti cognitionem excæcarit, etiam ipsius Dei ac Patris cognitionem simul ablaturus esset : ut etiamsi videantur prærogativas quasdam Deo et Patri attribuere, nullum tamen inde emolumentum consequantur, cum eis ejus viæ, quæ ad ipsum ducit, adempta notitia sit. Nam et Judæi gloria Deum afficere se putant; et audias Gentiles nonnullos, qui aliquid velint magni de Deo dicere : sed ab iis absque fide in Christum per quem ad cognitionem accessus fit, Deum magnificari dixerit nemo.

[1] Joan. v, 23. — [2] Luc. x, 16.

XXVII. Incomparabilem igitur dicit Deum, ut Filium in eo creaturis æqualem esse ostendat, quod pariter abest a majestate Patris. Quæ enim æquali superantur mensura, æqualia inter se necessario sunt. Tantum autem superatur secundum hujus sententiam a Deo et Patre unigenitus Filius quantum et aliorum singula. Nam quod comparari non potest, id ejusmodi est, ut omnibus pariter inaccessum sit atque impervium. Quare si Filius a Patre æque distat, atque res aliæ, æqualis est iis quibuscum ab illo distat. Quid igitur hac blasphemia pejus dixerint Judæi? Quid deterius ex gentibus audire possumus? Nec pudet eos, qui se Verbum Dei colere fingunt, Judæis ac Gentilibus jucunda documenta atque familiaria proponere. Nam si Deo et Patri non comparatur, quemadmodum neque Angeli, neque cœlum, neque sol, neque terra, neque animalium, quæ in ea sunt, ullum, neque plantarum ulla, quomodo a propriis creaturis erit diversus? Contra, unde illi cum Patre conjunctio? « Ego, inquit, et Pater unum sumus[1]. » Rursus enim ejusdem dicti faciamus mentionem. Hoc, dic mihi, nonne verbum est comparantis seipsum? Quid dico comparantis? imo unientis, ut ita dicam, et naturæ similitudinem integerrimam hinc declarantis? Hic vero incomparabilem esse Deum statuit. Et bonitas quidem Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, homines, prout capere possumus, per studium ac exercitationem bonorum operum eo adducit, ut fiant Deo universorum consimiles, dum dicit : « Sitis » perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est[2] : » hic autem Unigenitum naturali cum Patre conjunctione, quantum in ipso est, privat. Sed et hæc ratio sic adversus hunc ipsum retorquebitur. Etenim si incomparabilis est Pater, unde Filium dissimilem esse demonstrabit? Et vero, si ex essentiarum inter se comparatione dissimilitudinem

[1] Joan. x, 30. — [2] Matth. v, 48.

invenisse se dicturus est, quî fieri potest ut incomparabilis sit qui talis est? sin autem ne comparatur quidem ullo modo, quomodo potuit diversitatem cognoscere? Sic malum non bono solum videtur adversari, sed ipsum etiam sibi ipsi.

ADVERSUS EUNOMIUM.

LIBER II.

DE FILIO.

I. Itaque [1] posteaquam in iis, quos de Deo universorum habuit sermonibus præstruxit, quoad potuit, in Dei Filium blasphemias, deinceps in ipsum unigenitum Deum immittit linguam. Quid enim dicit?

Eun. Et unus Filius. Unigenitus enim; de quo Sanctorum voces per quas Filium et genituram et creaturam prædicant, si protulissemus; sic poteramus, substantiæ etiam diversitate per nominum diversitatem declarata, curis liberi esse atque negotiis. Sed propter eos, qui generationem corpoream intelligunt, et quibus voces ambiguæ sunt offensioni, necesse forte fuerit de iis etiam pauca dicere.

Bas. Hæc quidem Eunomius. Ego vero si oporteat de tota oratione sicut de re ficta sentire, qualia vanitatis scholis proponuntur adolescentibus ad exercitationem, ut appareat in mendacio verisimilitudo, (siquidem ut illis contingit, ita hic pugnæ adumbratæ similia sunt omnia : pugna videlicet contra accusatores qui non extant : apologia ac

[1] Vide D. Guillon, t. vii, p. 413-417.

responsio ad accusationem non prænuntiatam : oratio ad judices qui nusquam comparent,) si, inquam, et hæc audire oportet, tum ipse de iis inquirere desino, tum omnes admoneo, ut nihil eorum, quæ dicta sunt, satagant : sin majus est quod promittit, et multis oborta est suspicio aliquam esse apud eum veritatis curam, necesse omnino fuerit singula verba pro nostra virili parte confutare. Quis autem expendendi modus justior fuerit, quam si datis nobis a Spiritu documentis orationem conferentes, quod quidem illis consonum invenerimus, id suscipiamus : quod vero iis adversatur, id nequaquam credamus atque ut inimicum effugiamus?

II. Primum itaque illud ostendat, qui sint Sancti qui genituram et facturam Christum appellarint? quas Scripturarum voces habeat ad demonstrationem? Nam si beati Petri voce, quæ in Actis Apostolorum conscripta est, innititur, ubi dicit : « Sciat tota domus Israël, quod Dominum » ipsum et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos » crucifixistis[1] : » primum quidem id testimonium convenientiam nullam habet cum quæsito. Nam ostensurum se professus Filium a Sanctis « Facturam » dictum fuisse, testimonium perhibet de Deo et Patre, quod fecerit. Non enim illud dixerit, licere sibi tum, cum de tantis rebus sermo instituitur, derivationes quasdam ac variationes nominum excogitare. Enimvero si vel otiosi verbi pœnas in die judicii dabimus; multo minus si quidquam in tantis rebus innovamus, id nobis citra pœnam remittetur. Fortasse enim illud quidem tanquam consentaneum de Deo et Patre dici, a divina Scriptura edocti sumus : hoc vero non convenire Unigenito, Spiritus sanctus silendo ostendit. Quomodo igitur tutum fuerit, voce « Fecit » immutata, universorum Factorem facturam dicere? Etenim si appellatio ejusmodi

[1] Act. II, 36.

ei conveniret, utique non fuisset prætermissa a Spiritu silentio. In creaturis quidem reperimus a verbo, « Fecit, » desumptam fuisse facturæ appellationem : in Filio autem Dei non item. « In principio enim Deus fecit cœlum et ter- » ram[1]. » Et rursus : « In facturis manuum tuarum medita- » bar[2]. » Etenimvero quæ sunt invisibilia illius, ex creatione mundi, dum per « Facturas » innotescunt, perspiciuntur[3]. Sic Scriptura in quibus opportunum est usurpans hoc nomen, id de Domino nostro et Salvatore Jesu Christo, tanquam gloriæ ejus majestatem haud decens, obticuit. Sed tamen et asciam, et lapidem angularem, et lapidem offensionis, et petram scandali, et aliis ejusmodi nominibus, in quibus non multum videtur inesse laudis, iis, qui nominum significationem non assequuntur, Dominum gloriæ appellare non erubescit; at « Facturam » nusquam omnino nominavit. At vero hic ab ipsis Sanctis hoc se nominis accepisse ait, ut non suos solum æquales, sed Sanctos etiam, qui olim fuerunt, calumniis suis involvat.

III. Verum præterquam quod ob periculum non oportet talia audere, neque Domini nomina a seipso transformare, præterea ne ipsa quidem Apostoli sententia exhibet nobis eam Unigeniti, quæ ante sæcula fuit, subsistentiam : de qua nunc nobis sermo est. Neque enim de substantia ipsa Dei Verbi, quod « In principio erat apud Deum[4], » sed de eo qui « Seipsum exinanivit in forma servi[5], » et factus est conformis corpori humilitatis nostræ[6], ac « Crucifixus est ex » infirmitate[7], » clare ac perspicue disserit. Et hoc notum est omnibus qui vel parum ad apostolicæ dictionis sensum animum intenderunt, quod non theologiæ nobis modum tradit, sed dispensationis rationes declarat. « Dominum » enim, inquit, et Christum ipsum Deus fecit, hunc Jesum

[1] Gen. I, 1. — [2] Psal. CXLII, 5. — [3] Rom. I, 20. — [4] Joan. I, 2. — [5] Philip. II, 7. — [6] Id. III, 21. — [7] 2 Cor. XIII, 4.

» quem vos crucifixistis[1] : » hac demonstrativa voce in humanitatem ejus, atque in id quod oculis omnium subjectum erat, tantum non aperte intentus. Hic vero vocem « Fecit » ad eam Unigeniti generationem, quæ a principio fuit, transfert. Et ne illud quidem eum pudore afficit, quod vox « Dominus » non nomen sit substantiæ, sed potestatis. Quare qui dixit : « Dominum ipsum et Christum Deus fecit, » principatum ac dominium in omnes ei a Patre traditum dicit, non illius ad « Esse » transitum narrat. Et quidem hæc paulo post ostendemus ; cum convincemus illum Scripturæ testimonia præter Spiritus voluntatem proferre in medium : sed nunc ad verba cohærentia progrediamur. Quid ergo hoc nomen sibi vult? qua tandem de causa facturam factorem omnium appellare aggreditur? Ipse se fucata cavillatione decipiens, substantiæ etiam diversitatem una cum nominum discrimine ostendi existimat.

IV. Sed quis mentis compos ad hanc sententiam accesserit, quod quorum nomina sunt diversa, horum etiam substantias diversas esse necesse sit? Petri enim et Pauli, et in summa, hominum omnium appellationes sunt quidem diversæ : sed tamen omnium una substantia est. Quapropter in plurimis iidem inter nos sumus, et solis proprietatibus, quæ in unoquoque considerantur, alter ab altero differimus. Unde et appellationes non substantias, sed proprietates, quibus quisque designatur, significant. Itaque cum audimus « Petrum, » non ejus substantiam hoc nomine intelligimus (substantiam autem nunc dico materiale subjectum, quod nequaquam eo nomine significatur :) sed proprietates, quæ circa eum considerantur, cogitatione depingimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaïda, Andreæ fratrem, qui ex pis-

[1] Act. II, 36.

catore ad apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit : quorum nihil quidquam essentia est, si essentia tanquam substantia intelligatur. Quare nomen characterem quidem Petri nobis circumscribit, ipsam vero essentiam nequaquam exhibet. Rursus, cum « Paulum » audimus, aliarum proprietatum intelligimus concursum, Tarsensem, Hebræum, secundum legem Pharisæum, Gamalielis discipulum, æmulationis ergo Ecclesiarum Dei persecutorem, ex tremendo viso ad agnitionem perductum, Apostolum gentium. Hæc enim omnia una Pauli voce circumscribuntur. Atqui si verum esset essentias eorum, quorum nomina diversa sunt, contrario modo se habere, oporteret certe et Paulum et Petrum et generatim homines omnes diversæ inter se essentiæ esse. Sed cum nemo sit ita ignarus, ita communis naturæ imperitus, qui id dicere animum inducat : « E » luto enim, inquit, formatus es tu, sicut et ego [1]; » ubi nihil aliud nisi eamdem essentiam omnium esse significat Scriptura ; mendax est qui ex nominum diversitate diversitatem essentiæ sequi fingit. Nec enim rerum natura nomina sequitur; sed posterius rebus nomina inventa sunt. Etenim si id verum esset, quorum eædem essent appellationes, eorum etiam oporteret unam et eamdem essentiam esse. Proinde cum Dei appellatione [2] dignati sint qui in virtute sunt perfecti, essent utique homines Deo universorum coessentiales. At sicut hoc dicere manifesta insania est : sic et sermo ille dementiam non dissimilem sapit.

V. Patet igitur ex dictis, quod nomina non significent quoque in Patre et Filio essentiam, sed proprietates designent. Nullum igitur locum habet is sermo, qui ex nominum diversitate essentiarum contrarietatem introducit. Hoc autem modo se ipse ante omnia evertit. Nam si factura

[1] Job. xxxiii, 6. — [2] Psal. lxxxi, 6.

et genitura differunt inter se, Unigeniti essentiæ, ex diversitate nominum consequentes, erunt diversæ. Sed si hoc dicere dementium est, neque illud eorum est qui mentis compotes sunt. Hic autem simulat etiam habere se innumeras demonstrationes, quod Filius a Sanctis « Factura » appellatus sit. At quasi ad alia quædam potiora festinaret, in præsenti scilicet mentionem differt. Est autem et hoc artificiosa versutaque malitia, silentium, cum verbis inops est, anteponere. Etenim si umbram haberet testimonii, quo Unigenitus factura diceretur, nonne jam aures nostræ his clamoribus circumsonantes obsurduissent? Deinde ait necesse sibi esse propter eos, qui corpoream Domini generationem intelligunt, et quibus voces ambiguæ sunt offensioni, de his etiam breviter dicere. Sed quid vetabat, firmata Scripturæ testimoniis oratione sua, ita demum ad debiliorum emendationem accedere, atque ortam ex ambiguis vocibus perniciem emollire, si qua tamen unquam ulli accidit aut accidet? Quis enim sic omnino mente carnalis est, et ita divinarum Scripturarum rudis, ut, divina generatione audita, ad corporeas imagines deferatur, in quibus congressus sit viri et mulieris, conceptio in utero, conformatio, configuratio, ac debitis temporibus progressus in lucem? Quis adeo belluinus, ut dum audit Deum Verbum ex Deo prodiisse, atque ex Deo genitam esse sapientiam, ad corporeos affectus cogitatione delabatur?

VI. Sed hæc quoque speciosa verborum forma una cum aliis ei excogitata est, ut, ob quamdam erga imperitos fratres commiserationem, laboriosam hanc docendi provinciam suscepisse videatur. Et corporeas quidem suspiciones, quæ ex hac appellatione oboriuntur, corrigit scilicet: sed detrimenta ea, quæ ob facturæ nomen Domino impositum nascuntur, nequaquam evitat. Et vero generationem corpoream esse qui animo fingit, idem utique ad materiales

etiam factionis modos deduci poterit. Nec enim partitionem quampiam et transitum aut fluxum, qui ex generantis substantia fiat, is, qui imbecillis est, ex generandi voce intelliget : materiam vero quæ extrinsecus ex nihilo ad facturæ, ut vos dicitis, constituendam substantiam advecta sit, non adducetur ut animo concipiat. Cur igitur cogitationum ægritudini, qua fratres laborant, media ex parte medetur, et eorum qui corpoream generationem intelligunt, suscepta cura, eos quibus facturæ appellatio offensioni est, negligit? quoniam hoc quidem, « Genitum esse, » suis ipsius dogmatibus contrarium novit, cum genitus cum genitore conjuncte omnino ac citra diversitatem habere se debeat : illud vero, « Factum esse, » causæ suæ amicum ac subsidiarium agnovit, quod id alieni peregrinique, et nullam omnino cum factore conjunctionem habentis notionem exhibet. Deinde ad hæc addit, dicens :

Eun. Genituram itaque Filium dicimus, secundum Scripturarum doctrinam, non aliud quid substantiam intelligentes, et aliud quid quod præter ipsam significetur, sed ipsam esse hypostasim, quam nomen significat, cum substantiæ vere congruat hæc appellatio.

Bas. Et in his utique veritatem palam oppugnat, sibi ipsi tamen consona loquitur. Quemadmodum enim in superioribus decernebat in Deo universorum substantiam ejus per ingenerationem significari : ita hic quoque substantiam Filii per genituram significari dicit, ut geniti ad ingenitum oppositione, Unigenitum secundum ipsam substantiam contrario modo ad Patrem se habere ostendat. Quapropter cum Filium genituram appellat, verba; quæ a divino Spiritu usurpata non sunt, præscribit. Unde hæc accepit? ex qua doctrina? a quo Propheta? a quo Apostolo, qui hoc ei cognomen tribuerit? Ego equidem hanc vocem sic expressam in nullo Scripturæ loco invenio.

VII. Atqui hic iste se has appellationes non aliunde quam a Spiritus doctrina sumpsisse gloriatur. Parum enim ei fuit hominibus negotium facessere, nisi in ipsum etiam Spiritum insolesceret. Patrem quidem genuisse, ex multis locis didicimus : Filium vero genituram esse needum ad hunc usque diem audivimus : « PARVULUS enim, inquit, » NATUS est nobis : filius et datus est nobis [1]. » Atque vocatur nomen ejus, non genitura, sed magni consilii Angelus. Atqui si genitura substantiam significaret, non aliud profecto nomen nos docuisset Spiritus, quam quod substantiam ejus palam declarare posset. Et rursum, Petrus qui ob veritatis agnitionem illis beatitatis testimoniis dignatus est, non dixit : « Tu es genitura , » sed, « Tu es Christus, » Filius Dei vivi [2]. » Quin et Paulus, etiamsi omnia sua scripta Filii appellatione impleverit, nusquam tamen genituræ mentionem fecisse reperietur : quod nomen hic ille tanquam si illud ex divino documento accepisset, confidentia multa profert. Nec enim hic ei permittendum est, ut, voce « Genuit, » quæ de Patre dicitur, transmutata ac transformata, appellet Dei Filium genituram. Non enim convenit, ut is, qui divino timore eruditus est, in id quod ex verborum consecutione apparuerit, facile transiliat : sed ut contentus sit usitatis in Scriptura nominibus, in iisque permaneat, et per ipsa, ut Deum decet, glorificationem persolvat. Nam si hi, qui initio hebraïcam linguam in græcam converterunt, nomina quædam interpretari ausi non sunt, sed ipsam hebraïcam vocem retinuere, ut Sabaoth, Adonaï, Eloï, et si quid ejusmodi est, non in divinis solum nominibus, sed in aliis etiam pluribus hanc reverentiam ostendentes; quantum decet nos habere timorem circa nomina Domini ? Quando autem sustinuissent illi a seipsis nonnulla nomina confingere, qui ne interpretari quidem

[1] Esaï, IX, 6. — [2] Matth. XVI, 16

ausi sunt aliqua, ne expressionis perspicuitatem inepto significatu debilitarent?

VIII. Sed si, inquit, Deus genuit, quomodo par non est genitum genituram appellare? quia horrendum est nobis eum, « Cui largitus est Deus nomen quod est super omne » nomen [1], » nominibus nostris appellare : « Filius meus es » tu, inquit, ego hodie genui te [2]. » Atqui erat magis consentaneum secundum istorum rationem, propterea quod genitus est, genituram vocari, non filium; at nequaquam dictum est. Proinde oportet eum, qui Christi judicium ob oculos habet, novitque quam periculosum sit quidpiam subtrahere, aut addere iis, quæ a Spiritu tradita sunt, non conari quidquam a seipso innovare, sed in iis, quæ prius a Sanctis nuntiata sunt, acquiescere. Quod igitur nec communis consuetudo, nec Scripturarum usus admisit, id audere, nonne summæ dementiæ est? Quis enim pater aut mater, si benevole ac blande erga eum, qui ex se est, afficiatur, omisso filii aut nati nomine, genituram ipsum vocaverit? « Nate enim, inquit, vade in vineam [3]; » et alibi : « Deus videbit sibi ovem ad victimam, nate [4]; » et rursus Isaac, « Quis es, nate [5]? » et, « Fili, noli negligere disciplinam » Domini [6]; et, « Filius sapiens lætificat patrem [7]; » et si quid aliud ejus generis. Nemo autem eum, qui ex ipso est, genituram appellasse usquam perhibetur. Et aperte hoc est causæ, quod filius quidem ac natus, animatorum sunt nomina, genitura autem non continuo. Nam id etiam quod antequam conformatum sit, in abortibus ejicitur, genitura nominari potest, nec tamen hoc nati appellatione dignum est. Quinetiam terræ fructus vocantur genituræ, nati non item : « Non enim bibam, inquit, de genimine vitis hujus [8]. »

[1] Philip. II, 9. — [2] Psal. II, 7. — [3] Matth. XXI, 28. — [4] Gen. XXII, 8. — [5] Id. XXVII, 18. — [6] Prov. III, 11. — [7] Id. X, 1. — [8] Matth. XXVI, 29.

Raro vero in animatis hanc appellationem adhibitam invenimus. Et certe ubi usurpata est, eam acceptam de animali vituperato et ad pravitatis imaginem assumpto videre est : « Serpentes enim, inquit, genimina viperarum[1]. » Eam ob causam, opinor, et communis consuetudo hanc appellationem neglexit, et divina Scriptura eam videtur vitare, et maxime in unigenito Filio Dei. Sed et nati appellationem, velut multum humani moris habentem, non admisit. Ostendit autem id Apostolus, dum Dominum sursum ac deorsum Filium vocat, ac aliis variis nominibus illum celebrat, primogenitum et imaginem et splendorem appellando ; at genituræ appellationem evitat. Quod si eam usurpat, hic aut alius quispiam eorum, qui hujus orationem defendunt, ostendat : atque concedemus eis, ut omnia hæc expungant. Sed nequaquam poterit, nisi Marcionem impium imitatus, alia de divinis eloquiis tollat, alia falso interserat. Hoc itaque modo genituræ vocem et a communi consuetudine, et a Scripturarum usu alienam esse demonstratum est.

IX. Videamus autem jam utrum fieri possit, ut hoc nomen de ipsa Filii substantia usurpetur. Ipse enim ait :

Eun. Fieri nequaquam posse, ut aliud quid substantiam intelligamus, et aliud quid quod præter ipsam significetur, sed ipsam esse hypostasim, quam nomen significat, cum vere substantiam denotet hæc appellatio.

Bas. Sunt vere digna judicibus quos confinxisti ista tua dogmata. Quemadmodum enim in somniorum foro, aut ebriorum concione, ubi nemo audiat aut intelligat quæ dicuntur, leges multa cum licentia sancis, ratus satis esse pro omni demonstratione dixisse te. Quis enim nescit nomina ea, quæ absolute et per se proferuntur, subjectas sibi res significare : ea vero, quæ respectu aliorum dicuntur,

[1] Matth. XXIII, 33.

habitum solum, quem ad ea quæ dicuntur habent, indicare? Exempli causa, homo, equus, bos, unamquamque rem quæ nominatur indicant. Filius vero, aut servus, aut amicus, solam, quam cum conjuncto nomine habent, affinitatem significant. Itaque genituram qui audit, non ad quamdam substantiam excogitandam mente fertur : sed cum alio junctam eam esse intelligit. Genitura enim alicujus genitura dicitur. Quod autem substantiæ cujuspiam notionem non parit, sed solam ad aliud habitudinem notat, id substantiam esse sancire, annon summæ amentiæ est? Atqui paulo superius a nobis demonstratum est absoluta etiam nomina, etiamsi maxime subjectum quiddam significare videantur, non tamen substantiam ipsam exhibere, sed proprietates quasdam circa ipsam designare.

X. Sed sapientissimus ille, qui in vanis artibus vitam totam consumpsit, dicere non erubescit genitura substantiam ipsam Unigeniti significari. Quod quam absurdum sit, quæso, animadvertite. Etenim si substantia genitura sit, et vice versa, si quod genitura est, hoc substantia sit, genituræ omnes erunt inter se consubstantiales. Hinc jam secundum hujus rationem quid eveniet? comperietur universorum Opifex eamdem cum omnibus generationem participantibus substantiam habere. Nec enim dicturus est genituram in Filio substantiam significare, in reliquis vero generationis participibus non eamdem amplius notionem retinere. Alioqui proferat claram quamdam causam cui non possit contradici, cur appellatio eadem eamdem similiter in omnibus vim non habeat. At certe non poterit. Quamcumque enim genituræ rationem excogitaverit, ea omnibus similiter genitis congruet. Verum autem esse quod dicimus, id quod cuique audientium in mentem venit, maximum signum est. Interroget enim unusquisque seipsum, ubi audierit : « Hic hujus genitura est, » quid animo

concipiat? Num cogitat genitum genitoris substantiam esse? Certe ut hoc ridiculum est : ita illud verum, quod ab eo per generationis modum ad « Esse » productus sit. Hoc itaque par fuerit similiter et de Unigenito et de quocumque genito dicere. Et nemo, quoniam communis habitus est, Unigeniti dignitatem destrui existimet. Non enim Filius in eo differt ab aliis, quod sese ad aliquid certo quodam modo habeat : sed Dei præstantia, qua res mortales superat, in substantiæ proprietate ostenditur. At considerate ad quam ineptiam doctrina horum deducat. Si genitura, alterius genitura dicatur, sicut et communis consuetudo confirmat, nec quisquam contradicet, hæc ipsa autem genitura in Filio quoque secundum horum doctrinam substantiam significet, substantia erit illius, cujus genitura dicitur. Ex hac itaque consecutione conficietur, ut genituræ appellatio non amplius Unigeniti substantiam significet, id quod hi totis viribus affirmant, sed Dei universorum. Etenim si fieri non potest, ut aliud quid substantiam intelligamus, et aliud genituram præter ipsam, idem est substantiam dicere et genituram. At Filius genitura Dei est, Dei ergo erit substantia, si genitura substantiam significat. Atque hoc pacto genitura, ex sententia ejus, ingeniti substantia esse comperietur. Sed si ridiculum est quod sequitur, qui antecedentia posuit, is dedecus sibi sumat. Oratio enim, cum semel a vero deflexit, ad multas ac periculosas ineptias quadam erroris consecutione delabi quodam modo videtur.

XI. Sed hæc sunt quasi præludia quædam blasphemiæ atque apparatus : caput autem mali infert in sequentibus, ubi dicit :

Eun. Substantiam Filii genitam quidem esse cum non esset ante propriam constitutionem, genitam tamen esse ante omnia voluntate Patris.

Bas. Iisdem adhuc insistit artificiis. De substantia Filii nobis verba facit, quasi dicat Filium esse aliud quid præter ipsam, atque hoc modo aures ad blasphemiam audiendam demulcendo præparat, cum non aperte dicat genitum esse ex nihilo Filium; sed ejus substantiam cum non esset, genitam esse. Dic, ante quas res non erat? Videtis ejus cavillationem? Substantiam cum semetipsa comparat, ut tolerabilia dicere omnibus videatur. Nimirum non dicit eam ante sæcula non fuisse, neque simpliciter non fuisse, sed ante suam ipsius constitutionem non fuisse. Sed, dic mihi, ais-ne tu Patris substantiam sua ipsius constitutione esse antiquiorem? Etenim si temporibus non subjicit Filii substantiam, neque « prius » hac ratione intelligit, inanis et vana est ejus oratio, quapropter ne responsione quidem digna est. Et quidem id ipsum non minus de Deo etiam universorum dici poterit, si quis in eum hanc inanitatem voluerit transferre. Nam et dicere Deum ante suam constitutionem non fuisse, et dicere eum ante seipsum fuisse, ejusdem dementiæ est. Quod si temporaliter vocem « prius » de Filii substantia accipit, dicetque genitam fuisse ex nihilo substantiam ejus, imo Filium ipsum, nihil enim refert, quod ad sententiam attinet, sic vel sic dicere : primum quidem temporibus atque, si ita vis, sæculis Conditorem sæculorum constituit posteriorem : deinde vero blasphemiis suis insistens, dicturus est etiam Patrem, cum Pater non esset ab initio, tum demum factum fuisse.

XII. Atqui si honestum ac decorum est Dei beatitudini Patrem esse, quî fit ut id quod decebat, ei ab initio non adesset? Aut enim melioris ignorationi, aut omnino impotentiæ hunc defectum imputabunt : ignorationi quidem, si deinceps quod melius est excogitavit : impotentiæ vero, si sciens atque intelligens, quod optimum erat assequi non potuit. Quod si (quod fas non est dicere) non est ei bo-

num Patrem esse, cujus rei gratia commutatus pejus elegit? Sed recidat in suos auctores blasphemia. Nam Deus universorum Pater est ex infinito, nec unquam Pater esse cœpit. Neque enim potentiæ defectu, ne expleret voluntatem, detinebatur : neque ullorum sæculorum circuitus expectavit, ut sicut in hominibus ac reliquis animalibus, ei generandi facultate post completam ætatem accedente, quod volebat assequeretur. Insanientium enim est hæc et cogitare, et loqui. Sed ut ita dicam, extentam habet cum sua æternitate paternitatem. Quamobrem et Filius cum ante sæcula sit, et semper sit, nunquam esse incœpit : sed ex quo Pater est, et Filius est, et statim una cum Patris notione, Filii quoque notio subrepit. Nam Pater, Filii utique est Pater. Patris igitur origo nulla : origo vero Filii, Pater; inter hos nihil est medii. Quomodo igitur a principio non erat (nam illud, « Ante suam constitutionem, » quod ab his per cavillationem profertur, hoc sibi vult,) is, qui nihil habet quod ante se intelligatur, nisi illum, a quo « Esse » habet, non intervallo præcedentem, sed causæ dignitate præpositum? Proinde si Filii cum Patre et Deo conjunctio ostensa est æterna, cum nostra cogitatio a Filio ad Patrem per nullum medium deveniat, imo absque intervallo Patri Filium conjungat, is qui nullo medio sejungitur, quem jam aditum pravæ blasphemiæ relinquit eorum, qui eum dicunt ex non existente ad «Esse» productum esse?

XIII. Adhæc ipsorum quoque dementiam mirari operæpretium est, quod dum ex non extantibus esse dicunt Filium, nequaquam intelligunt quod eum non Patre solum, sed ea etiam re, per quam Unigenitum a Patre separant, posteriorem statuant. Nam necesse est, si quid sit inter Patrem et Filium, id Filii existentia antiquius esse. Quid igitur hoc esse poterit? Quidnam aliud nisi aut ævum aut

tempus? Qui enim Patris vitam vita Unigeniti intelligit anteriorem, qua re alia quam sæculorum aut temporum quorumdam spatio admetiens, excessum invenisse se dixerit? Quod si hoc verum est, falsa Scriptura est, quæ dicit facta esse per ipsum sæcula [1]; quæque docet facta esse per ipsum omnia [2], cum certe in omnium numero sæcula etiam comprehendantur. Si vero dicturi sunt se non negare Filium ante sæcula genitum esse, sciant, quod verbis concedunt, id revera ab ipsis tolli. Interrogabimus enim eos, qui ex non extantibus substantiam producunt Unigeniti: quando non erat, ut dicitis, quid erat illud intervallum? quam ei appellationem excogitabitis? Nam communis consuetudo spatium omne aut temporibus aut sæculis subjicit. Nam quod in sensibilibus est tempus, hoc sæculi est natura in rebus mundo superioribus. Isti vero si quid tertium pro sua sapientia comminiscuntur, dicant. Sed dum tacebunt, haud ignorent se Unigeniti substantiam sæculis posteriorem constituere. Etenim si quod spatium fuit Filio antiquius, quod videlicet se æque ac Patris vita extenderit, utique alterum ex his erat. Sed nec est, nec erit cogitatio Filii extantia antiquior. Nam omni re, quæ ordine antiquitatis excogitari potest, anterior invenietur illa Dei Verbi quod apud Deum a principio erat, existentia. Etsi enim se ipsa decipiens mens innumeris imaginationibus, seque rerum non subsistentium commentis occupans, ea quæ non sunt excogitaverit; nullam omnino inveniet artem, qua seipsam possit ultra Unigeniti principium extendere, aut vitam ejus, qui per se vita est, suo ipsius motu inferiorem relinquere, aut sua cogitatione originem Dei Verbi transcendere, aut sæcula Deo sæculorum destituta sibi fingere.

XIV. Cæterum ubi debitam Unigenito gloriam abstulit, animadvertite quibus eum verbis exornet.

[1] Hebr. 1, 2. — [2] Joan. 1, 3.

Eun. Est autem, inquit, substantia Filii genita ante omnia, voluntate Dei et Patris.

Bas. Filio hoc tribuit magni, quod antiquior sit creaturis, et ante ea quæ ipse fecit : ratus satis esse ad gloriam Conditoris universorum, si sit ante suas ipsius creaturas collocatus. Nam posteaquam eum, quantum in se fuit, a conjunctione quam cum Deo et Patre habet, alienavit, ei in eo defert gloriam, quod ipsum creaturis præferat. Deinde ad summam impudentiam efferens blasphemiam, inevitabili, ut putat, syllogismorum vi nos circumvallat.

Eun. Aut enim existentem, inquit, genuit Deus Filium, aut non existentem : atqui si non existentem, nemo, inquit, incuset me temeritatis : sin existentem, non absurditatem solum et blasphemiam, sed stoliditatem etiam omnem hic sermo excedit. Etenim qui est, generatione non indiget.

Bas. Hæc est quidem illa vulgatissima cavillatio, ab aliis olim adinventa : nunc vero impudentibus et inverecundis istorum linguis absolute atque perfecte expleta. Verum nos illud primum auditores admonebimus hunc illum esse, qui, quod non pauci ex ignorantia generationem Filii humano more acciperent, coactus in hos sermones incidit : hunc illum esse, qui a corporeis notionibus ad spiritualem contemplationem imperitas animas revocat : qui, quod animalia, cum prius non sint, deinde generantur, et quod qui hodie genitus est, heri non erat, hanc notionem in Unigeniti substantiam transfert. « Et quoniam genitus est, inquit, ante generationem non erat. » Adeo magnifice ceu theologus Unigeniti nobis generationem exponit, atque ejusmodi verbis fratrum nostrorum infirmitatibus medetur : dignus, si quis alius, qui audiat proverbium, « Me» dice, cura teipsum [1]. » Atqui quam ei medelam in hoc absurdo animi morbo afferemus, nisi verba quæ Spiritus

[1] Luc. IV, 23.

sanctus per beatum Joannem nobis locutus est : « In prin» cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum[1] ? » His duabus dictionibus hunc animi morbum exclusit Evangelista, cum alteram transcendere, alteram assequi non possimus. Neque enim fieri potest, ut quidquam principio antiquius queat excogitari; non enim foret principium, si quid ultra se haberet : neque fieri potest, ut quispiam illud « Erat, » cogitatione transgressus, ad intervallum, in quo non erat, transvehere se possit. Nam cogitare quod non erat, est dictionem, « Erat, » destruere. nam si principium ex eorum numero esset, quæ referantur ad aliud, ut principium sapientiæ, et principium viæ bonæ, et in principio fecit Deus : forte possemus ejus, qui ex tali principio constaret, generationem cogitando prætergredi. Sed cum is principii significatus, ut pote absolutus, nec ullam ad aliud habitudinem habens, naturam supremam significet, nonne deridendus est qui quidquam ultra illud comminiscitur? aut id suis cogitationibus prætervolare conatur? Quinetiam verbum, « Erat, » æque extenditur ac illud principium quod transcendi et superari non potest. Non enim verbum, « Erat, » existentiam temporalem indicat, ut illud : « Homo erat in regione Ausitide[2] : » et, « Homo erat ex Armathim[3] : » et, « Terra autem erat invisi» bilis[4] » : sed ipse nobis Evangelista in alio sermone ejus verbi, « Erat, » significatum ostendit, his verbis : « Qui » est, et qui erat, et qui est Omnipotens[5]. » Quale enim est illud, « Est, » tale est etiam illud, « Erat, » sempiternum pariter atque temporis expers. Jam vero non existentem dicere eum, qui in principio est, neque ejus est qui principii notionem servat, neque ejus qui una cum principio substantiam Unigeniti conjungit. Non enim excogitari po-

[1] Joan. I, I. — [2] Job. I, I. — [3] I Reg. I, I. — [4] Gen. I, 3. — [5] Apoc. I, 8.

test antiquius quidquam principio, a quo et « Esse » Dei Verbi est inseparabile. Quare quantumcumque voles curiosis mentis disquisitionibus retrogradi, tamen illud, « Erat, » transgredi, et ultra hoc cogitationibus ferri non poteris.

XV. Interrogetur autem vicissim et a nobis, utrum in principio esset apud Deum Deus Verbum, an postea accessit. Nam si erat, « Coërce linguam tuam a malo [1], » ab ea videlicet blasphemia, qua dicis; « Non erat : » sin autem, quod ne fas quidem est dicere, tuis adversum te verbis aptius utar, quod non blasphemiæ solum, sed stoliditatis etiam modum superat hic sermo, homines videlicet verborum Spiritus rationem exposcere, et profiteri se Evangelii discipulum, et tamen in ipsum Evangelium insurgere. Adverte enim quam diligenter, quam aperte divinæ voces generationem Filii, quæ fuit ante sæcula, testimonio suo comprobent. Nam quoniam Matthæus quidem generationis secundum carnem factus est interpres, ut ipse ait : « Liber » generationis Jesu Christi filii David [2] : » Marcus autem Joannis prædicationem initium Evangelii fecit, dicens : « Initium Evangelii Jesu Christi, sicut scriptum est in » Esaïa Propheta : Vox clamantis in deserto [3] : » Lucas vero et ipse per corporalia initia ad theologiam accessit, necessario evangelista Joannes, cum ultimus ad scribendum venisset, mentem super omne sensibile, ac tempus quod sensibilia sequitur, attollens, imo virtute Spiritus erectus, accessit ad eum ipsum, qui est ultra omnia, tantum non attestans et ipse, quod « Etsi Christum secundum carnem » cognovimus, nondum tamen eum nunc cognoscimus [4]. » Nam occupato ipso principio, omnibusque corporeis et temporalibus notionibus infra suam theologiam relictis,

[1] Psal. XXXIII, 14. — [2] Matth. I, 1. — [3] Marc. I, 1, 2. — [4] 2 Cor. V, 16.

eas quæ præcesserant prædicationes magnificentia cognitionis superavit. « Non a Maria, inquit, principium, neque ab his temporibus. » Sed quid ? « In principio erat Verbum, » et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum [1]. » Substantiam æternam, generationem affectionis expertem, eam quam cum Patre habet conjunctionem, naturæ majestatem, omnia paucis verbis complexus, voce, « Erat, » addita, deduxit ad principium, quasi ora occludens eorum, qui blasphemantes dicunt quod non erat, et longe ante excindens ejusmodi cavillationum aditum. Deinde sermone theologico velut claram quamdam naturæ Unigeniti descriptionem exprimens, quasi jam cognoscentibus eam commonstrat hac voce, dicens : « Hoc erat in principio » apud Deum [2]. » Rursus, voce, « Erat, » hic adjecta, æternitati Patris generationem Unigeniti connectit. Et rursus : « Vita erat, et vita erat lux hominum, et erat lux vera [3]. » Sed etsi doctrina adeo undique additamentis æternitatis communita est, tamen omnibus Spiritus testimoniis rejectis, et quasi ne audire quidem videretur Joannem adeo frequenter vocem « Erat » inclamantem : « Non existens, inquit, genitus est. » Ergo postea in accessionis modum genitus est. Quod si hoc non erat in principio, ut vos dicitis, quam pugnam clariorem adversus Evangeliorum voces quibus credidimus, possit quis ostendere?

XVI. Et quidem cui rerum æquo æstimatori illud non probatur, quod ut oculus ex locis illuminatis egressus, necessario ob privationem luminis ab actione cessat, ita quoque et mens, si imaginationibus extra id quod est compellatur, veritate instar cujusdam lucis deficiente, confusa, ac stoliditate laborans, intelligere desinit. Proinde neque oculus extra lucem visu poterit uti, neque anima extra Unigeniti notionem abrepta, intelligendi usum habere. Nam

[1] Joan. 1, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 4 et 9.

a veritate excidere, quædam est animo privatio visus atque cæcitas. Quare vana est mens, excæcataque, et plane intelligentia omni destituta, quæ se Unigenito antiquiora apprehendisse arbitratur; haud aliter, atque si quis oculo, qui in tenebras aciem defigit, acumen visus inesse testetur. « In lumine enim tuo, inquit, videbimus lumen [1]. » Qui autem intellexisse se dicit, quando nondum erat lumen, similis iis est, qui in phrenetica mentis emotione, ea quæ non adsunt, videre sibi videntur. Nam quæ ultra Filium sunt, non intelliguntur : siquidem quod oculo est lumen sensibile, hoc animo est Deus Verbum. « Erat enim, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [2]. » Quapropter anima, quæ illuminata non est, nihil potest intelligere. Quomodo igitur ultra lumin isgenerationem quidquam comprehendi possit? Oportebat autem, puto, eos, quibus vel tantulum curæ esset veritas, posteaquam, corporeis similitudinibus omissis, notiones Dei per materiales imaginationes coinquinare desiissent, tum demum traditam nobis a sancto Spiritu theologiam sequi, atque pro iis quæstionibus, quæ ab ænigmatibus nihil absunt, et quas in utramque partem accipere periculosum est, dignam Deo generationem intelligere, impassibilem, insecabilem, indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis a luce radii, ad divinam generationem ductos. Intelligere itidem imaginem invisibilis Dei, non secundum has artificiosas imagines exinde ad exemplar elaboratam, sed existentem atque subsistentem cum archetypo quod eam produxit, quæ, hoc ipso quod est archetypum, existit : quæ per imitationem expressa non est, tota Patris natura in Filio velut in aliquo sigillo impressa. Quod si mavis, qualis est artium substantia ex docentibus in discipulos transiens tota, adeo ut neque desit quidquam

[1] Psal. XXXV, 10. — [2] Joan. I, 9.

docentibus, et perfectio ediscentibus accedat. Cæteroquin hoc similitudinem perfectam non exhibet, ob temporis moram. Sed illud convenientius potest dici : qualis est cogitationum natura una cum mentis motibus citra ullam temporis dilationem consistens.

XVII. Nec quisquam mihi hunc sermonem calumniose objiciat, si quid in exemplis non omnino proposito conveniat. Neque enim fieri potest, ut parva ac vilia divinis atque æternis perfecte accommodentur : sed quantum satis est, ut dissimulatio confutetur eorum, qui generationem impassibilem non queunt mente concipere. Imago autem dictus est Filius, et est imago genita, et splendor est gloriæ Dei, et sapientia, et potentia, et justitia Dei, non ut habitus, neque ut aptitudo, sed substantia viva et operans, ac splendor gloriæ Dei. Quapropter et totum in seipso Patrem ostendit, ex tota ejus majestate resplendens. Quam absurdum est ergo dicere gloriam Dei non habere splendorem, aut sapientiam Dei aliquando una cum Deo non fuisse? « Sed si erat, inquit, genitus non est. » Respondeamus ergo, quod quoniam genitus est, erat, cum ingenitum « Esse » non habeat, sed existat semper, et coëxistat Patri a quo etiam existendi habet causam. Quando igitur ad « Esse » a Patre productus est? ex quo Pater est. Sed ab æterno, inquit, Pater; ab æterno igitur et Filius, per generationem ingenitæ Patris naturæ conjunctus. Quod autem non nostra sit hæc oratio, ipsas sancti Spiritus voces eis ob oculos ponemus. Et ex Evangelio quidem sumamus illud : « In principio erat verbum : » hoc vero ex Psalmo velut e persona Patris dictum : « Ab utero ante luciferum » genui te[1]; » atque utrisque inter se compositis dicamus : « Et erat, et genitus est. » Verum vox « Genui, » causam a qua principium habet « Essendi, » significat : vox autem, « Erat, »

[1] Psal. cix, 3.

indicat ejus existentiam tempore carentem ac sempiternam. Sed vero pro sua fraude decertans Eunomius, orationem ad absurdum adducere se putat.

Eun. Si enim, inquit, ante suam generationem Filius erat, ingenitus erat.

Bas. At illud, « Ante generationem, » o vir vane, aut nullo modo subsistit, mentisque nulli subjecto inhærentis commentum est. (Sed quid attinet stultis contradicere? Hoc enim perinde est atque cum eo contendere, cui rationis usum phrenesis ademerit:) aut si ad quidpiam eorum quæ sunt tendit, ad sæculorum quoque notionem deducetur. Verum si sæcula omnia infra generationem Unigeniti intelliguntur, cum illius ipsius sint creaturæ, vanus est qui quid substantia Filii antiquius quærit. Nihil enim alienius quærit, quam si de Patre etiam percontaretur, utrum ante suam constitutionem fuerit, an non. Etenim ut illic hic quæstio stulta est, quærere videlicet in eo, qui principio caret ac ingenitus est, superius quiddam: ita hic quoque de eo, qui ab æterno est cum Patre, nihilque habet medii inter se et genitorem, temporales facere de priore quæstiones, æqualis plane dementiæ est. Nam perinde erit, ac si quis interroget quid futurum sit post obitum ejus qui immortalis est, quæratque quid extiterit ante generationem sempiterni? Hi autem, quia principii in Patre privatio, æternitas nominatur, privationem principii decernunt idem esse atque æternitatem. Et quoniam Filius non est ingenitus, ne æternum quidem esse profitentur. Sed tamen hæc differunt plurimum significatione. Nam ingenitum dicitur, quod neque principium sui ipsius, neque causam ut sit habet: æternum vero, quod tempore omni et ævo secundum « Esse » antiquius est. Unde et Filius ut est non ingenitus, ita æternus est. Jam vero sæcula etiam æterni appellatione nonnulli dignantur, quasi ex eo quod semper sint, hoc

nominis adepta sint. Nos autem et creaturis æternitatis testimonium præbere, et creaturarum Dominum hac confessione privare, ejusdem esse amentiæ arbitramur.

XVIII. At orationem ad impudentiam deducens Eunomius, quid dicit?

Eun. Nos autem in iis, quæ et olim a Sanctis, et nunc a nobis demonstrata sunt, permanentes, cum neque Dei substantia generationem admittat, neque ulla alia ad Filii generationem subjaceat, non existentem Filium genitum esse dicimus.

Bas. Quis adeo fuit gloriæ cupidus pietatis nomine? Quis in Christo amando tantum gloriatus est, quantum hi de contumeliæ ac ignominiæ verbis, iisque majestatem Unigeniti subvertentibus, sese jactant? Num cessabis non existentem appellare, o impie, eum, qui vere existit, qui fons vitæ est, qui omnibus quæ sunt auctor est ut sint? Qui in dato ad suum servum Mosem responso, appellationem sibi propriam atque æternitati suæ convenientem invenit, eum qui est, seipsum nominans : «Ego enim, inquit, »sum qui sum[1].» Atque hæc nemo negaverit in persona Domini dicta fuisse, nemo utique, nisi dum Mosem legit, judaïcum velamen cordi suo impositum habeat. Scriptum est enim quod visus est Moysi Angelus Domini in rubo in igne flammæ. Sed postquam Angelum in narratione præposuit Scriptura, Dei vocem subjungit. Dixit enim, inquit, Moysi : «Ego sum Deus patris tui Abraham[2].» Et paulo post rursus : «Ego sum qui sum.» Quis igitur idem et Angelus et Deus? Nonne ille, de quo didicimus, quod «Vocatur nomen »ipsius magni consilii Angelus[3]?» Ego quidem non puto opus esse pluribus ad demonstrationem, sed admonitionem Christi amantibus sufficere : iis, vero, qui curari non possunt, nullum emolumentum arbitror ex multitudine eorum

[1] Exod. III, 14. — [2] Ibid. 6. — [3] Esaï. IX, 6.

quæ dicerentur, accessurum. Nam etsi postea factus est magni consilii Angelus, tamen ne prius quidem dedignabatur Angeli appellationem. Non enim hic solum inveniemus Dominum nostrum, et Angelum et Deum a Scriptura nominatum : sed Jacob etiam, cum visionem mulieribus narraret, ait : « Et dixit mihi Angelus Dei [1]. » Et post pauca ab eodem audimus : « Ego sum Deus qui apparui tibi in » loco, ubi unxisti mihi illic columnam [2]. » Atqui illic præsente columna ad Jacob dictum est : « Ego Dominus Deus » Abraham patris tui, et Deus Isaac [3]. » Qui itaque hic Angelus dictus est, is illic dicit manifestatum se Jacob fuisse. Quare compertum est omnibus et exploratum, ubicumque idem et Angelus et Deus appellatus est, Unigenitum significari, cum se hominibus per singulas generationes manifestet, suisque sanctis Patris nuntiet voluntatem. Itaque qui et coram Moyse se ipse eum qui est nominavit, non alius præter Deum Verbum, qui erat in principio apud Deum, intelligi poterit.

XIX. Sed iniquitatem in excelsum qui loquuntur, veriti non sunt non existentem nominare Filium. « Et insipiens » quidem in corde suo dixit : Non est Deus [4] : » hi vero non cogitavere solum, sed locuti sunt etiam in pravitate, imo futuris temporibus scripto tradere non caverunt, Deum ausi non existentem vocare. Et quoniam ne ipsos quidem dæmones vident hoc negare, nempe Deum esse, hi ad superius tempus mente reversi, illic impiam suam cupiditatem explent, non fuisse aliquando Filium blasphemo ore affirmantes, quasi sua ipsius natura non sit, sed dono sit a Deo ad « Esse » productus. Deinde quam Paulus de idolis emisit vocem, dum ait : « Servivistis iis, qui natura » non sunt dii [5] : » Et Hieremias, « Et juraverunt per eos qui

[1] Gen. xxxi, 11. — [2] Ibid. 13. — [3] Id. xxviii, 13. — [4] Psal. xiii, 1. — [5] Gal. iv, 8.

» dii non sunt [1] : » Et sapientissima Esther, « Ne tradas, Domine, sceptrum tuum iis, qui non sunt [2] ; » hanc, isti si de Deo vero dicant, quomodo possint amplius Christianorum sibi appellationem jure vindicare ? Nam alibi etiam idem ille Apostolus, qui in Spiritu Dei loquebatur, non existentes appellat gentes, quod essent Dei cognitione privatæ, cum ait : « Quæ non sunt elegit Deus [3]. » Nam quoniam Deus est, qui est, et veritas, et vita, quicumque Deo qui est, conjuncti per fidem non sunt, sed per suum circa simulacra errorem addicti sunt mendacio non existenti, jure, opinor, propter veritatis privationem, et a vita alienationem, non existentes appellati sunt. Sed et Ephesiis cum scriberet, eos per excellentiam nominavit existentes, tanquam qui ei, qui est, vere essent per agnitionem conjuncti, quippe ait : « Sanctis qui sunt, et fidelibus in Christo » Jesu [4]. » Sic enim et qui ante nos fuere tradiderunt, et nos in antiquis exemplaribus invenimus. Hic autem ne ea quidem, cujus servi Christi participes sunt appellatione Deum nostrum voluit cohonestare, sed eum, qui ex nihilo ad « Esse » creaturas produxit, non existentem appellavit. Sed quivis inde magis didicerit ejus contemptum, unde decorare se Dominum simulat.

Eun. Substantiam Unigeniti, inquit, non facimus communem iis, quæ ex nihilo facta sunt. Etenim substantia non est quod non est, sed tantam ei præstantiam tribuimus quantam necesse est Creatorem præ suis ipsius creaturis habere.

Bas. Posteaquam argumentis suis huc orationem deduxit, humanior factus, verbo scilicet, ait se Unigeniti substantiam iis, quæ ex nihilo sunt, non facere communem. Atqui si Deus universorum, quod ingenitus est, a genitis

[1] Jerem. v, 7. — [2] Esther. xiv, 11. — [3] 1 Cor. i, 28. — [4] Ephes. i, 1.

necessario differt; genita autem omnia communem habent ex nihilo existentiam, nonne hæc inter se natura necessario conjunguntur? Quemadmodum enim illic inaccessum quiddam sejungit naturas; ita hic conditionis æqualitate inter se in unum et idem colliguntur. Etsi enim Filium et ea, quæ ab ipso facta sunt, dicant esse ex nihilo, eorumque naturam secundum hoc faciant communem, negant tamen se ei substantiam factis ex nihilo rebus similem tribuere. Nam rursus, tanquam si ipse Dominus sit, ut quantum vult impertiat dignitatis Unigenito, sic loquitur: «Tantam, inquit, tribuimus ei excellentiam, quanta necesse est Creatorem proprias creaturas superare.» Non dixit: «Concipimus,» aut «glorificamus,» sicut par erat de Deo dicere: sed, «Tribuimus,» quasi mensura distributionis penes ipsum sit. Quantam vero concedit præstantiam? «Quanta, inquit, necesse est Creatorem proprias creaturas antecellere.» Nondum hoc diversitatem substantiæ declarat. Homines enim arte quidem superant sua ipsorum opera, et tamen eamdem cum eis habent substantiam, ut figulus cum luto, ut navis fabricator cum lignis. Utraque enim sunt similiter corpora, sensibilia pariter et terrena.

XX. Postquam autem Filio concessit diversitatem tantam a creaturis, jam et in ipsam Unigeniti notionem maligne agit.

Eun. Nam idcirco, inquit, Unigenitus est, quoniam solus a solo potentia ingeniti genitus et creatus, perfectissimus factus est minister.

Bas. Ignoro quid eorum quæ dixit, oporteat molestius ferre, utrum versutiam, quam circa nomen Unigeniti maligne excogitavit, tam præter hominum consuetudinem, quam præter piam Scripturarum traditionem sensum illius accipiens (Unigenitus enim non qui a solo factus, sed qui solus genitus est, in communi usu appellatur); an creaturæ

blasphemiam, quam data opera voci « Genitus » conjunxit : ut ostendat geniti appellationem ratione nihilo præstantiore Domino tribui, quam creaturis ; sed sicut illud, « Filios » genui et exaltavi [1] : » illud itidem, « Filius primogenitus » meus Israël [2], » ita etiam Dominum filium nominatum esse, non quod habeat « Nomen super omne nomen [3], » sed quod pariter ac reliqua appellationem consecutus sit. At vero hi ad Salomonis dictionem confugiunt, atque illinc tanquam ex aliqua arce fidem impetunt. Nam quoniam ex persona Sapientiæ dictum est : « Dominus creavit me [4], » licere sibi arbitrati sunt Dominum creaturam dicere. Ego vero cum multa de hac voce dicere habeam, primum, quod semel in tota Scriptura usurpata est ; deinde quod in libro adhibita est, cujus sensus non parum reconditur, quique per proverbia parabolasque et sermones obscuros ac ænigmata ut plurimum procedit, adeo ut nihil certi, nihil possit perspicui ex eo excerpi ; dicere hæc omitto, ut ne longioribus digressionibus protraham sermonem, præsertim cum inquisitio eorum, quæ male ab ipsis intellecta sunt, in locum proprium nobis dilata sit, in quo hæc quoque pars, Deo largiente, examinabitur. Ac quidem dictionis propositæ quemdam sensum (quod favente Deo dictum sit) multo magis idoneum, et qui nihil afferat periculi, puto ex inquisitione emersurum. Interim tamen neque illud silentio prætereamus, interpretes alios, qui convenientius hebraïcarum vocum sententiam assecuti sunt, « Possedit me, » pro « Creavit, » edidisse (7) : quod eis erit maximo impedimento ad creaturæ blasphemiam. Qui enim dixit : « Possedi hominem per Deum [5], » constat eum hac voce usum esse, non quod creasset Caïn, sed quod genuisset.

[1] Esaï. I, 2. — [2] Exod. IV, 22. — [3] Phil. II, 9. — [4] Prov. VIII, 22. — [5] Gen. IV, 1.

XXI. Sed unde incœpimus redeamus.

Eun. Idcirco, inquit, Unigenitus, quoniam a solo genitus et creatus, perfectissimus factus est minister.

Bas. Si ergo non quoniam solus genitus est, sed quoniam a solo, Unigenitus dictus est; si rursus idem est secundum te genitum esse et creatum esse, cur non etiam unicreatum eum appellas tu, qui omnia facile et excogitas et profers? Nemo autem homo, ut video, ex vestra sententia est unigenitus, cum generatio ex duorum coïtu insit omnibus. Nec Sara unigeniti filii mater erat, cum non sola eum, sed cum Abraham genuerit. Et certe si opinio vestra obtinet, necesse est omne hominum genus, sententia mutata, discere non eam solitudinem, quæ fratribus caret, sed eam quæ congenitores non habet, hoc isto nomine significari. Jam vero et creatura Deo Verbo dignitate inferior est causæ nomine, cum ob id solum et ipsa unigenita non sit, quod Filius una cum Patre creationem attigit, quanquam ne hoc quidem ab ipsis conceditur. Nam perfectissimum ministrum eum nominant. Quomodo igitur non a solo creatura etiam facta est secundum vos, qui velut inanimatum quoddam instrumentum Deum Verbum Patri adjungitis? Nisi quis navis quoque fabricatorem negabit solum navem fabricasse, quod instrumentis ad eam construendam usus est. Quare unigenita est et creatura, imo et illius partes, non invisibiles virtutes solum, sed corpora etiam sensibilia, et horum humillima, culices, locustæ, ranæ. « Ipse enim dixit: Et facta sunt [1]. » Quo enim ministerio indigere possit, qui nutu solo creat, una cum voluntate creatura subsistente. Sed quid? quomodo etiam secundum nos omnia sunt per Filium? quoniam divina voluntas a prima causa tanquam a quodam fonte profecta, per suam imaginem Deum Verbum ad operationem progreditur. Eu-

[1] Psal. CXLVIII, 5.

nomius vero unigenitum Filium ministrum appellavit, hoc ei magnum attribuens, quod ad eorum, quæ præcipiuntur, ministerium idoneus est. Si enim non in eo quod Deus perfectus sit, majestatem possidet, sed in eo quod sedulus sit minister, jam a ministratoriis spiritibus, qui inculpate ministerii opus perficiunt, qua in re differet? His de causis voci « Genitus » vocem « Creatus » conjunxit, ut etiam hinc nullam inter Filium et creaturam diversitatem esse ostendat.

XXII. Jam vero operæ-pretium fuerit illius quoque admonitionem audire.

Eun. Non oportet, inquit, cum Patris ac Filii appellationem audimus, ejus generationem humanam intelligere, nec hominum generatione adductos, Deum communionis nominibus aut passionibus subjicere.

Bas. Monet Filium Patri secundum substantiam similem intelligi non oportere. Hoc enim sibi vult illa participationis negatio, quasi substantia Patris cum substantia Filii non queat communionem ullam habere. Propterea præclaræ illæ, quarum nos turbam prætermisimus, nominum distinctiones, quod videlicet non quorumcumque eædem sunt enuntiationes, ea continuo re quoque significata eadem sint: ut propter eos, qui in terra patres nominantur, neget Deum Filii Patrem esse. Ego vero, cum multa sint quæ christianismum a gentili errore ac judaïca ignorantia dirimant, nullum arbitror in nostræ salutis Evangelio inesse potius ac majus dogma, quam in Patrem et Filium fidem. Nam vel ii, qui quocumque errore scissi sunt, Deum creatorem ac opificem esse confitentur. Qui vero falso appellatum Patrem, et Filium nuda appellatione prædicat, nihilque differre arbitratur, vel Patrem vel creatorem profiteri, et aut Filium aut facturam dicere, ubi a nobis collocabitur? aut qua in secta numerabitur? Judæorum-ne, an gentium? Nec enim Christianis se adjunget, qui pietatis

robur et velut religionis nostræ characterem inficiatur. Non enim in Opificem credidimus, et in Facturam: sed in Patrem et Filium per baptismi gratiam obsignati sumus. Quamobrem qui has rejicere voces audet, omnem simul Evangeliorum vim facit irritam, cum nec Patrem generantem, nec Filium genitum prædicet. « Sed hæc dico, inquit, ut passionis intelligentiam e Patris voce enascentem fugiam. » Verum oportebat eum, qui pie agere statuisset, absonum horum verborum sensum, si quis tamen inerat, aversari, non totam simul vocem reprobare; neque indecori obtentu, quidquid ab ea accedit utilitatis, id simul rejicere, sed ut ab humilibus carnalibusque cogitationibus in divinis dogmatibus purum esse, ita generationem sanctitati atque « Apa» thiæ » Dei convenientem intelligere: adeo ut modum quidem, quo Deus genuit, tanquam qui ineffabilis ac incomprehensibilis sit, prætermitteret, ad substantiæ vero similitudinem per generandi appellationem deduceretur. Quanquam perspicuum est reputanti, hæc nomina, Pater et Filius, corporalium affectionum cogitationem proprie ac primario parere non solere, sed cum per se sola dicuntur, solum habitum mutuum indicare. Pater enim est, qui alteri existendi principium secundum similem sibi ipsi naturam contulit: filius vero, qui ex alio per generationem principium ut sit habuit.

XXIII. Itaque cum audimus hominem patrem esse, tunc incidit nobis affectus cogitatio; at vero cum Deum Patrem, tum ad impassibilem causam mente attollimur. Eunomius autem hanc appellationem de subjecta affectionibus natura accipere assuetus, quod rationis ejus captum superat, id ut impossibile pernegat. Non enim par erat eum corruptibilium affectionem attendentem, atque substantiam immutabilem ac inalterabilem naturæ fluxæ et innumeris mutationibus obnoxiæ comparantem, Deum

non credere affectionibus immunem. Nec quoniam mortalia animalia per affectum generant, ita quoque de Deo sentire oportebat, sed hinc magis deduci ad veritatem, quod quoniam corruptibilia hoc modo, is qui incorruptibilis est, modo contrario generat. Neque vero illud dixerit: «Nomina hæc quæ proprie ac primario de hominibus usurpata sunt, de Deo a nobis dici per abusum.» Etenim Dominus noster Jesus Christus, ad omnium principium et veram rerum causam nos reducens: «Vos » autem nolite vocare, inquit, patrem vestrum in terra, » unus enim est Pater vester cœlestis[1].» Quomodo igitur voces has, tanquam si præcipue carnales affectus significarent, repudiandas censet: quas Dominus noster velut Dei «Apathiam» decentes ab hominibus ad ipsum transfert? Quod si et creaturarum nominatur pater, id huic nostræ sententiæ nequaquam repugnat. Qui enim genuit glebas roris[2], secundum verba Job, non eodem modo glebas et Filium genuit. Aut si hoc dicere audebunt, sic ut roris etiam substantiam filium pari ordine nominent, ab omni nos adversum ipsos oratione liberabunt, cum blasphemiam ad manifestissimam impudentiam provexerint. Neque enim cum pater omnium nostrum dicitur Deus, eodem modo et noster et Unigeniti Pater est: si vero quod «Primoge» nitus totius creaturæ[3]; » et «Primogenitus in multis fra» tribus[4]» Dominus appellatus est, id eos ad impietatem erudit; discant ex Evangelio quod Dominus eos, qui sibi ex virtutis operibus conjuncti sunt, etiam matrem et fratres suos appellat: «Quæ enim est, inquit, mater mea, » et qui fratres mei, nisi qui faciunt voluntatem Patris mei, » qui in cœlis est[5]?» Quare pater noster Deus, neque abusu, neque translatione, sed proprie et primario et vere

[1] Matth. XXIII, 9. — [2] Job. XXXVIII, 28. — [3] Coloss. I, 15. — [4] Rom VIII, 29. — [5] Matth. XII, 48 et 50.

nominatur: quippe qui nos per corporeos parentes ex nihilo ad « Esse » produxerit, nobisque sua in nos providentia conjungatur. Quod si nostrum, qui per gratiam adoptione digni effecti sumus, vere vocatum esse patrem Deum dicimus, quæ ratio prohibebit ne ipse ejus qui natura Filius est, et ex substantia ipsius provenit, Pater jure ac merito vocetur?

Eun. Non oportet, inquit, propter Patris et Filii appellationem generationem Domini ceu humanam intelligere.

Bas. Id ego quoque dico: sed eam divinam et affectuum expertem, quid vetat pios istos credere? Sed, opinor, non ut citra affectum, sed ut nullo modo genuisse Deum ostendat, his verbis utitur. Quomodo igitur tu, o optime, in superioribus substantiam Unigeniti decernebas esse genituram? Nam si genitus non est, unde ipse ex tua sententia genitura esse poterat? Sed propter contrarietatem, quæ genito cum ingenito intercedit, substantiam genituram esse ostendere conabatur. Nunc autem rursus substantiæ conjunctionem hac voce significari cum videat, genituram genitam esse negat. Atqui si hoc, tanquam quod affectum significet, repudiat, quid prohibet eisdem de causis etiam creatorem ipsum esse negare? Nam pro ratione virium ejus qui facit, et pro discrimine magnitudinis eorum quæ fiunt, necessario aut major aut minor labor corporeis omnibus operationibus conjungitur. Divinam autem ac beatam naturam dicere labore premi, non minus impium est, quam eam affectibus turpissimis subjicere: sin autem citra affectum creat, generationem quoque affectu vacare fateamini.

XXIV. Quod igitur proprie ac merito Deus dicitur pater, et quod non affectus, sed conjunctionis nomen est, aut ejus quæ fit per gratiam, ut in hominibus, aut ejus quæ

secundum naturam est, ut in Unigenito, satis dictum est. Sed demus et hanc vocem tropicam esse, eamque, sicut et alias sexcentas, per translationem dici. Quemadmodum igitur cum Deum audimus irasci, dormire, volare, et alia id genus, quæ sensu obvio intelligentiam indecoram præ se ferunt, non tamen voces Spiritus expungimus, nec modo corporeo hæc dicta accipimus; quam tandem ob causam, cum hæc vox adeo frequenter a Spiritu usurpata sit, non etiam convenientem Deo intelligentiam investigamus? Num hanc solam ex Scriptura delebimus, eam ex humano usu calumniantes? At rem sic consideremus. Cum duo significentur generandi voce ex humano more, generantis scilicet affectus, et conjunctio cum genito; quando a Patre ad Unigenitum dicitur : « Ex utero ante luciferum genui » te [1]; » et, « Filius meus es tu, ego hodie genui te [2], » utram harum significationum hoc verbo indicari dicemus? generantium-ne affectum, an naturæ conjunctionem? Ego hoc censeo; et ne hos quidem, nisi in manifestum atræ bilis morbum incidissent, contradicturos unquam fuisse arbitror. Quare si convenit Deo hæc vox, cur sicut alienam spernis? Sin autem ex hominibus translata est, sano significatu delecto, fuge deteriorem. Nam profecto in dictione quæ multa significat, cum ad rectam notionem per ipsam vocem deductus fueris, licet humilem turpemque intelligentiam præterire. Nec mihi dicas : « Quæ vero est generatio, et qualis, et quomodo fieri potuit? » Non enim quoniam omnino ineffabilis modus est atque incomprehensibilis, continuo etiam firmam ac stabilem in Patrem et Filium fidem abjiciemus. Nam si intelligentia nostra voluerimus metiri omnia, et quod mente capi non potest, id arbitrari omnino non esse, peribit fidei, peribit spei merces. Quomodo autem fuerimus amplius digni beatitu-

[1] Psal. cix, 3. — [2] Id. ii, 7.

dinibus, quæ in fide rerum non apparentium repositæ sunt, si iis solis, quæ rationi evidentia sunt, fidem habemus? Unde vanæ factæ sunt gentes, et « Tenebris obductum est insciens » cor eorum [1]? » Nonne quoniam dum ea sequuntur, quæ rationi verisimilia videntur, prædicationi Spiritus fidem non adhibent? Quos autem Esaïas ut perditos deplorat? « Væ sapientibus in seipsis, et coram seipsis scientibus [2]. » Nonne hos? Multis igitur ex iis, quæ intermedia sunt, prætermissis, tum iis, quibus aperte affirmavit Filium genitum non fuisse, tum iis, quæ artificiose excogitavit, hoc ut obtineat, Unigenitum scilicet creaturam ac facturam esse, ad præcipua impietatis capita me convertam, si prius de iis, quæ jam dicta sunt, hoc solum notans addidero, quod quam in antecessum reipsa concinnavit blasphemiam, hanc verbo obtegere, sermonisque impudentiam delinire cum vellet, non communem facere se dixit creaturis Unigenitum, suorum ipsemet dogmatum oblitus, quæ in superioribus clara ac aperta voce exponebat. A quibus rursus in impudentem ac manifestissimam repugnantiam incidit. Sic autem scribit :

Eun. Nemo autem cum Filium facturam esse audit, moleste ferat, quasi nominum communitate communis fiat substantia.

Bas. Quomodo igitur, o sapientissime, si substantiæ diversitas diversitatem nominum necessario sequitur, (recordamur enim te hæc in superioribus pertractasse) non nunc substantiæ communitas communitatem nominum sequetur? Neque enim semel, neque obiter his verbis usus fuisse comperitur. Deinde et nunc, quasi illum eorum, quæ dixit, pœnituisset, quod nominum communicatio non communes etiam faciat substantias, rursus paulo post, adversarios suos objurgans, illa inducit :

[1] Rom. I, 21. — [2] Esaï. V, 21.

Eun. Oportebat, inquit, si qua eis esset veritatis cura, cum nomina diversa sint, diversas etiam substantias confiteri.

Bas. Quomodo quis facilius verbis uti possit? qui scilicet brevi ad contraria conversus, nunc quidem dicat nominum diversitatem necessario substantiarum diversitatem ostendere : nunc vero e contrario, eorum communicationem non communes substantias facere. Sed, opinor, perinde facimus atque hi, qui homicidam convitii, aut vulneris, aut hujusmodi peccati accusant.

XXV. Ad caput igitur malorum ejus transeamus. Hic ille cum vidisset anticipatam opinionem omnibus pariter Christianis, qui vere hac appellatione digni sunt, communem esse, Filium videlicet lucem genitam esse, ex ingenita luce resplendentem, et esse ipsam per se vitam, ipsumque per se bonum, ex vivificante fonte paternæ bonitatis provenientem : deinde cum intellexisset, has nostras notiones nisi concussisset, nihil illi proderunt sophismata; (qui enim Patrem confitetur lucem esse, et Filium quoque esse lucem, cum lucis sit una et eadem notio, naturaliter eo deducetur, ut conjunctionem secundum substantiam confiteatur : nam lucem inter et lucem, secundum ipsam lucis rationem, nulla neque in prolatione, neque in ipsa significatione diversitas est :) ut igitur hoc nobis adimat, artificiorum retibus fidei doctrinam circumvallat, hæc inter se neque ullam comparationem, neque ullam communionem docens habere : et quæ est genitum inter et ingenitum oppositio, hanc dicens etiam esse lucem inter et lucem, aut si hoc aversamur, compositum esse Deum confiteri cogens. Sed potius ipsam ejus dictionem audiamus.

Eun. Utrum, inquit, lux in ingenito aliud quid significat ac ingenitum, an idem utrumque? Nam si aliud atque

aliud, palam est etiam compositum id esse, quod ex alio atque alio constat. Quod autem compositum est, ingenitum non est. Si vero idem, quantum diversum est genitum ab ingenito, tantum necesse est lucem a luce diversam esse, et vitam a vita, et potentiam a potentia.

Bas. Videte et intelligite horrendam impietatem. « Quantum, inquit, ingenitum a genito differt, tantum differet lux a luce, et vita a vita, et potentia a potentia. » Interrogemus igitur ipsum. Quanto intervallo ingenitum a genito sejunctum est? Utrum parvo aliquo, et tali, ut queant tandem aliquando in idem inter se convenire? an hoc omnino impossibile, et magis, quam eumdem mortuum esse simul et vivere, quam sanum simul esse et ægrotare, quam vigilare simul et dormire. Talia namque sunt quæcumque sibi invicem summa oppositione adversantur, adeo ut, præsente altero, alterum abesse necesse sit : quæ ita comparata sunt, ut omnino nec simul esse, nec inter se conciliari possint.

XXVI. Itaque cum ad hunc modum genito ingenitum opponatur, qui Patrem lucem nominat, lucem itidem Filium; quique hanc lucem ab illa luce tantum distare dicit, quantum genitum ab ingenito distat, ille quanquam humaniorem se verbo simulat, lucem scilicet Filium quoque nominans, nonne saltem vi verborum sententiam in contrarium aperte abducit? Considerate enim quid opponatur ingenito, aliud-ne ingenitum, an genitum? genitum utique. Quid vero opponitur luci? lux-ne alia, an tenebræ? tenebræ profecto. Itaque si quantum differt genitum ab ingenito, tantum necesse est lucem a luce differre, cui ex omnibus impietas comperta non est, quod in appellatione lucis interserens quod luci oppositum est, Unigeniti substantiam naturæ lucis contrariam esse submonet? Aut ostendat nobis lucem quæ luci opponatur, quæque eum

oppositionis modum habeat, qui genito cum ingenito intercedit. Quod si hæc nec est, nec ipse unquam excogitare poterit; ne ignoretur ars, qua blasphemiam alte adornat. Nam quoniam putat ingenitum genito ex adverso opponi, eamdem luci cum luce oppositionem adaptat, ut Patris substantiam ostendat substantiæ Unigeniti per omnia contrariam esse atque adversam. Propterea nova hæc est dogmatum sanctio, qua dicit : « Quantum diversum est genitum ab ingenito, tantum necesse est lucem a luce diversam esse. » At ingenitum cum genito habet quamdam positione verborum, non natura rerum oppositionem, quod tamen hi affirmant : lucis autem cum luce nec secundum prolationem, nec secundum intelligentiam, contrarietas ulla excogitari potest. Sed videtur fucatis cavillationibus seipsum decipere. Putat enim quæ ex contrariis sequuntur, eamdem inter se pugnam habere, quam habent et principalia contraria, et cum contrarium inest alteri contrariorum, ex altero etiam contrarium necessario secuturum. Ut si ex visu lux sequitur, ex cæcitate tenebræ : si ex vita sensus, ex morte privatio sensuum (8). Hæc autem observatio quam debilis sit, quamque evanida, cuilibet vel paululum attendenti perspicuum est. Nec enim quoniam ex vigiliis vita sequitur, necessario ex somno mors sequitur. Sed nec contrario modo se habet genitum cum ingenito. Etenim si contraria sunt, jam mutuo se destruent (quod in caput blasphemantium vertatur) imo neque natura adversa sunt; neque quæ consequuntur, eamdem necessario habebunt distantiam, quam et principalia demonstrabantur habere.

XXVII. Aut igitur tua ipsius verba expunge : aut noli impietatem negare. Est enim blasphemia tua, qui dixisti : « Quantum differt genitum ab ingenito, tantum necesse est lucem a luce differre. » Quare quemadmodum qui genitus

est, nunquam ingenerationis erit particeps : sic eum lucis participem nunquam facies. Atque Unigeniti substantia ex tua sententia æque aberit ab eo ut ingenita sit, atque abest ab eo ut lux esse intelligatur, et nominetur. At Joannes magna Spiritus voce inclamat tibi, dicens : « Erat lux ve- » ra [1]. » Tibi tamen aures non sunt ad audiendum, neque cor ad intelligendum. Imo tuis cavillationibus Unigeniti substantiam ad contrariam naturam, et quæ cum luce esse non possit, detrudis. Nec enim profecto validum illud dices, quod ab Unigenito appellationem lucis non abstuleris. Non enim in sono aëris, sed in vi rerum significatarum pietas est. Hic vero non in his quievit, sed simul et vitam et potentiam inter se eadem distantiæ mensura contrarias inducit, cum ait : « Quantum differt genitum ab ingenito, tantum necesse est lucem a luce differre, et vitam a vita, et potentiam a potentia. » Ergo Unigenitus secundum te nec vita est, nec potentia. At spernis Dominum ipsum, qui dicit : « Ego sum vita [2]. » Spernis itidem Paulum, qui dixit : « Christus Dei potentia [3]. » Nam quæcumque in superioribus demonstrata sunt, ea his quoque nunc accommodabuntur. Nam neque vitam, neque potentiam vitæ ac potentiæ opponi quisquam dixerit, sed mortem et impotentiam oppositionem integerrimam explere. Quibus hic iste per verborum versutiam dolum occultans, alte ac tecte horrendam impietatem concinnat, atque eloquentiæ artibus Unigeniti naturam ad contrarium paternæ naturæ avocans, solam nominum commendationem relinquit. Quid igitur nos? Quomodo et ingenitum Patrem, et genitum Filium confitentes, secundum ipsum « Esse » contrarietatem effugerimus? Quid dicturi sumus? quod ut boni Patris bonus Filius, ita ex ingenita luce lux æterna effulsit, exque vera vita vivificans fons prodiit, et ex ipsa per se potentia,

[1] Joan. I, 9. — [2] Id. XIV, 6. — [3] I Cor. I, 24.

Dei potentia emersit : tenebræ vero, mors et imbecillitas una cum hujus mundi principe tenebrarumque principibus, et spiritualibus pravitatis ministris et omni potestate divinæ naturæ inimica collocatæ sunt : quanquam ne quidem secundum ipsam substantiam sortiti sunt contrarietatem ad bonum ullam (sic enim reprehensio ad Creatorem rediret), sed sua ipsorum voluntate per boni privationem in vitium inciderunt. Tamen lingua, quæ Deum oppugnat, naturam Unigeniti ad hunc ordinem deducere conata est. Nec enim illud dicere potest, quod cum Patris substantiam lucem esse censeat tum gloria tum splendore præstantem, ipsam quoque Unigeniti substantiam existimet lucem esse, sed quodammodo obscuriorem, et veluti infuscatam. Nam ne hæc quidem animi pii sunt, quippe quia imaginis similitudo per obscuritatem tollitur. Sed tamen optandum esset, ut eum de his possemus accusare. Non enim esset nobis opus magno certamine ad illius emendationem.

XXVIII. Nunc vero genitum inter et ingenitum secundum plus et minus diversitas non est, ut inter lucem minorem et majorem : sed quanta est eorum, quæ nullo pacto simul esse possunt, distantia. Fieri enim non potest, ut id cui alterum inest, transeat unquam ad oppositum per transmutationem, adeo ut aut ex ingenito genitum fiat, aut vice versa, a genito ad ingenitum transmutetur. Qui itaque semel statuit necesse esse, tantum lucem a luce differre, quantum differt genitum ab ingenito, ei ne ista quidem ratio ad fugam relicta est. Nam lux quæ pura est, cum quodam modo sit genere atque eadem lux tenuior obscuriorque, intentione sola ab ea differt : ingenitum vero non est geniti intentio, neque genitum ingeniti est remissio quædam, sed velut ex diametro horum distantia est. Eos igitur, qui genitum et ingenitum substantiam dicunt, hæ et

adhuc his plures ineptiæ sequentur. Nam contrarium ex contrario genitum erit, atque pro naturali conjunctione, necessaria quædam seditio etiam secundum ipsam substantiam ipsis inerit. Hoc autem majorem inscitiam quam impietatem præ se fert, si quis dicat substantiam per substantiam cuivis omnium rerum esse contrariam, cum jam olim res confessa sit vel apud externos sapientes (quos cum non invenerint hi pro suis blasphemiis decertantes, ut nullius pretii homines despiciunt) fieri non posse, ut in substantia sit contrarietas. Quod si quispiam, id quod verum est, genitum et ingenitum vult esse indices quasdam proprietates, quæ in substantia considerentur, quæque ad claram ac inconfusam Patris et Filii notionem quasi manu ducant, is et impietatis periculum effugiet, et ratiocinationis consecutionem tuebitur. Nam proprietates, quæ veluti quidam characteres ac formæ in substantia considerantur, id quod commune est distinguunt quidem propriis characteribus, at substantiæ communitatem non diriment. Exempli causa, Deitas communis est; proprietates vero sunt paternitas et filiatio. Ex utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innascitur nobis comprehensio veritatis. Proinde cum ingenitam lucem audimus, Patrem intelligimus: cum vero genitam lucem, Filii accipimus notionem. Nam quatenus quidem lux et lux sunt, nulla est in eis contrarietas: quatenus vero genitum et ingenitum, apparet oppositio. Hæc est enim proprietatum natura, ut in substantiæ identitate aliud quiddam ostendant, utque ipsæ quidem proprietates tum, cum sæpe inter se ex adverso dividuntur, ad contrarium discedant, nec tamen substantiæ unitatem divellant: quod genus sunt volatile et pedestre, aquatile et terrestre, rationale et irrationale. Cum enim substantia una omnibus subjecta sit, hæ proprietates substantiam non faciunt diversam, neque

quasi ad mutua dissidia inducunt : sed indiciorum vi velut lucem quamdam nostris animis ingerentes, ad intelligentiam quam mens assequi possit deducunt. Hic autem proprietatum oppositione ad substantiam translata, hinc impietatis ansam carpit, nos cavillationum quasi larvis perterrens tanquam pueros, quod si aliud quid fuerit lux præter ingenitum, necessario Deus compositus esse nobis demonstrabitur.

XXIX. Ego vero quid dico? nimirum nisi aliud quid præter ingenitum fuerit lux, eam de Filio prædicari non posse, sicut nec ipsum ingenitum. Hinc etiam quivis didicerit eorum, quæ his vocibus significantur, diversitatem. Dicitur Deus lucem habitare, ac lucem indui [1]. Verum nusquam dicit Scriptura ipsum in sua ingeneratione inhabitare, aut eam forinsecus sibi circumdatam habere : (cæteroquin hæc risu digna sunt.) Genitum autem et ingenitum, indices quædam proprietates sunt. Etenim si nihil esset quo substantia designaretur, nullo utique modo ad nostram intelligentiam perveniret. Nam cum una sit Deitas, fieri non potest ut propriam Patris aut Filii notionem assequamur, nisi mentis cogitata proprietatum accessione distinguantur. Cæterum dicenti ei fore, ut Deus compositus demonstretur nisi pro eodem lux atque ingenitum accipiantur, illud dicere possumus, quod si ingenitum tanquam substantiæ partem acciperemus, haberet locum ea ratio, qua dicitur compositum esse quod ex diversis constat. Si vero Dei substantiam lucem esse statuimus, aut vitam, aut bonum, adeo ut Deus totus, quidquid est, vita sit, et totus lux, et totus bonum, si itidem vita ingenitum sibi adjunctum habet, quî fieri potest ut incompositus non sit qui secundum substantiam simplex est? Nec enim ii modi, quibus ejus proprietates indicantur, simpli-

[1] 1 Tim. vi, 16, et Psal. ciii, 2.

citatis lædent rationem; alioquin hoc pacto omnia,quæ de Deo dicuntur, compositum esse Deum nobis monstrabunt. Atque, ut videtur, si volumus simplicis ac insecabilis notionem servare : aut nihil de Deo dicemus præter ingenitum, eumque recusabimus nominare invisibilem, incorruptibilem, inalterabilem, creatorem, judicem, et omnia quæ nunc ad glorificationem assumimus : aut si admittimus hæc nomina, quid jam facturi sumus? Utrum ad substantiam omnia referemus? Proinde non eum modo compositum, sed e dissimilibus etiam partibus compositum demonstrabimus, cum aliud atque aliud a quolibet istorum nominum significetur : an hæc extra substantiam intelligemus? Quamcumque igitur in unoquoque illorum excogitaverint rationem, eam quoque de ingeniti appellatione accipiant.

XXX. Postquam autem orationem inanibus nugis complevit, simulque adversus omnes quotquot unquam Dei cognitionem assequi studuerunt, sese extulit, quasi ipsi novam quamdam ac recentem viam ad Deum ducentem stravisset, quam nemo e majoribus invenerit, tum demum tanquam ab ipsa Dei substantia edoctus, hanc in Filium inducit blasphemiam :

Eun. Substantia quidem, quæ regno superior est, quæque nullam generationem admittit, his erudiens mentem benevole accedentem, eam comparationem, quæ cum alio fit, lege naturæ quam longissime repellere jubet.

Bas. Annon palam ostendit dignum se habitum fuisse arcanorum revelatione, simul ut benevole Deo mentem adjunxit? Ob idque Unigenitum a Patris communione repellit quam longissime, cum ne dignum quidem eum existimet, qui ad comparationem admittatur; sed lege etiam naturæ, substantiam Unigeniti a substantia Patris separatam esse dicat. Quid sibi vult dum hoc dicit? quod

Deus universorum, ne si voluisset quidem potuisset Unigenitum ad substantiæ necessitudinem admittere, eum sibi lege naturæ prohibitus admittere, cum, ut ei videtur, sui ipsius non esset dominus, sed necessitatis terminis subjectus. Hujusmodi enim sunt, quæ naturæ lege comprehensa, citra voluntatem ad id, quod naturæ visum fuerit, perducuntur. Quemadmodum enim ignis natura non voluntate calefacit, et necessario frigiditatem respuit, lege naturæ societate ejus privatus : sic vult Deum et Patrem lege naturæ habere alienam a Filio substantiam. Jam vero naturæ leges non mutuam inter Patrem et Filium distantiam, sed necessariam et infractam communitatem efficiunt. Etenim si diceret Deum universorum voluntate effecisse, ut nulla secum esset communio; ne sic quidem bonitatis divinæ ratio permitteret, ut fide dignus haberetur is, qui ait Patrem ea quæ sibi adsunt, ei, qui ex ipso est, non communicare : sed tamen inesset in dictis consecutio. At dicere lege naturæ esse alienationem, ne ejus quidem est, qui rerum sensibilium naturam considerarit, per quam non aliena, neque contraria, sed potius conjuncta et cognata a singulis gigni solent.

XXXI. Rursus igitur hic quoque eorum, quæ a se dicta sunt, repugnantiam mutuam non intellexit. Nam in præcedentibus cum moleste ferret eos, qui Unigenitum dicunt Patri similem secundum substantiam, sic scripsit :

Eun. Videntur autem mihi omnino hi qui substantiam nulli dominio subditam, et omni causa superiorem, et ab omnibus legibus liberam cum substantia, quæ genita est ac paternis legibus servit, comparare ausi sunt, aut nullo modo rerum naturam considerasse, aut non pura mente de his judicium fecisse.

Bas. Quomodo igitur nulli dominio subdita, et ab omnibus legibus libera substantia, nunc visa est non ex libero

arbitrio id habere, ut nulli comparetur, sed naturæ lege præpediri, atque genitum a communione sui involuntarie repellere, sic ut ob hoc ipsi quoque Unigenito inaccessa sit? Itaque verborum illius repugnantia huc usque progreditur, at quanta est impietas? Dominio quidem nulli mancipatam substantiam Patris eamdemque liberam dicit, (si tamen dominio nulli subjecta est substantia ea, quæ legi naturæ subjicitur) : servilem vero e contrario pronuntiat Unigeniti substantiam, hinc etiam naturæ tollens æqualitatem. Nam cum duæ res sint, creatura et Deitas; cumque creatura quidem in servitute ac obedientia ordinata sit, Deitas vero in principatu atque dominatione : qui dignitatem tollit dominii, et Filium ad servitutis humilitatem dejicit, nonne manifesto deprehenditur eum per id quoque ad eumdem ordinem redigere, atque creaturam omnem? Nec enim profecto hoc illi gloriosum, si conservis præstat. Sed nisi eum regem ac Dominum confiteatur, adeo ut non naturæ submissione, sed voluntatis bonitate obedientiam amplectatur : hoc grave, hoc horrendum, hoc perniciem affert negantibus. Addit autem :

Eun. Leges naturæ sequens ipsa Dei substantia, neque cum alio admittit comparationem : sed nobis largitur, ut ejus operationem intelligamus dignitati propriæ consentaneam esse, atque convenientem.

Bas. Hoc quidem ab eo dictum est, ut Unigenitum a Patre alienum ostendat : at nostrum sermonem confirmat. Etenim si Dei substantia hoc dat, ut operationem intelligamus consentaneam convenientemque suæ dignitati, dignitas quædam est « Ingenitum, » ut Eunomio videtur, rursus id ipsum et substantia est ex horum sententia, Unigenitus autem operatio est Dei, aut operationis imago, idque ex horum doctrina : quare his contradicere superfluum fuerit, cum id non possint. Ac magno quidem mercarer, ut hanc

suam impietatem abnegarent : quoniam tamen dixerunt, ex ipsis eorum dictis colligamus, quod, si quædam Dei dignitas est « Ingenitum, » id autem ipsum substantia quoque est, consentanea vero est et conveniens Dei dignitati operatio ejus; hæc autem est Christus ex horum sententia, conjunctus igitur ac conveniens erit substantiæ Dei. Atque horum nihil nostrum est. Ipsa enim istorum verba componentes, ex iisdem demonstrationem conteximus. « Substantiam, inquit, sequitur Dei dignitas : habet proportionem operatio cum dignitate : operationis imago est Unigenitus : et vice versa, si Unigenitus imago est operationis : operatio vero, dignitatis : dignitas autem, substantiæ, Unigenitus substantiæ erit imago. » Sic sæpe et ipsi mendacii architecti, rerum perspicuitate coacti, vel inviti veritatem testimonio suo comprobant. Nam et dæmones non Evangelistarum faciebant opus ; sed tamen cum veritatis lucem intueri non possent, clamabant : « Novimus te quis sis, nimirum » ille Sanctus Dei [1]. »

XXXII. Sed videamus et sequentia.

Eun. Si quis enim, inquit, rem ex creaturis considerans, ope harum ad substantias perducatur, propterea quod ingeniti creaturam Filium inveniat, Unigeniti vero, Paracletum ; item propterea quod ex Unigeniti præstantia, operationis confirmet diversitatem ; ejus etiam diversitatis, quæ secundum substantiam est, argumentum certissimum accipit.

Bas. Primum igitur quomodo substantiæ ex creaturis æstimari possint, ego quidem non video. Enim vero potentiam, sapientiamque et artem, non substantiam ipsam indicant creaturæ. Imo ne ipsam quidem Opificis potentiam totam necessario declarant ; cum nonnunquam fieri possit, ut artifex non omnes vires suas in agendo exerat, sed sæpe

[1] Marc. 1, 24.

remissiorem conatum in operibus artis adhibeat. Quod si totam etiam potentiam transmoverit in opus; ita demum futurum est, ut ejus vires operibus metiamur, non autem fiet ut substantiam, quæ tandem ea sit, intelligamus. Quod si quoniam divina natura simplex est atque incomposita, substantiam existimet una cum potestate concurrere, et propter innatam Deo bonitatem dicat totam Patris potentiam ad generationem Filii commotam, atque iterum totam Unigeniti ad substantiam Spiritus sancti, adeo ut ex Spiritu quidem potentia Unigeniti conspiciatur, simulque etiam substantia : rursus vero ex Unigenito, Patris intelligatur et potentia et substantia, advertite quid hinc colligatur. Nam e quibus conatus est substantiæ dissimilitudinem ostendere, ex iis comperitur similitudinem astruere. Etenim si potestas nihil cum substantia habet commune, quomodo ex opificiis, quæ effectus sunt potestatis, ad comprehensionem ipsius deductus est? Contra, si idem est substantia et potestas, quod potestatem designat, id profecto substantiam etiam designabit. Proinde opificia non ad substantiæ dissimilitudinem, ut tu dicis, sed ad perfectam similitudinem ducunt. Rursus certe et hic conatus nostram magis quam ipsius sententiam stabilit. Aut enim non habet unde ea quæ dixit demonstret : aut si e rebus humanis exempla mutuatur, inveniet non ex artificis operibus intelligi a nobis ejus essentiam, sed ex genito genitoris naturam cognosci. Nec enim fieri potest, ut ejus qui domum construxit essentia comprehendatur ex domo : at difficile non est ex genitura genitoris naturam intelligere. Quare si Unigenitus creatura est, Patris nobis essentiam non exhibet : si vero Patrem nobis notum per seipsum facit, non creatura est; sed Filius verus, Deique imago, et substantiæ character. Atque hæc quidem sunt hujusmodi.

XXXIII. Jam vero quanta est blasphemiæ accessio?

Minas eas, quas in Evangelio Dominus in Spiritum sanctum blasphemantibus perquam formidandas intentavit[1], aspernatus, creaturam esse ait Spiritum sanctum; sic ut parum absit, ut ne animal quidem eum esse concedat, cum hæc appellatio ut plurimum inanimatis accommodetur. Nec enim profecto quod hanc istam blasphemiam prius in Dominum evomuit, propterea aliquid nos de indignatione remittere par fuerit. Hoc enim mitigatio non est impietatis, sed condemnationis accessio. Nam et Dominus prolatam in se blasphemiam, ob suam bonitatem remisit: at eam, quæ in Spiritum sanctum jacitur, audentibus inevitabiliter imputandam pronuntiavit. Primus ergo illorum, qui veritatem adorti sunt, ex quo pietatis prædicatio divulgata est, hanc de Spiritu vocem emittere ausus est. Etenim qui Spiritum sanctum creaturam appellarit, audivimus neminem ad hodiernum usque diem, neque in iis, quos reliquere, libris hanc appellationem invenimus. Itaque dicit:

Eun. Si quis subvehatur e creaturis ad substantiæ comprehensionem, ingeniti quidem creaturam Filium inveniet: Unigeniti vero, Paracletum.

Bas. Alius hic est impietatis modus. Nimirum dupliciter blasphemat verbo unico, sanctique Spiritus contemptu, quasi res confessa sit, posito, hinc ad demonstrandam Unigeniti imminutionem concitatur. Atque ut par est, « Cœli quidem enarrant gloriam Dei[2] : » Spiritus vero sanctus imminutionem gloriæ Unigeniti nuntiat. Et Dominus de Paracleto loquens : « Ille, inquit, me glorificabit[3]. » At maledica illa lingua Filium per eum impediri pronuntiat, ne cum Patre comparetur. Quoniam enim, inquit, Spiritus conditor est Filius (Sis autem nobis, Domine, de iis quæ loquimur, propitius); hic autem talis est, ut decus nullum tribuat Conditori, idcirco neque dignus est qui cum

[1] Matth. XII, 31. — [2] Psal. XVIII, 2. — [3] Joan. XVI, 14.

Patre comparetur, cum ob eorum, quæ fecit, vilitatem, dignitatis æqualitate privatus sit.

XXXIV. Num unquam audistis blasphemiam graviorem? num quis adeo perspicue in inevitabile judicium ob blasphema in Spiritum sanctum verva collapsus est? Unius Montani fuerat adeo in Spiritum sanctum insanire, eumque tum nominibus humilibus dedecorare, tum ipsius naturam ita deprimere, ut ea dicat ignominiam Conditori affricari. Imo vero et ille, ne sui ipsius dejiceret fastum, utique de Spiritu aliquid humiliter dicere cavisset. Sed de hoc quidem per otium dicemus. Illud vero cui non patet, quod nulla Filii operatio a Patre divisa sit, nec quidquam sit in rerum natura, quod ad Filium pertineat, et a Patre alienum sit? « Omnia enim, inquit, mea tua sunt : et tua, » mea [1]. » Quomodo igitur Spiritus causam Unigenito soli attribuit, et ad ejus accusandam naturam hujus creationem usurpat? Quod si duo principia inter se adversa inducens, hæc dicit, una cum Manichæo et Marcione conteretur : sin autem statuit ab uno pendere omnia, quod a Filio factum esse dicitur, id ad primam causam refertur. Quare etsi omnia per Deum Verbum ad « Esse » producta fuisse credimus, tamen universorum Deum omnium causam esse non negamus. Quî autem fieri potest, ut non aperte periculosum sit Spiritum a Deo dirimere? cum partim quidem Apostolus conjuncte nobis tradat, et modo Christi, modo Dei Spiritum dicat, ubi scribit : « Si quis autem Spiritum » Christi non habet, hic non est ejus [2] : » Et rursus, « Vos » autem non spiritum mundi accepistis, sed Spiritum qui » ex Deo est [3] : » partim vero Dominus Spiritum veritatis nominet; quippe ipse est veritas, « Proceditque a Patre [4]. » At hic ad destructionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi,

[1] Joan. XVII, 10. — [2] Rom. VIII, 9. — [3] 1 Cor. II, 12. — [4] Joan. XV, 26

ut Spiritum aufert a Patre, ita eum unice Unigenito ad gloriæ eversionem attribuit, ipsum contumelia, ut sibi videtur, afficiens. Nam in retributionis die nullam ob prava dogmata ultionem expectat.

ADVERSUS EUNOMIUM.

LIBER III.

DE SPIRITU SANCTO.

I. Vix tandem blasphemiis in Unigenitum exsatiatus [1], ad Spiritum sanctum ita transiit, ut de eo etiam consentaneum toti suo proposito sermonem instituat. Scribit autem sic :

Eun. Cum autem hæc nobis de Unigenito sufficiant, consequens fuerit ut jam de Paracleto quoque dicamus, non vulgi opiniones temerarias secuti, sed Sanctorum in omnibus doctrinam servantes, a quibus cum didicerimus eum dignitate et ordine tertium, tertium quoque natura esse credimus.

Bas. Quod quidem non putet oportere in simplici ac nuda multorum fide permanere, sed artificiosis quibusdam ac captiosis rationibus veritatem rursus ad id quod sibi videtur, detrudere, satis ex iis, quæ protulit, verbis ostendit. Nam multorum opinione contempta, qua Spiritum sanctum glorificant, simulat tenere se Sanctorum doctrinam : at eos, qui eam ipsi tradiderunt, tacet, etiam nunc faciens ea ipsa, quæ ab eo, dum de Unigenito sermonem haberet,

[1] Vide D. Guillon, t. vii, p. 417-421.

facta esse demonstratum est. Deinde dicit a Sanctis quidem se didicisse tertium esse ordine et dignitate Spiritum, a seipso vero credere natura quoque tertium esse. Qui vero sint Sancti illi, et in quibus scriptis hanc doctrinam ediderint dicere non potest. Fuit-ne unquam homo sic audax, qui divinorum dogmatum innovationes induceret ? Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque eum esse tertium ? Dignitate quidem secundum esse a Filio, tradit fortasse pietatis sermo (9) : at natura tertia uti, neque ex sanctis Scripturis edocti sumus, neque ex prius dictis ulla consecutione colligi potest. Quemadmodum enim Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est ; dignitate vero, quoniam origo ejus est et causa ea re quod ipsius est Pater, et quoniam per ipsum accessus aditusque est ad Deum et Patrem, non autem natura secundus, quoniam Deitas in utroque una est : ita profecto et Spiritus sanctus, etsi tum ordine tum dignitate secundus a Filio est, ut tandem hoc etiam concedamus, tamen non jure sequi ut sit alienæ naturæ, hinc patet. Nimirum Angeli omnes ut appellationem unam, ita etiam eamdem omnino inter se naturam habent : sed tamen ex iis alii quidem præfecti sunt gentibus : alii vero unicuique fidelium adjuncti comites sunt. Quanto autem gens tota uni viro præstat, tanto certe necesse est Angeli alicui genti præsidentis dignitatem dignitate alterius cui viri privati tutela concreditur majorem esse. Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus velut prædagogus quidam et pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini, qui ait : « Ne contemnatis unum ex his » pusillis, eo quod Angeli eorum semper vident faciem » Patris mei, qui in cœlis est [1]. » Et Psalmista dicit : « Castra » metabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum [2]. »

[1] Matth. XVIII, 10. — [2] Psal. XXXIII, 8.

Et, « Angelus qui liberavit me a juventute mea[1]; » et quæcumque ejusdem generis sunt. Quod autem rursus sint Angeli quidam, qui gentibus integris præpositi sunt, docet nos per Canticum Moses, dum ait : « Quando dividebat Al-» tissimus gentes, quando dispersit filios Adam, constituit » terminos gentium juxta numerum Angelorum suorum[2]. » Et sapiens Daniel in visione Angeli audivit ipsum dicentem : « Princeps regni Persarum stetit ex adverso mihi. Et ecce » Michaël unus de Principibus primis venit, mihi auxilia-» turus : et ipsum reliqui illic cum principe rege Persarum[3]. » Et paulo post ille ipse ait : « Et princeps Græcorum ve-» niebat[4]. » Sed et copiarum Domini imperator ac dux dicitur is, qui Jesu Nave ad Jordanem manifestatus est[5]. Et rursus legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino Disciputis dicente : « An putatis quod non possum rogare » Patrem meum, et exhibebit mihi hic plus quam duodecim » legiones Angelorum[6]? » Qui igitur dux est exercitus eorum Angelorum, qui in legionibus recensentur, ille profecto princeps est.

II. Quorsum igitur hæc oratio ? Quod non continuo, si quid ordine ac dignitate secundum est, aut tertium, id et naturam alteram habet. Quemadmodum enim inter Angelos, alius princeps est, alius subditus, et tamen natura Angeli sunt omnes ; et in dignitate quidem diversitas est, in natura vero communitas, « (Siquidem stella a stella dif-» fert in gloria[7], » natura vero stellarum omnium una est ; atque « Multæ mansiones sunt apud Patrem[8], » hoc est, dignitatum diversitates, glorificatorum vero natura una :) sic profecto et Spiritus sanctus, etsi dignitate inferior est atque ordine, ut aiunt, (Accepimus enim ipsum, inquit, ter-

[1] Gen. XLVIII, 16. — [2] Deut. XXXII, 8. — [3] Dan. X, 13. — [4] Ibid. 20. — [5] Josue V, 14. — [6] Matth. XXVI, 53. — [7] 1 Cor. XV, 41. — [8] Joan. XIV, 2.

tium a Patre et Filio numeratum; cum Dominus ipse in traditione salutaris baptismatis tradiderit ordinem, his verbis : « Euntes baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus » sancti [1];) » at in quamdam naturam tertiam a Filio et Patre ejectum cum fuisse nusquam didicimus. Nam cum res duæ dicantur, Deitas et creatura, dominium et servitus, potentia sanctificans, et quæ sanctificatur, potentia possidens suapte natura virtutem, et quæ eam ex arbitrio comparat; qua in parte Spiritum locabimus? inter eos, qui sanctificantur? at ipse est sanctificatio. An inter eos, qui præclaris ac egregiis facinoribus virtutem adepti sunt? at bonus natura est. An inter eos, qui ministrant? at alii sunt spiritus ministratorii, qui ad ministerium mittuntur. Non ergo principalem natura Spiritum, fas est nobis conservum dicere, neque una cum creaturis numerare eum, qui in divina et beata Trinitate pariter numeratur. Principatus enim et Potestates, ac reliquæ ejusmodi creaturæ, quæ ex attentione ac studio sanctificationem habent, dici natura sanctæ jure non possunt. Ita enim bonum appetunt, ut pro ratione amoris in Deum sui, sanctitatis mensuram accipiant. Et sicuti ferrum in medio igne positum, ferrum quidem esse non desinit, sed ob vehementissimam cum igne conjunctionem ignitum factum, omnemque ignis naturam in seipsum recipiens, tum colore, tum efficacia in ignem transit : sic et sanctæ Potestates ex communicatione, quam habent cum eo, qui natura sanctus est, ejusmodi sanctimoniam habent, quæ jam pervaserit per totam earum substantiam, in eaque coaluerit. Ipsæ autem in eo a sancto Spiritu differunt, quod hujus natura sanctitas est : illis vero ex participatione inest sanctimonia. Quibus autem inest bonum instauratitium et aliunde collatum, ea sunt mutabilis naturæ. Non enim excidisset Lucifer, qui mane

[1] Matth. XXVIII, 19.

oritur, nec esset in terra contritus [1], si deterioris conditionis recipiendæ non fuisset capax natura. Quomodo igitur pium est inter creaturas Spiritum collocare, qui intervallo tanto a creaturis separatus est? Creatura enim ita comparata est, ut si progressum aliquem fecerit, placueritque Deo, pro mercede sanctificationem accipiat, quandoquidem libero utitur arbitrio, potestque in utramque partem inclinari, ad boni ac mali electionem. Spiritus autem sanctus fons est sanctificationis. Et quemadmodum natura sanctus est Pater, natura itidem sanctus est Filius : ita quoque Spiritus ille veritatis natura sanctus est ; ob idque donatus est etiam Sancti appellatione, eaque peculiari ac propria.

III. Itaque si sanctitas ei natura est, sicut Patri et Filio, quomodo tertiæ ac alienæ naturæ est? Ob id enim, opinor, et apud Esaïam etiam scriptum est Seraphim ter « Sanctus [2] » exclamare, quod naturalis sanctitas tribus in hypostasibus perspicitur. Nec vero hoc sanctitatis nomen ei solum commune est cum Patre et Filio, sed ipsa est etiam Spiritus appellatio. « Deus enim est Spiritus; et eos, qui ipsum adorant, in Spiritu et veritate adorare oportet [3]. » Et Propheta ait : « Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, ubi diximus : In umbra alarum ipsius vivemus [4]. » Quin et Apostolus appellationem Spiritus in Dominum transfert, cum dicit : « Dominus autem Spiritus est [5]. » Ex his autem cuilibet compertum est ac perspectum non naturæ alienationem, sed conjunctionem cum Patre et Filio per nominum communicationem commonstrari. Et Deus dictus est bonus, et est : bonus autem est et Spiritus sanctus, bonitatem habens non adventitiam, sed natura sibi innatam. Alioqui fuerit omnium absurdissimum, si quis dicat eum, qui natura sanctus est, bonitatem natura non ha-

[1] Esaï. xiv, 12. — [2] Id. vi, 3. — [3] Joan. iv, 24. — [4] Thren. iv, 20 apud LXX. — [5] 2 Cor. iii, 17.

bere, sed quamdam deinceps supervenientem, eique forinsecus accedentem. Quin etiam cum Dominus dixit : « Ego » rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis [1], » et ipse Paracletus noster esse ostenditur. Quare Paracleti quoque appellatio non parum ad demonstrandam Spiritus sancti majestatem confert.

IV. Et nomina quidem, quæ majestatem naturæ indicant, sunt ejusmodi : operationes vero Spiritus sancti quales? « Verbo Domini, inquit, cœli firmati sunt, et Spiritu oris » ejus omnis virtus eorum [2]. » Ut igitur Deus Verbum creator est cœlorum : ita et Spiritus sanctus stabilem ac firmam virtutem Potestatibus cœlestibus impertit. Et rursus Job : « Spiritus Dominus, qui fecit me [3] : » non de creatione, ut arbitror, sed de humanæ virtutis perfectione disserens. Quinetiam loquens Esaïas ex Domini persona, videlicet secundum ejus humanitatem : « Dominus, inquit, misit me, » et Spiritus ejus [4]. » Et rursum Spiritus virtutem universa pervasisse declarans Psalmus : « Quo ibo, inquit, a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam [5] ? » Beneficentiæ autem, quæ ab eo ad nos deveniunt, quales sunt et quantæ ? Sicut Dominus ipse iis, qui ipsum suscepere, istuc dedit ut liceret filios Dei fieri [6] : sic et Spiritus sanctus, spiritus est adoptionis. Et quemadmodum Dominus noster magister verus est, juxta id quod dictum est : « Vos autem nolite vocare » magistrum vestrum in terra, unus enim magister vester » est Christus [7] ; » sic et Spiritum sanctum omnes quotquot in nomine Domini crediderint, docere testatus est Dominus ipse, cum dixit : « Paracletus autem Spiritus sanctus » quem Pater mittet, ille vos docebit omnia [8]. » Et Sicut Pater operationes in eos, qui operationibus suscipiendis

[1] Joan. xiv, 16. — [2] Psal. xxxii, 6. — [3] Job. xxxiii, 4. — [4] Esai. xlviii, 16. — [5] Psal. cxxxviii, 7. — [6] Joan. i, 12. — [7] Matth. xxiii, 8 et 10. — [8] Joan. xiv, 26.

digni sunt, dicitur dividere, itemque dividere Filius administrationes in dignitatibus ministerii : sic dividere etiam dona in eos, qui donis excipiendis digni sunt, perhibetur Spiritus sanctus. « Divisiones enim donorum sunt, sed idem » Spiritus : et divisiones ministeriorum sunt, sed idem Do» minus : et divisiones operationum sunt, sed idem est » Deus, efficiens omnia in omnibus [1]. » Vides quomodo hic quoque Spiritus sancti operatio operationi Patris ac Filii conjuncta sit ? Deinde ex eo etiam quod sequitur, Divinitas naturæ sancti Spiritus amplius declaratur. Quid enim ait ? « Sed omnia hæc efficit unus et idem Spiritus dividens pri» vatim unicuique sicuti vult [2] : « nihil aliud ei ascribit, nisi auctoritati ac dominio adjunctam potestatem. Quapropter in Novo Testamento Prophetæ clamarunt : « Hæc dicit Spi» ritus sanctus [3]. » Unde autem scrutatio profunditatum Dei adest Spiritui ? « Quemadmodum, inquit, nemo hominum » novit ea quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est » in eo : sic et ea quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiri» tus Dei [4]. » Ut enim nullus alienus aut peregrinus internas animæ cogitationes potest inspicere : sic profecto, si arcani aliquid cum Deo commune habet Spiritus, cum ab eo neque alienus sit, neque peregrinus, profunda judiciorum Dei perscrutari potest. Præterea et vita nobis a Deo per Christum in sancto Spiritu suppeditatur. Vivificat enim Deus, ut ait Paulus : « Præcipio tibi coram Deo, qui vivifi» cat omnia [5]. » Vitam autem largitur Christus : « Oves enim » meæ, inquit, vocem meam audiunt, et ego vitam æternam » do illis [6]. » Vivificamur itidem per Spiritum, quemadmodum ait Paulus : « Qui excitavit Christum e mortuis, vivifi» cabit etiam mortalia corpora vestra, per ipsius Spiritum » inhabitantem in vobis [7]. »

[1] 1 Cor. XII, 4-6. — [2] Ibid. 11. — [3] Act. XXI, 11. — [4] 1 Cor. II, 11. — [5] 1 Tim. VI, 13. — [6] Joan. X, 27, 28. — [7] Rom. VIII, 11.

V. Verum hic iste cum audeat omnia, neque periculum quod cuilibet blasphemum aliquod verbum in Spiritum sanctum emittere audenti impendet, timeat, expertem eum Deitatis pronuntiat, sic de Spiritu scribens :

EUN. Tertius ordine et natura, Patris quidem præcepto, operatione vero Filii factus, tertio loco honoratus, tanquam qui sit primum, omniumque maximum, et solum hujusmodi opificium Unigeniti, Deitate ac creandi potentia carens.

BAS. Hoc qui dicit, nec Deitatem habitare in nobis videtur credere, etsi de Deo Joannes dicit : « Ex hoc scimus, » quod in nobis est ex Spiritu, quem nobis dedit [1]. » Et Apostolus : « Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus » Dei habitat in vobis [2] ? » Et rursus : « In quo omnis ædificatio coagmentata crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in » Spiritu [3]. » Itaque si Deus in nobis per Spiritum habitare dicitur, nonne manifesta impietas est ipsum Spiritum dicere Deitatis exortem ? Et si eos, qui virtute perfecti sunt, deos nominamus, perfectio autem est per Spiritum ; quomodo qui alios efficit deos, ille ipse destitutus Deitate est ? Nec vero pium fuerit dicere, ut in hominibus, ita et in Spiritu Deitatem, quæ participatione acquisita sit, honorari, non autem natura ei competere. Qui enim dono efficitur Deus, mutabilis est naturæ, quæ nonnunquam per negligentiam a bonitate excidat. Id autem aperte salutaris baptismi repugnat traditioni : « Euntes, inquit, baptizate in » nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [4]. » Est enim baptisma sigillum fidei, fides vero assensus est Deitati. Nam credere prius oportet, deinde baptismate obsignari. Est autem noster baptismus ex Domini traditione, in nomen

[1] 1 Joan. III, 24. — [2] 1 Cor. III, 17. — [3] Ephes. II, 21, 22. — [4] Matth. XXVIII, 19.

Patris et Filii et Spiritus sancti, nulla creatura, neque servo Patri ac Filio conjuncto, cum Deitas in Trinitate compleatur. Nam quidquid extra hos est, id omne conservum est, etiamsi maxime ob dignitatum præstantiam alia aliis anteponantur.

VI. Nec mihi rursus sapientia illa verba objicias :

Eun. Si creatura non est, igitur genitura aut ingenitus : unus autem Deus est principio carens atque ingenitus. Neque vero genitura est. Restat ergo ut ipse creatura facturaque nominetur.

Bas. Ego vero, si cuncta judicarem cognitione nostra comprehendi posse, me fortasse puderet ignorantiam confiteri. Nunc autem innumera, non solum ex iis, quæ nobis in futuro sæculo reconduntur, et ex iis, quæ nunc in cœlis sunt, latent nos : sed neque ea, quæ in nostro corpore insunt, clare ac evidenter comprehendimus. Exempli causa de visu ; utrum, dum rerum visibilium susceptis imaginibus, ita demum objecta percipiamus : et quomodo maximorum montium, immensæque terræ, et infiniti maris, ac cœli ipsius imago in exigua nostræ pupillæ mensura contineatur : an cum a nobis quidpiam emittimus, idque ad visibilia accedit, sic cadant sub sensum : et quid id sit et quantum ; adeo ut expansum sufficiat terræ marique, ac locum inter terram et cœlum intercedentem penetret, imo ad ipsum cœlum perveniat, tantaque moveatur celeritate, ut æquali tempore et corpus circumpositum, et stellæ, quæ in cœlo sunt, cognoscantur. Et quid attinet reliqua dicere ? Imo ipsos mentis motus creare an generare soleat anima quis certo dicat ? Quid igitur miri fuerit, si quoque de Spiritu sancto citra ruborem ignorantiam confiteamur, et tamen glorificationem, quæ ei testimonio invicto tribuitur, persolvamus ? Etenim quæ per Scripturas traduntur, ea ipsum supra creaturam esse satis nobis demonstrant, quan-

doquidem fieri non potest, ut id quod sanctificat, et ea quæ sanctificantur; id quod docet, et ea quæ docentur; id quod revelat, et ea quæ revelatione indigent, ejusdem sint naturæ. Nemo autem sic prorsus demens est, ut alium præter Deum universorum audeat ingenitum appellare, at neque Filium, quod unus sit Unigenitus. Quomodo igitur eum vocari oportet? Spiritum sanctum, Spiritum Dei, Spiritum veritatis, qui mittitur a Deo, suppeditatur per Filium: non servum, sed sanctum, bonum, principalem, Spiritum vivificantem, Spiritum adoptionis, omnium quæ Dei sunt gnarum. Sic profecto in Trinitate conservabitur unitatis ratio, si unum Patrem, unum Filium, unum Spiritum sanctum confiteamur.

VIII. Jam vero afferunt argumenta, quibus demonstrent Spiritum sanctum dictum fuisse creaturam: unum quidem ex Propheta dicente: « Qui firmat tonitruum, et creat spi- » ritum [1]: » alterum vero ex Evangelio: « Omnia per ipsum » facta sunt [2]. » At propheticum dictum non ad sanctum Spiritum, sed ad communem hunc flatum aëris videlicet spiritum credimus pertinere. Quod inde patet; non enim dixit: « Qui creavit spiritum, sed qui creat spiritum. » Quemadmodum enim tonitruum ubi semel est creatum, in substantia quadam corporali non est, sed semper voluntate Dei ad terrendos homines productum, fieri ac dissolvi solet: ita et spiritus nunc quidem fit, fluente instar fluminis aëre; rursus vero cessat tum, cum quod prius movebatur quiescit, secundum voluntatem ejus, qui ad universorum incolumitatem conservationemque gubernat omnia, ut per omnem creaturam et tonitruis, et ventis, et reliquis operibus conditor annuntietur. Quapropter postquam dixit: « Qui » firmat tonitruum, et creat spiritum, » ait: « Et qui annun- » tiat hominibus Christum suum [3]. » Sicut enim « Cœli enar-

[1] Amos. IV, 13. — [2] Joan. I, 3. — [3] Amos. IV, 13.

»rant gloriam Dei[1], »iis, qui ex ipsis possunt Conditoris artem æstimare: sic etiam tonitrui fragor ac spirituum motus Conditorem suum prædicant. Fortasse autem hoc ipsum etiam prophetia est, quæ ad Domini incarnationem spectat: siquidem vox, quæ de cœlo facta est, tonitruum esse videbatur audientibus[2], quam Deus et Pater emisit, ut per eam Christum hominibus annuntiaret. Spiritus autem qui excitati sunt, et mare conturbarunt, sed postmodum quieverunt jussu Domini[3], vel ipsi ejus Christum hominibus palam annuntiabant. At vero illud, «Omnia per »ipsum facta sunt, »nequaquam creatum esse Spiritum sanctum nobis ostendit, quasi Spiritus una cum omnibus numeretur. Etenim si unus est Spiritus sanctus et solus, quomodo qui singularis cujusdam naturæ est, una cum omnibus comprehendi potest? Et nemo putet hypostasim aboleri, si Spiritum creaturam esse negemus. Nam piæ mentis est, quæ a Scripturis sanctis reticentur, ea vereri de Spiritu sancto dicere: credere vero notitiam ejus, atque accuratam comprehensionem in futurum sæculum nobis reservari, cum tempore hoc, in quo veritas per speculum et ænigma videtur, transacto, eam contemplationem quæ ad faciem est, fuerimus consecuti.

[1] Psal. XVIII, 2. — [2] Joan. XII, 28, 29. — [3] Matth. VIII, 24.

ADVERSUS EUNOMIUM.

LIBER IV.

DE FILIO.

CAPUT I.

Pater et Filius unum sunt.

I. Si Filius natura Deus est [1], Deus autem est et Pater natura (10): non aliter Filius Deus est, aliter Pater, sed similiter: sin autem Filius non natura Deus est, ut ii qui falso dii appellantur, dicitur Deus, nec est tamen. Si Filius unus Dominus est natura, si Pater quoque natura Dominus est, profecto non alia natura. Et si Pater dicitur unus Deus, et si Filius quoque Deus, non alia natura, sed una. Si unus Dominus natura, quanquam multi adoptione appellantur, et unus Filius natura, quanquam multi filii adoptione nominantur; quippe vox « Adoptione » ad imitationem ejus quod natura est dicitur: nihil enim adoptione dici potest, nisi præcedat id quod natura est. Proinde si nos adoptione filii sumus Dei, necesse est natura Filium antecedere. Præterea, quæ vere sunt nomina, indicia sunt essentiæ eorum, quorum sunt nomina: Dominus autem et Deus vere tum Pater, tum Filius: eadem ergo est essentia sicut et eadem nomina sunt. Si unigenitum generationis non est,

[1] Vide D. Guillon, t. VII, p. 421.

sed propterea quod est incomparabile, Unigenitus etiam est Pater; siquidem est incomparabilis. Sed et quælibet creatura alteri haud similis, unigenita est; multi ergo unigeniti, et non unus filius Dei. Quod si Filius non simpliciter unigenitus, sed Filius unigenitus, et a Patre unigenitus, Filius unigenitus est, non unigenita creatura. Sin secundum participationem ac concessionem Patris creator est Filius, non natura, nihil eorum, quæ ab ipso creata sunt, secundum naturam est. Quorum enim conditor non secundum naturam est, hæc quomodo secundum naturam erunt? Si Deus operatur ut nullus alius, etiam cum generat, generabit ut non alius: quippe cum nulla re in nulla re Deus potest comparari. Quod fit, non ex substantia facientis est; quod vero generatur, ex ipsa substantia generantis est; non ergo idem est facere et generare. Si ex Deo est Filius, non sicut ex patre, sed velut ex causa; causa vero ut simus nobis etiam Deus est; ex ipso enim omnia, non aliter ergo Filii pater est, aliter noster, sed similiter. Et quomodo non absurde, si nihil Deo simile et æquale, de Filio nihil quod differat ab infimis rebus dicetur? siquidem super omnia Deus. Quod in forma Dei est, in substantia Dei est; non enim aliud forma, aliud substantia Dei, ut ne compositus sit. Proinde qui æqualis est secundum formam, etiam secundum substantiam æqualis est. Si genitus minor est eo, qui genuit, non culpa est geniti, sed genitoris infirmitas. Aut enim præ invidia non fecit æqualem, aut præ impotentia non genuit similem. Pater ante Filium si erat, alterius cujuspiam necessario pater erat; nam absque Filio Pater dici non potest. Si quis Filium novit secundum essentiam, novit etiam Patrem. « Si enim me cognosceretis, » inquit, et Patrem meum utique cognosceretis[1]; » consubstantialis ergo Patri Filius est. Nihil enim incorporeum ex

[1] Joan. xiv, 7.

dissimili substantia cognosci potest. Si credere Christum Filium esse Dei, vitam æternam affert; non credere, necessario mortem parit. Quorum eædem sunt operationes, horum quoque substantia una. Operatio autem Patris et Filii una est, velut illud : « Faciamus hominem [1]; » et rursus : « Quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter fa» cit [2]; » igitur Patris et Filii una etiam substantia est. Si cognitio Patris et Filii vita æterna est, necesse est etiam unius substantiæ esse. Quæ enim diversæ substantiæ sunt, non una cognitione comprehenduntur, neque simili modo possunt vivificare. Si Patris imago vere Filius est, omnis autem imago vel substantiæ, vel formæ, vel figuræ, vel speciei, vel coloris imago est ; Deus autem in nullo horum, sed in sola substantia est; Filius cum substantiæ imago sit, consubstantialis Patri est. Si Pater cum Filio nulla in re potest comparari, nec in ulla re quoque cum creatura ; non aliter se habet ad Filium, aliter ad creaturam, sed similiter ; non ergo dissimilis solum Patri Filius, sed creaturæ etiam similis est. Quomodo jam hoc non absurdum est ? Si dum Filium dicunt creaturam, non ut unam ex creaturis dicunt ; cur dum nos genituram dicimus, eum ut unam ex genituris intelligunt ? Si Deus non generat, ut ne fluxum patiatur ; nec creat, ut ne laboret : si vero creat citra affectum, multo magis citra affectum generat. Si cujuslibet lucis splendor generatur quidem ex luce, non tamen aliquando, sed sine tempore, imo ab æterno una cum luce : non enim est lux absque splendore ; Filius etiam ut qui splendor sit, non aliquando erit, sed ab æterno pariter ; cum Deus sit lux, ut David ait : « In lumine tuo videbimus lu» men [3]. » et Daniel : « Et lux cum ipso est [4]. » Si genitura secundum ipsos substantia est, sicut et ingenitum; genitura

[1] Gen. I, 26. — [2] Joan. V, 19. — [3] Psal. XXXV, 10. — [4] Daniel. II, 22.

autem Dei est Filius : ergo et substantia Dei est Filius. Si voluntate, non natura Deus Filium genuit ; aut ubi semel voluerat, postea noluit, aut etiam rursus voluit, et rursus genuit. Quod si non una est voluntas ipsius, sed diversa, non amplius simplex est, neque unius creator ; sed ut vult, ita et facit. Si Deus non generat, aut quia omnino non potest, aut quia non vult, non generat. Sed si non potest, inferior est natura ea, quæ generat, quæque perfecta est, præterquam quod etiam imbecillis est ; si vero cum posset, noluit, quod habuit natura, id voluntate cohibuit. Quare, etsi nondum genuit, tamen, ubi voluerit, generabit utique aliquando. Si Filius aliquando non erat, illud, « Aliquando, » post genitorem quidem erit, sed ante genitum ; non igitur, Patre excepto, ante omnia Filius est; verumetiam post illud, « Aliquando, » esse invenietur. Nos cum dicimus quod, cum Pater semper sit, necesse est etiam Filium semper esse, illi dicunt : « Igitur cum et Filius semper opifex sit, opificium quoque semper erit, sicque opificium etiam una cum Patre et Filio æternum erit. » At qui dixit opificem, non simul etiam opificium dixit. Non enim una cum ædificatore ædificium existit, neque una cum navium fabricatore scapha. Est enim operatio in opifice : ipsum autem opus post opificem. Porro fieri non potest ut pater dicatur esse, nisi sit filius. Et qui patrem dixit, non simpliciter patrem, sed alicujus patrem dixit.

II. Deus, et Dominus, et Omnipotens, et Sabaoth, et qui est, et Adonaï, et Eloï appellatur Deus in Scripturis ; ingenitus vero nusquam. Quod si quis hoc etiam concesserit, et nomen « Ingenitus, » et relata prius nomina ut Judæis, ita aliis omnibus proferre conveniet : Christianis vero solis hoc, « Pater Christi. » Si igitur quod solum a cæteris nos separat, id falsum est, nec verum; si nomen est adoptione, non res natura, falsa est fides nostra, et spes vana.

Cujus enim principium infirmum est, ejus etiam finis debilis est. Rursus interrogant utrum cum esset, genitus sit Filius, an cum non esset; at obscura et maligna est eorum interrogatio. Etenim dum verentur interrogare « Quando, et « In tempore, » dicunt : « Cum esset. » Hos vicissim interroga : Deus-ne, cum esset pater, Filium genuit, an cum non esset pater? Si enim cum esset pater, existens existentem genuit; contra si cum non esset, factus est, non autem natura pater est. Omnem autem ipsorum contentionem excludunt divinæ Scripturæ, cum Moses quidem clamet de Filio : « Qui est, misit me[1]: » Et Evangelista : « In principio erat Verbum[2]. » Nec semel dicit : « Erat, » sed quater. Et rursus alibi : « Qui ex Deo est[3]; » Et : « Qui est in sinu » Patris[4]. » Et in aliis : « Qui est in cœlo[5], » Et in Apocalypsi : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est[6]. » Et Paulus : « Qui cum sit splendor gloriæ[7]. » Et : « Qui cum in forma Dei esset[8]. » Et rursus : « Qui est in omnibus Deus benedictus[9]. » Si Filius est verus Deus, et lux, et immutabilis, et bonus, et sanctus, et Dominus; hæc autem et Pater cum sit, non similiter est, sed amplius; non substantiæ exuperantia, sed qualitatis præstantia. Substantia enim magis quam substantia non dicitur, sed qualitas qualitate: homo enim altero homine magis homo non dicitur, sed bonus bono melior, et justus justo justior. Genitorum eadem est natura, quæ est genitoris, etiamsi genitus alio modo « Esse » habeat. Neque enim Abel, ex coïtu genitus[10], ab Adamo diversus est, licet Adamus formatus sit, non genitus. Si causa causato major est, differtque secundum substantiam; omnis autem pater causa est, et omnis filius causatus; patres filiis majores sunt, et ab eis secundum substantiam

[1] Exod. III, 14. — [2] Joan. I, 1. — [3] Id. VIII, 42. — [4] Id. I, 18. — [5] Id. III, 13. — [6] Apoc. I, 8. — [7] Hebr. I, 3. — [8] Philip. II, 6. — [9] Rom. IX, 5. — [10] Gen. II, 7.

differunt, nec sunt unius substantiæ. Sed hoc verum non est. Interrogant an pater, posteaquam filium genuit, eum gignere destiterit; et si hoc impetrarint, quod cessaverit, inducunt : « Igitur etiam generare incœpit. Quidquid enim finem habet, habet quoque principium; non semper ergo erat filius. » Dicemus igitur : « Si id, quod desinit, necessario etiam principium habet, rursus si id quod principium habet, necessario quoque desinit, Angeli igitur et cuncta incorporea, cum esse cœperint, necessario etiam esse desistent. » At hoc absurdum est. Fieri igitur potest, ut id quod esse incœpit, non desinat, et id, quod desiit, non incœperit. Sin aliter, et ipse filius si principium « Essendi » habet, finem etiam secundum ipsos habet necessario; quandoquidem quidquid principium habet, id quoque finem habere volunt. Et quomodo hoc blasphemum non est ? Sed et Dei præscientia principii expers, postquam facta sunt quæ præscivit, finem habet. Non itaque quod finem habet, id etiam necessario principium habet. Unum in rebus incorporeis dicitur, vel operatione, vel voluntate, vel substantia. Cum igitur Salvator dixerit : « Ego et Pater unum sumus [1]; » secundum aliquid eorum, quæ modo scripsimus, dixit. Itaque si secundum operationem dicunt, necesse est et secundum substantiam dicere; quorum enim diversa subsiantia est, horum non est similis operatio. Si vero secundum voluntatem unum sunt, non solum quæcumque Pater vult, ea necesse est et Filium velle; sed quæcumque etiam Filius vult, ea necesse est et Patrem velle. Præcipiet igitur et Filius Patri quæ vult, siquidem et ipsi præcipitur. Sed si ei solum præcipitur, coactus ac invitus inservit. Quod si neque operatione, neque voluntate, restat secundum ipsos, ut unum sint secundum substantiam, hoc est, ut consubstantialis sit Filius Patri.

[1] Joan. x, 30.

CAPUT II.

Quod vox, Ingenitus, *modum quemdam existendi, non substantiam significat.*

I. Si illud, « Ingenitus, » substantia est, et illud, « Genitus, » substantia, ob idque Pater et Filius consubstantiales non sunt, necessario omnis genitura unius substantiæ est : geniture igitur Filio Dei sunt consubstantiales. Et quomodo hoc non fuerit absurdum? Si ingenitus a genito filio ex adverso distinctus, substantia est, et increatus a creatura ex adverso distinctus, substantia est : erit ergo et ingenitus substantia, et increatus substantia : proinde Deus duæ, non una substantia est. Adhæc et creatura omnis erit substantia una. Hoc autem falsum est : siquidem creatura una est, substantiæ vero diversæ. Sic autem et immutabile ejus, et principii privatio, et multa alia erunt substantiæ. Si ingenitum quis Patrem et genitum Filium dicens, significavit substantias; cum modum quo existunt voluerit quis dicere, quî aliter quam sic dicere poterit? ingenitus igitur existendi est modus, non substantiæ nomen. Si quæ diversum existendi exordium habent, diversam etiam habent substantiam; ne homines quidem inter se sunt consubstantiales. Nam aliter existit Adam ex terra formatus, aliter Eva facta ex costa, aliter Abel, ex coïtu videlicet, aliter qui ex sola Maria virgine natus est. Similiter autem et in volatilibus et in quadrupedibus. Si ingenitus pater, quoniam genitus non est : filius autem genitus, quoniam genitus est; posterior genito ingenitus est, quandoquidem non habebat quocum comparatus ingenitus vocaretur. Nam distinguuntur inter se quæ sunt, non autem quæ non sunt. Si Deus aliquando erat, nec tamen pater

erat; factus pater nomen «Pater» assumpsit. Quare Deus est quidem infactus : at est pater factus : igitur qui idem est et simplex, est factus et infactus.

II. Si impossibile possibili contrarium est; si sapienti insipiens; si omnia, quæ ex adverso distinguuntur, contraria inter se sunt, etiam ingenitum genito est contrarium. Igitur contrarius est Pater Filio secundum substantiam, si modo ingenitum non sit existendi modus, sed substantia. Filius si creatura est, non genitura, et cuncta quæ sunt, creaturæ sunt, frustra Pater ingenitus dicitur, cum non sit omnino genitura, cujus respectu appelletur ingenitus : igitur potiori jure increatus quam ingenitus diceretur. Ingenitus si nomen est, non substantia est. Nomina enim substantias significant, sed non sunt substantia : si vero vox, «Ingenitus, ipsa substantia est, illius dicant nomen. Non enim ex substantiis, sed e nominibus et operationibus cognoscimus, et præsertim incorporea. Ingenitus si substantiæ Dei nomen est, aut Deus sua ipsius substantia cognita nomen substantiæ ignoravit : aut etiam, nomine cognito, audientes decepit. Dominus enim ait : «Omnipotens nomen »meum[1]. »Et a Mose interrogatus quod ei esset nomen : «Ego, inquit, SUM QUI SUM[2]. »Et rursum : «Deus Abra»ham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; hoc mihi nomen »æternum[3]. »Et David : «Dominus nomen tibi[4]. »At hoc nomen, «Ingenitus, » nec ipse sibi ascripsit, nec quisquam Sanctorum dixit. Si vero nec decepit, nec ignoravit, impium enim est horum aliquid dicere, ingenitus ei nomen non est. Ingenitus aut substantia est, aut accidens (nam præter hæc nihil esse potest :) sed substantia non est, cum non sit quidquam quod ab eo ex opposito distinguatur. Est enim Filius genitus, at non quatenus substantia

[1] Exod. xv, 3. — [2] Id. III, 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Psal. LXXXII, 19.

est, sed quatenus genitus fuit. Si vero accidens, aut natura insitum est, aut potest adesse et abesse. Sed si natura insitum est, Deus necessario et substantia et accidens est. Quæ enim sunt ejusmodi, necessario accidunt quibus accidunt. Quod si contingenter adest, erit ingenitus aliquando et genitus. Ingenitum si dicunt Deum, eo quod genitus non est, non quid sit substantia ejus dicunt, sed quid non sit : quippe substantia nulla ex iis, quæ non est, sed ex iis quæ est cognoscitur. Nam et illud, « Immortalis, et illud, « Incorruptibilis, » et illud, « Immutabilis » non substantiam illius, sed quod nec moriatur, nec corrumpatur, nec commutetur ut creaturæ, significant. Doceant igitur quid Deus sit, non quid non sit. Si ingenitus non substantiæ nomen est, sed ipsamet substantia, rursus si Filius est substantia, etiam Filius ingenitus est, imo vero substantia omnis erit ingenita. Si ingenitum substantia Dei est, et genitura substantia Filii : creatura igitur aut factura non est ipsius substantia. Filius enim una, non multæ substantiæ. Cum quis hominem, aut lapidem, aut lignum dicit, substantiam quamdam indicat : at cum genituram dicit, non substantiam simpliciter significat; alioqui genitura omnis esset una substantia. Quod si genitura substantiam quampiam non significat, neque « Ingenitus » profecto. Deus si ingenitus est, eo quod genitus non est : sic et incorruptibilis, eo quod non corrumpitur. Quemadmodum igitur « Incorruptibile » eum sine fine futurum significat : ita et « Ingenitum, » principii expertem esse. Si vero ingenitus quidem est, non autem incorruptibilis : principii, non finis erit expers; quod absurdum est. Proinde « Ingenitus » substantia non est : sed genitum non esse significat. Si natura ingenitus est Pater, Filius quoque natura est genitus : sed si genitura est natura, nequaquam est creatura. Itaque cum genitura sit natura,

necesse est et genitorem esse; quandoquidem genitura sine genitore esse non potest. Dicant igitur genitorem, si pater non genuit. Si Deus ingenitus est substantia, et Filius genitus substantia, et Paracletus creatura substantia, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus nomina solum sunt sine substantiis. Baptizent ergo in ingenito, et genito, et creatura. Res enim nominibus sunt potiores : et ea quæ extant, sunt ad operationem utiliora, quam quæ nominantur. « Si Pater, inquiunt, ingenitus, genitus vero Filius, non sunt ejusdem substantiæ. Nam ingenitus et genitus unius substantiæ esse non possunt. » At nos hæc non substantias, sed nomina dicimus, quibus nominibus existentia uniuscujusque earum significatur. Unam autem diversorum nominum substantiam esse prohibet nihil, quemadmodum etiam, vice versa, nihil vetat diversarum substantiarum unum nomen esse in creaturis.

III. « Si consubstantialis, inquiunt, Filius Patri est, Pater autem ingenitus, Filius vero genitus : eadem igitur substantia ingenita et genita. » Sed non dicimus Filium Patris partem esse, sic ut ingenitum et genitum sint substantia divisa : sed totum genitum ex toto ingenito, perfecta duo, non partes duas ex aliquo uno. Si Servator in nomine Patris venit, ut ipse ait : « Ego veni in nomine Patris mei[1]; » quidquid Pater dicitur, id Filium quoque dici necesse est : proinde dicetur etiam ingenitus, si et hoc nomen Patris est. Quod si nomen « Ingenitus » honor est Patris, similiter autem si Filium quoque honorare oportet, secundum ipsius vocem, quæ dicit : « Ut omnes honorent Filium, sicut » honorant Patrem[2] : » necesse est et Filium ingenitum dicere, ut unus Patris et Filii honor servetur. Si Filius nomen Patris hominibus manifestavit, ut ipse dicit : « Manifestavi » nomen tuum hominibus[3]; ingenitus » autem nomen est

[1] Joan. v, 43. — [2] Ibid. 23. — [3] Id, xvii, 6.

substantiæ ipsius proprium; ostendant ubi Salvator ipsum ingenitum nominavit. Si Deus omnibus major est, majorne est substantia, an quoniam ipse causa est omnium, nec a quoquam genitus est? Si enim quatenus substantia, etiam substantia omnis omnibus major est : sin autem quatenus ingenitus, igitur substantia et ingenitus idem non sunt. Si « Ingenitum » est aliquid, etiam immortale, fine carens, morborum exors, senectutis nescium, aliquid erunt. Proinde quoniam ingenitus est, superabit omnes : at in reliquis idem erit cum Angelis spiritibusque et animabus. Nam et hæc immortalia sunt, et finis expertia. Quod si non per ea, quæ non est, sed per ea quæ est, excedit (neque enim homo hoc præstantior est bruto, quod animæ aut sensus expers non sit; cum hæc etiam sit irrationale; sed hoc, quod rationalis est :) sic et Deus non quod ingenitus sit, sed quod omnium causa sit, major erit. Si ingenitus a genito ex adverso distinguitur, ingenitus autem substantia simplex est; etiam eo quod immutabilis, et immortalis et figuræ exors est, et ob reliqua, ex adverso a genito distinguetur. Si enim aliquo quidem distinguitur, reliquis vero nequaquam; compositus, non simplex est. Si is qui cognovit Deum esse, ingenitum, quid tandem sit Deus accurate cognovit, rursus si nihil majus est quam Deum secundum naturam ipsius cognoscere, imo si hæc est vita æterna : qui nos docuit ingenitum esse Deum, is major invenietur iis, quæ Deus diligentibus ipsum præparavit. Nam fieri non potest ut homo quidquam cognoscat eorum, « Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nec in cor » hominis ascenderunt [1]. » Atqui peccatores etiam nomen ingenitus audivere. Quod igitur majus est, id aut per seipsum aut per alium Deus peccatores docuit : quod vero minus est, nihilque ad vitam æternam confert, id Justis

[1] 1 Cor. II, 9.

servavit. Et quomodo hoc absurdum non est? Ingenitus neque definitio, neque proprium Dei est. Hæc enim convertuntur cum iis, quorum sunt definitio aut proprium. Homo enim est animal rationale, mortale, intelligentiæ ac scientiæ capax; et si quid animal rationale, mortale, intelligentiæ ac scientiæ capax, hoc homo est. Proprium vero hominis est risibile; et si quid risibile est, homo est. Ingenitum autem si quis concedet dici de solo Deo, non continuo si quid etiam Deus est, hoc ipsum est ingenitum. Itaque Filius, quanquam Deus est, tamen ingenitus non est. « Ingenitus » igitur neque definitio, neque proprium est Dei : quippe non convertitur.

CAPUT III.

Quod Filius creatura non est.

I. Si Filius creatura Dei est, omnis autem creatura creatoris serva ; Christus Dei servus est, non filius. Non igitur sumpsit formam servi cum esset Dominus, sed erat servus. Potestas eadem non communis est facturæ cum factore : nihil ergo commune est Patri cum Filio, ne creatio quidem, si factura non genitura Filius est. Si Filius genitura est, non tanquam una e genituris, omnis autem genitura creatura est, non creatura Filius est, neque enim genitura est ut illa. Si Deus pauciora uno filio condere non poterat, quod naturæ suæ non convenit : igitur nec Filius condet diversa, sed unum quid. Si minora a minore creantur, et majora a majore, per multos ergo sunt creaturæ, cum omnes non sint æquales. Deus si conditor est natura, non unius erit, sed multorum. Nam aliud non creat aut imbecillitate, aut invidia et livore. Si Patris potentia per Filium creavit, Pater

creator est, non Filius, quemadmodum neque instrumentum artifex est. Non est igitur res humilior quam ut Patri conveniat, creare quæ facta sunt a Filio. Si creaturarum creationem per se facere Deus erubuit, etiam glorificari ab illis non sustinet. Quæ enim facere erubescebat, ea ubi facta fuerint, sua putari nolet. Si idem est, Deum creare et generare, quoniam simplex est : idem etiam erit, servare et perdere, vivificare et occidere. Quod si ita est : igitur salus et perditio, et vita et mors idem sunt. Si Christus potentia ac sapientia Dei est [1], hæc autem increata sunt ac coæterna Deo (non enim fuit unquam insipiens aut impotens) : increatus est Christus, et una cum Deo æternus : sin autem quatenus est operatio, dicitur potentia et sapientia Dei : nos quoque potentia et sapientia Domini dici possumus haud aliter atque ipse, Dei. Sed hoc absurdum est. Si Filius Deus æternus non est, erit necessario recens : si non verus, falsus : si non natura, adoptione. Impiorum autem est recentes et falsos nec natura deos colere. « Non » enim erit tibi, inquit, Deus recens [2]. » Et Paulus : « Sed tunc » quidem ignorantes Deum, servivistis iis, qui natura non » sunt dii [3]. » Aut impii sunt qui Christum sic colunt : aut natura et verus Deus est, atque adeo pii. Si Filius operatio est non genitura, neque qui operatus est, neque opus ipsum ipse est (aliud enim est operatio præter hæc) : sed etiam non subsistit; nulla enim subsistit operatio. Si vero opus ipsum est, tertius a Patre, non immediatus est. Qui enim operatus est, primus est : deinde operatio, tum demum opus. Si Filius unigenitus est, quod solus a solo genitus est, unicreatus magis proprie diceretur, cum secundum Eunomium vere creatura sit, falso autem nomine genitura vocetur. Si Filius solus creatura Patris est, reliqua vero omnia, Filii, cum dixit : « Mea omnia tua sunt [4], » licuit di-

[1] 1 Cor. I, 24. — [2] Psal. LXXX, 10. — [3] Gal. IV, 8. — [4] Joan. XVII, 10.

cere : sed cum addidit : « Et tua mea [1], » non amplius recte secundum Eunomium. Nam ipse sui ipsius esse non poterat. Itaque manifeste comperitur de ipsorum similitudine, deque substantia in omnibus quamlibet differentiam excludente ac simili, non de creaturis locutus fuisse.

II. Si Deus similiter creat et generat, Christus similiter et creator noster et pater est : est namque Deus, nec opus est nobis ea, quæ per Spiritum sanctum fit adoptione; quemadmodum nec opus fuit, ut per alium quempiam creaturæ ipsius facti simus : præsertim cum creaturæ multæ ne ita quidem natura comparatæ sint ut Spiritum accipiant adoptionis, veluti bruta et inanimata. Si nos, qui creaturæ sumus, per Spiritus sancti adoptionem efficimur filii, dicant si Filius etiam creatura est, per quem in Patris adoptionem pervenerit? Si quæcumque habet Pater, præter ea, quæ per Filium facta sunt, nisi secundum eos, ipsum solum; etiam ipse seipsum habere debet : quod fieri non potest. Si imago omnino similis est, prout imago est Filius : creatura autem nihil similis Creatori, imo in omnibus dissimilis; Filius cum imago sit Patris, creatura ejus esse non potest. Si incorporeum, cum generat, necessario tanquam corporeum generat, etiam cum videt, videbit tanquam corpus; et cum audit, audiet tanquam corpus, omnemque operationem tanquam corpus operabitur : si vero hæc se aliter habent, etiam generans aliter profecto generabit. Quod quis non habet, id aliis largiri non potest : si igitur Filius creatura et servus est, alios liberos facere non potest. Quod natura medium est inter aliqua, extrema utraque contingit : proinde si Dei ac nostri mediator Christus est natura, non secundum dispensationem; Deus et creatura natura conjuncta sunt. Si Filius Patri similis est, non tamen secundum substantiam, reliquum est ut vel forma, vel

[1] Joan. XVII, 10.

operatione : sed forma non potest; nullum enim incorporeum in forma est. Sin autem operatione, et ipse nihil alienum operatus esset, sed aliquid tale quale ipse est, siquidem factura est Patris, non genitura. Præterea etiam ante dictum est, quod operatione simile est, id quoque secundum substantiam necessario consimile esse.

III. Si Dei opera in fide non in demonstratione sunt, secundum Davidem qui dixit : « Et omnia opera ejus in » Fide [1] : » quanto magis Filii ante sæcula ex Patre generatio in fide non in demonstratione est? Si ex nihilo Deus Filium fecit, et Filius ex nihilo cuncta; eadem potentia et operatio est eorum, qui ex nihilo quidquid volunt creare possunt, cum nusquam rerum creatarum conspiciatur differentia. Etsi enim creatura in multis multiplici ratione diversa est, tamen diversi sunt opifices, sed unus filius, per quem omnia facta sunt. Si in iis, quæ ex nihilo facta sunt, prima Dei factura Christus est, et sic credentes Arriani ipsum colunt, et Job diabolum primam Dei facturam dixit, ubi ait : « Hoc » primum est origo figmenti Domini [2]; » nescientes colunt diabolum, non Dei Filium. Si vero dicturi sunt eum de prima Filii factura locutum fuisse, non amplius secundum ipsos Spiritus est Domini factura, quippe post diabolum factus invenietur. Si fides in Filium nostra, opus est Dei : « Hoc enim, inquit, opus est Dei, ut credatis in eum quem » ille misit [3] : » ipse Dei opus esse non potest. Nam fides in ipsum, et ipse, non idem.

[1] Psal. xxxii, 4. — [2] Job. xl, 14. — [3] Joan. vi, 29.

CAPUT IV.

In illud, Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc et ipse Filius subjicietur [1].

Si secundum Deitatem Filius Patri subjicitur, initio utique subjectus esset, ex quo et Deus erat. Sin autem non subjectus erat, sed subjicitur postea; secundum humanitatem tanquam pro nobis, non secundum Deitatem pro semetipso subjicietur.

CAPUT V.

In illud, Propterea largitus est illi Deus nomen, quod est super omne nomen [2].

Si post incarnationem, propter obedientiam, Pater Filio, qui Deus erat, nomen quovis alio præstantius contulit, omnisque lingua confessa est Dominum; ante incarnationem neque nomen quod super omne nomen est, habebat, neque omnes Dominum eum esse confitebantur [3]. Major igitur factus est post incarnationem, quam erat ante incarnationem : quod absurdum est. Tale est et hoc, « Data » est mihi omnis potestas in cœlis et in terra [4]. » Hæc igitur de humanitate, non de divinitate oportet intelligi.

[1] 1 Cor. xv, 28. — [2] Philip. II, 9. — [3] Ibid. 11. — [4] Matth, xxvIII, 18.

CAPUT VI.

In illud, Pater meus major me est [1].

Majus aut magnitudine, aut tempore, aut dignitate, aut potentia, aut tanquam causa, majus dicitur. At magnitudine quidem Pater Filio major dici non potest, quippe est incorporeus : sed neque tempore, siquidem Filius conditor est temporum : neque dignitate, non enim genitum est quod aliquando non erat : neque vero potentia ; « Quæ-» cumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit [2] : » nec ut causa, quoniam similiter illo et nobis major esset, cum et ipsius et nostri causa sit. Itaque dictum illud potius honorem, quo Filius Patrem honorat, indicat, non ejus qui dixit imminutionem. Adhæc quod majus est, id non continuo diversæ substantiæ est. Homo enim homine major dicitur, et equus equo. Quare etsi Pater major dicitur, non statim etiam diversæ substantiæ est. Uno verbo ea, quæ comparantur, de iis dicuntur, quæ consubstantialia sunt, non de iis quæ diversam habent substantiam. Homo enim non proprie bruto major dicitur : neque brutum inanimato, sed homo homine, et brutum bruto. Pater igitur etsi major dicitur, tamen Filio est consubstantialis.

CAPUT VII.

In illud, Horam autem et diem illam nemo novit [3].

I. Si Filius universorum conditor est, neque tamen tempus novit judicii, id quod condidit, ignorat. Non enim

[1] Joan. xiv, 28. — [2] Id. v, 19. — [3] Matth. xxiv, 36.

dixit ignorare se judicium, sed tempus. Et quomodo hoc non fuerit absurdum?

II. Si cognitionem omnium, quæ Pater habet, non habet Filius, mentitus est, cum dixit : « Omnia quæ Pater habet, » mea sunt [1]. » Et, « Sicut Pater novit me, etiam ego novi » Patrem [2]. » Quod si aliud est Patrem, aliud, quæ Patris sunt cognoscere, majus autem fuerit Patrem quam quæ ejus sunt nosse, quanto unusquisque iis, quæ sua sunt major est : Filius majus haud ignorans «(Nullus enim, inquit, » novit Patrem nisi Filius [3])» id quod minus est non nosset : quod fieri non potest. Ergo quod non expediret hominibus audire, propterea tempus obticuit judicii. Nam expectatio perpetua ferventiores ad pietatem reddit : id vero, nosse multum tempus interfuturum, negligentiores circa pietatem effecisset, cum sperassent se postea vitæ mutatione salvari posse. Nam quomodo is, qui omnia usque ad illam horam novit (hæc enim dixit) non etiam horam illam nosset? Frustra autem et Apostolus diceret : « In quo sunt » omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [4]. »

III. Si Spiritus sanctus, qui profunditates Dei scrutatur [5], nihil eorum quæ Dei sunt ignorare potest, Filius vero ignorat, major est Spiritus sanctus Filio secundum ipsos, quem ne æqualem quidem esse volunt.

CAPUT VIII.

In illud, Pater, si fieri potest, transeat calix iste [6].

Si vere Filius dicebat : « Pater, si fieri potest, transeat ca » lix iste, » non solum suam ipsius timiditatem imbecillita

[1] Joan. xvi, 15. — [2] Id. x, 15. — [3] Matth. xi, 27. — [4] Coloss. ii, 3. — [5] 1 Cor. ii, 10. — [6] Matth. xxvi, 39.

18.

temque confitebatur : verum etiam aliquid etiam esse quod a Patre fieri non posset, existimabat. Nam illud, « Si fieri » potest, » dubitantis erat, ac ejus, cui persuasum non erat se a Patre servari posse. Quomodo autem qui et mortuis vitam largitur, non multo magis viventibus vitam servare possit ? Cur igitur qui Lazarum et multos mortuos suscitavit, non sibi ipse vitam impertit, sed a Patre vitam petebat, cum timens dixit : « Pater, si fieri potest, transeat » calix iste ? » Si invitus etiam moriebatur, non jam semet humilians, obediens factus est Patri usque ad mortem [1], neque se ipse tradidit, ut ait Apostolus : « Qui se dedit » pretium redemptionis pro peccatis nostris [2] : » sin autem volens, quid opus verbis illis : « Pater, si fieri potest, tran» seat calix iste ? » Hoc igitur de iis,qui in ipsum peccaturi erant, ut ne peccarent, non de ipso accipiendum est : pro quibus etiam crucifixus dicebat : « Pater, dimitte ipsis, » quia non sciunt quid faciunt [3]. » Quæ igitur dicta sunt secundum dispensationem, ea quasi simpliciter dicta essent, accipienda non sunt.

CAPUT IX.

In illud, Et ego vivo propter Patrem [4].

Si propter Patrem Filius vivit,propter alium non propter seipsum vivit. Sed qui propter alium vivit, ipse per se vita esse non potest. Nec enim qui per gratiam sanctus est, per se sanctus est : mentitus igitur est Filius tum, cum dixit : « Ego sum vita [5]. » Et rursus, « Sic et Filius quos vult vivi» ficat [6]. » De humanitate igitur, non de deitate dictum intelligere oportet.

[1] Philipp. II, 8. — [2] Gal. I, 4, et I Tim. II, 6. — [3] Luc. XXIII, 34. — [4] Joan. VI, 58. — [5] Id. XI, 25. — [6] Id. V, 21.

CAPUT X.

In illud, Neque Filius a se facit quidquam [1].

I. Si quod est sui arbitrii, melius est quam quod est sub arbitrio alieno : homo autem sui arbitrii est, Filius vero Dei sub alieno arbitrio, melior est homo Filio : quod absurdum est. Insuper si is, qui sub alieno arbitrio est, efficere non potest ut alii sint sui arbitrii (nam quod ipse non habet, aliis suapte voluntate conferre non potest) Salvator qui effecit ut nos liberi arbitrii simus, nequaquam esse potest sub ullius arbitrio.

II. Si nihil Salvator a seipso facere poterat, sed imperante Patre, nec bonus est, nec malus. Nullius enim eorum quæ facta sunt, causa est. Et quomodo absurdum non fuerit, homines quidem et bona et mala libere facere, Filium vero, qui Deus est, nihil libere facere?

CAPUT XI.

In illud, Ego sum vitis [2].

Si Salvator, inquiunt, vitis est, nos vero palmites, agricola autem Pater, rursus si palmites ejusdem naturæ sunt, cujus vitis, vitis autem non ejusdem naturæ est, cujus agricola; Filius quidem ejusdem quidem est naturæ, cujus nos, sumusque nos ipsius pars : non autem Filius ejusdem est naturæ, cujus Pater, sed in omnibus alienus. Quibus respondebimus vocatos nos esse non Deitatis illius palmites,

[1] Joan. v, 19. — [2] Id. xv, 1.

sed carnis, secundum Apostolum, qui dixit : « Nos enim » sumus corpus Christi, et membra ex parte [1]. » Et rursum. « Nescitis quod corpora vestra membra Christi sunt [2] ?» Et alibi, « Qualis terrenus, tales etiam terreni : et qualis » cœlestis, tales etiam cœlestes [3]. » Et, « Sicut portavimus » imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis [4]. » Si viri caput est Christus, Christi autem caput Deus, homo vero non consubstantialis Deo Christo (non enim Deus est) Christus vero consubstantialis Deo (Deus enim) non igitur ut viri caput est Christus : sic Deus, Christi. Nam creaturæ natura et creatrix Deitas in unum et idem non conveniunt. Proinde ille quidem ut Pater, caput est Christi : hic vero ut factor, nostrûm. Si voluntas Patris est, ut nos ejus Filium credamus : « Hæc est enim voluntas ejus qui me » misit, ut omnis qui videt Filium, et credit in ipsum, ha- » beat vitam æternam [5], » non tamen est ex voluntate Filius : quippe nostra in ipsum fides aut cum ipso, aut ante ipsum invenitur (11).

CAPUT XII.

In illud, Nemo bonus [6].

Si Salvator bonus non est, necessario malus est : simplex namque est, nec quidquam eorum, quæ in medio sunt, admittit. Et quomodo absurdum non fuerit, bonorum factorem malum esse? Item, si vita bonum est, verba vero Filii vita sunt, ut ipse dixit : « Verba quæ locutus sum vobis, » spiritus sunt et vita [7], » quomodo cum ex Pharisæo audivisset, « Magister bone [8], » respondet : « Nullus bonus nisi

[1] 1 Cor. xII, 27. — [2] Id. vI, 15. — [3] Id. xv, 48. — [4] Ibid. 49. — [5] Joan. vI, 40. — [6] Marc. x, 18. — [7] Joan. vI, 64. — [8] Marc. x, 17.

» unus Deus [1] ? » Non enim cum audisset solum « Bonus, » dixit : « Nullus bonus : » sed postquam audierat, « Magister » bonus. » Respondit igitur velut ad tentantem, ut Evangelium dicit : aut velut ad ignorantem, quod Deus bonus sit, et non simpliciter magister bonus.

CAPUT XIII.

In illud, Pater glorifica me [2].

I. Si, cum glorificari a Patre Filius postularet, secundum deitatem, non secundum humanitatem postulabat, quod non habebat, petebat. Et Evangelista mentitur, cum dixit : « Vidimus gloriam ejus [3]. » Et Apostolus : « Non » utique Dominum gloriæ crucifixissent [4]. » Et David : « Et » introibit rex gloriæ [5]. » Non igitur accessionem petit gloriæ, sed ut dispensationis fiat manifestatio.

II. Si quam habebat gloriam antequam mundus fieret, eam vere a Patre petebat; hanc amissam petebat : neque enim quod habebat, id accipere postulabat. Si vero res ita se habet, non gloriam amisit solum, sed Deitatem etiam. Nam gloria a Deitate separari non potest. Nudus ergo secundum Photinum homo erat. Proinde eum talia secundum humanitatis dispensationem, non secundum Deitatis defectum dixisse constat.

[1] Marc. x, 18. — [2] Joan. xvii, 5. — [3] Id. i, 14. — [4] i Cor. ii, 8. — [5] Psal. xxiii, 7.

CAPUT XIV.

In illud, Primogenitus omnis creaturæ [1].

Filius si ante creaturam genitura non esset, sed creatura, primocreatus utique diceretur, non primogenitus. Si propterea quod primogenitus creaturæ dictus est, primocreatus est ; etiam eo quod primogenitus mortuorum dictus est, primus ex iis, qui mortui sunt, mortuus fuerit. Si vero primogenitus mortuorum ex eo dictus est [2], quod causa est resurrectionis e mortuis : ita et primogenitus creaturæ, ex eo quod causa est ut creatura e nihilo ad « Esse » producta sit. Si eum primum factum esse hinc ostenditur, quod primogenitus creaturæ dictus est, Apostolus qui dixit : « Omnia per ipsum et in ipsum creata sunt [3], » debuit dicere : « Et ipse factus est ante omnia [4]. » At cum dixerit : « Et ipse est ante omnia, » ostendit eum quidem semper esse, creaturam vero factam fuisse. Nam illud, « Est, » cum hoc, « In principio erat Verbum [5], » consentit. Si Filius, inquiunt, primogenitus est, non amplius est unigenitus, sed et alius esse debet, cui comparatus primogenitus dicatur. Atqui, o sapiens, etiam ex Maria virgine solus natus, primogenitus ejus dictus est. « Donec enim peperisset, in» quit, filium suum primogenitum [6]. » Quare non est necesse fratris respectu primogenitum vocari. Dici etiam possit, quod et quis qui generationem omnem antecedit, primogenitus diceretur : quin et respectu eorum, qui per adoptionem Spiritus sancti ex Deo nati sunt, ut Paulus ait : « Quoniam quos præscivit, eos et præfinivit conformes

[1] Coloss. 1, 15. — [2] Apoc. 1, 5. — [3] Col. 1, 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Joan. 1, 1. — [6] Matth. 1, 25.

» imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fra-
» tribus [1]. »

CAPUT XV.

In illud, Dominus creavit me [2].

Si qui in carne est, dicit : « Ego sum via [3] : » Et idem, « Nemo venit ad Patrem nisi per me [4], » ipse etiam est qui dixit : « Dominus creavit me initium viarum suarum [5], » Quin et de genitura dicitur creatura et factum : ut illud, « Creavi hominem per Deum [6] : » et iterum : « Fecit filios et » filias [7] : » et David, « Cor mundum crea in me Deus [8], » non petens aliud, sed id videlicet quod erat postulans mundari. Dicitur autem et nova creatura, non quod alia creatura facta sit, sed quod hi, qui illuminantur, ad meliora opera præparentur. Si Filium Pater creavit ad opera, non propter ipsum, sed propter opera creavit. Quod autem propter aliud non propter se fit, aut pars est illius cujus causa factum est, aut eo minus. Erit igitur Salvator aut pars creaturæ, aut minor quam creatura. Quare necesse est de humanitate ejus intelligere. Possit etiam quis dicere Salomonem hæc de illa sapientia dixisse, cujus et Apostolus meminit, ubi dixit : « Nam postquam in sapientia Dei non cognovit » mundus per sapientiam Deum [9]. » Præterea neque Propheta est qui dixit, sed Proverbiorum scriptor. Proverbia autem imagines sunt aliorum, non ea ipsa quæ dicuntur. Si Deus Filius erat qui dicebat : « Dominus creavit me, » potius utique dixisset, » Pater creavit me. » Nusquam enim ipsum Dominum suum vocabat, sed semper Patrem. Acci

[1] Rom. VIII, 29. — [2] Prov. VIII, 22. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Ibid. — [5] Prov. VIII, 22. — [6] Gen. IV, 1. — [7] Ibid. V, 4. — [8] Psal. L, 12. — [9] I Cor. I, 21.

piendum igitur est illud, « Genuit » de Deo Filio : illud vero, « Creavit, de eo, » qui formam suscepit servi. Cæterum in his omnibus non duos dicimus, Deum seorsum, et hominem seorsum (unus enim erat) sed cogitatione naturam cujusque consideramus. Neque enim Petrus duos intellexit, ubi dixit : « Cum igitur Christus passus sit pro nobis » carne [1]. » Si Filius inquiunt, genitura est, non factura, quomodo dicit Scriptura : « Certo igitur sciat tota domus » Israël, quod eum et Dominum et Christum fecit Deus [2]? » Est itaque etiam hic dicendum, id de eo qui ex Maria est secundum carnem dictum fuisse : sicut et Angelus, qui nuntium bonum pastoribus afferebat, dicit : « Natus est vobis » hodie Salvator, qui est Christus Dominus [3]. » Nam vox, « Hodie, » de eo qui ante sæcula est, nequaquam accipi potest. Verum id quod sequitur, clarius idem ostendit, ubi dicit : « Hunc Jesum quem vos crucifixistis [4]. » Si cum genitus est Filius, tunc sapientia facta est ; falsum illud, « Christus Dei potentia et Dei sapientia [5]. » Nam illius sapientia facta non est : sed semper erat. Ac proinde sicut de Patre a Davide dictum est illud : « Esto mihi in Deum » protectorem [6] : » et, « Factus es mihi in salutem [7] : » et Paulus, « Fiat autem Deus verax, omnis vero homo men» dax [8] : » sic etiam, « Dominus factus est nobis a Deo sapien» tia, et sanctificatio, et redemptio [9]. » Si igitur Pater, cum sit protector et verax, non est factura : neque Filius cum sit sapientia et sanctificatio, factura est. Hoc si verum est, unus Deus Pater : profecto verum est et hoc, unus Dominus Jesus Christus Salvator. Neque igitur Salvator secundum ipsos Deus est, neque Pater Dominus est. Et frustra illud : « Dixit Dominus Domino meo [10]. » Falsum autem et

[1] 1 Petr. IV, 1. — [2] Act. II, 36. — [3] Luc. II, 11. — [4] Act. II, 36. — [5] 1 Cor. I, 24. — [6] Psal. XXX, 3. — [7] Id. CXVII, 21. — [8] Rom. III, 4. — [9] 1 Cor. I, 30. — [10] Psal. CIX, 1.

illud : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus [1]. » Illud itidem, « Pluit Dominus a Domino [2]. » Et illud, « Fecit Deus secundum imaginem Dei [3]. » Et, « Quis Deus præter Dominum[4]? » Et, « Quis Deus præter Deum nostrum [5]? » Et Joannes, « Deus erat Verbum, et Verbum erat apud Deum [6]. » Et Thomas de Filio, « Dominus meus, et Deus meus [7]. » Diversitates igitur ad creaturas et ad eos qui falso, non proprie dii dicuntur, oportet referri, non ad Patrem et Filium.

CAPUT XVI.

In illud, Ut cognoscant te solum verum Deum [8].

Dicitur verus, quod ab iis, qui falso dicuntur, distinguitur : incomparabilis vero, quod inter omnia in omnibus excellit. Proinde cum Jeremias (12) de Filio dixit : « Hic est » Deus noster, non æstimabitur alius ad eum [9] : » num et patre majorem dixit? Quod autem etiam Filius sit verus Deus, ipse Joannes in Epistola dicit : « Ut cognoscamus so» lum verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. » Hic est verus Deus, et vita æterna [10]. » Nec igitur propter illud, « Non æstimabitur alius ad eum, » intelligendum est filium patre majorem esse; nec putandum patrem esse solum verum Deum : sed utraque ad eos qui falso dicuntur, nec tamen sunt, oportet referri. Eumdem ad modum et in Deuteronomio dicit : « Dominus solus duxit ipsos, et » non erat cum eis Deus alienus [11]. » Si Deus est solus invisibilis et sapiens, non statim quoque in omnibus major est omnibus Deus : qui vero super omnia est Deus, necessario

[1] Psal. XLIV, 8. — [2] Gen. XIX, 24. — [3] Id. I, 27. — [4] Psal. XVII, 32. — [5] Ibid. — [6] Joan. I, 1. — [7] Id. XX, 28. — [8] Id. XVII, 3. — [9] Baruch. III, 36. — [10] 1 Joan. V, 20. — [11] Deut. XXXII, 12.

præstat omnibus. Apostolus igitur cum super omnia Deum Salvatorem dixit, num et Patre dixit majorem? Sed hoc absurdum est. Similiter igitur et hoc intelligendum. Magnus Deus non potest deo alio minor esse. Apostolus ergo cum de Filio dixit: « Expectamus beatam spem et appari» tionem gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Chris» ti [1], » num ergo Patre majorem intellexit? Nam Filii apparitionem et adventum expectamus, non Patris. Hæc igitur de Patre et Filio indiscriminatim leguntur, sed non cum diligenti observatione. Illud, « Æqualiter esse Deo [2], » non aliud est nisi Deo æqualem esse. Filius certe cum non rapinam putaverit « Æqualiter esse Deo, » quomodo dissimilis ac inæqualis est Deo? Judæi autem magis pii sunt quam Eunomius. Cum enim Salvator seipsum dixisset Dei Filium tantummodo; quasi hoc Filio debeatur, si vere Filius est, eum et Patri esse æqualem : volebant, inquit, illum lapidare, « Non solum quod solveret Sabbatum, sed etiam » quod Deum patrem suum esse diceret, æqualem seipsum » faciens Deo [3]. » Æqualis igitur est Patri et secundum Apostolum et secundum Salvatoris vocem, etiamsi Eunomius nolit.

CAPUT XVII.

In illud, Non est meum dare, sed quibus paratum est [4].

Si judicii dominus Filius non est, sic ut alios quidem beneficiis afficiat, alios vero puniat, quomodo dicebat : « Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio [5]? » Et alibi : « Potestatem habet Filius hominis remittendi pec-

[1] Tit. II, 13. — [2] Philip. II, 6. — [3] Joan. v, 18. — [4] Matth. xx, 23. — [5] Joan. v. 22.

» cata in terra [1]. » Et rursus : « Data est mihi omnis potestas » in cœlo et in terra [2]. » Ad Petrum autem : « Tibi dabo cla- » ves regni cœlorum [3]. » Ad Discipulos vero : « Amen dico » vobis, vos qui secuti estis me, in regeneratione sedebitis » super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Is- » raël [4]. » Ex ipsis ergo Scripturis adhibita solutio est, cum Salvator dixerit : « Et tunc reddam unicuique secundum » facta ejus [5]. » Et alibi : « Ibunt qui bona fecerint in resur- » rectionem vitæ : qui vero mala egerint, in resurrectionem » judicii [6]. » Apostolus vero : « Omnes enim nos manifestari » oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque » ea quæ fiunt per corpus, prout gessit, sive bonum, sive » malum [7]. » Eorum igitur qui reportant, est, facere se dignos, qui a dextris vel sinistris Domini sedeant : non ejus, qui dare potest, etiamsi injusta petitio sit.

CAPUT XVIII.

In illud, Quis Deus præter Dominum? et quis Deus præter Deum nostrum [8]?

Quod non de Filio hæc et his similia dixerint Scripturæ, sed de iis, qui dii dicuntur, cum non sint, abunde ex iis locis demonstratum est, ex quibus Filium et Deum et Dominum sæpe in Veteri ac Novo Testamento dictum fuisse demonstravimus. Verum David idipsum clarius facit, cum dicit : « Quis similis tibi ? » et adjunxit : « In diis, Domine [9]. » Et Moses : « Dominus solus duxit ipsos, et non erat cum » ipsis Deus alienus [10]; » quanquam erat cum ipsis Salva-

[1] Marc. II, 10. — [2] Matth. XXVIII, 18. — [3] Id. XVI, 19. — [4] Id. XIX, 28. — [5] Id. XVI, 27. — [6] Joan. V, 29. — [7] 2 Cor. V, 10. — [8] Psal. XVII, 32. — [9] Id. LXXXV, 8. — [10] Deut. XXXII, 12.

tor, ut ait Apostolus : « Bibebant enim de spirituali, quæ » illos comitabatur, petra. Petra autem erat Christus [1]. » Jeremias itidem : « Dii qui cœlum et terram non fecerunt, » pereant de subter cœlo [2]. » Nec enim inter hos Filius est : ipse siquidem omnium est conditor. Ad idola igitur atque ad gentium simulacra spectat, et id quod mox dictum est, et illud, « Ego Deus primus, et ego post hæc, et præter me » non est Deus [3]? » et illud, « Ante me non fuit alius Deus, » et post me non erit [4], » et illud, « Audi Israël, Dominus » Deus tuus, Dominus unus est [5]; » et quæcumque ejusmodi sunt, non de Filio intelligenda sunt.

ADVERSUS EUNOMIUM.

LIBER V.

DE SPIRITU SANCTO.

CAPUT I.

Quod non sit creatura.

Quod quæ communia sunt creaturis [6], nihil commune habent cum sancto Spiritu, quodque ea quæ propria sunt Spiritus, nihil commune habent cum creaturis, hinc colligitur Spiritum non esse creaturam : quod quæ communia sunt Patri et Filio, hæc communia sunt Spiritui : quod quibus characteribus designatur Deus Pater et Filius in

[1] 1 Cor. x, 4. — [2] Jer. x, 11. — [3] Esaï. XLIV, 6. — [4] Id. XLIII, 10. — [5] Deut. VI, 4. — [6] Vide D. Guillon, t. VII, p. 421-422.

Scriptura, iisdem designatur et Spiritus sanctus, hinc colligitur Spiritum ejusdem Deitatis esse, cujus Pater. Quod quæ soli Patri adsunt ut Deo non ut Patri, et Filio ut Deo non ut Filio, ea adsunt Spiritui soli, creaturis non item; adeo ut nomina et res, quæ cum creaturis nihil commune habent, Trinitati soli sint communia, hinc colligitur Trinitatem esse consubstantialem. Quidquid factum est, verti ac transmutari potest, secundum Prophetam, qui ad Deum dicit : « Qui facis omnia, et commutas ipsa [1] : » Spiritus autem nec verti nec mutari potest : Spiritus igitur creatura non est. Cum creatura in duo dividatur, in corporea et incorporea; mutatio quoque illius divisa est. Et corpora quidem in substantia obnoxia sunt mutationi, cum mundus corruptibilis in incorruptionem perveniat secundum Scripturam, ac mortalia nostra corpora adipiscantur immortalitatem [2], aut ea, quæ nondum corrupta sunt, corrumpantur : incorporea vero et rationalia secundum operationem aut voluntatem admittunt mutationem, secundum illud, « Angelis peccantibus non perpercit[3]. » Si igitur ex iis, quæ facta sunt, alia quidem in substantia, alia vero in mente suscipiunt mutationem, Spiritus vero sanctus neque secundum substantiam, neque secundum operationem, mutationem aut alterationem admittit, non igitur creatura est Spiritus. Creatura omnis cum sanctificatur, sancta est : sanctus vero Spiritus nequaquam est ex iis, quæ sanctificantur, sed ex iis quæ sanctificant : non ergo creatura. Nihil creatum secundum essentiam est sanctum : quod namque essentia sanctum est, id externa sanctificatione non indiget : externa autem sanctificatione eget id quod factum est, cum factum fuerit dignum quod sanctificationem assequatur; Spiritus vero, quod essentia sanctus est, sanctificatione non eget : non igitur creatura est. Omnis creatura Creatoris

[1] Amos. v, 8 apud LXX. — [2] 1 Cor. xv, 53. — [3] 2 Petr. II, 4.

serva est, secundum Prophetam, qui sic Deum alloquitur : « Omnia serviunt tibi [1] : » quod autem servum est, id libertatem et adoptionem, quam ipsummet essentia non habuit, alteri præstare non potest : at Spiritus libertatem impertit et adoptionem : clamat namque in nostris cordibus Spiritus : « Abba Pater; quare jam non es servus, sed » filius [2] : » non est ergo creatura. Nulla creatura ita communicabilis est rationali animæ, ut in ipsa essentialiter inhabitet : sanctus vero Spiritus in ea inhabitat, secundum eum qui dicit : « Templum Dei sumus, et Spiritus Dei ha» bitat in nobis [3] : » non est ergo creatura. Virtus ac vitium in omnem creaturam rationalem possunt cadere : nihil autem horum potest in Spiritum cadere : non est ergo Spiritus creatura. Et quæcumque unam et eamdem esse operationem sanctæ ac beatæ Trinitatis ostendunt, idem probant.

CAPUT II.

Quod Spiritus creator est.

« Cœli enarrant gloriam Dei, et opus manuum ejus » annuntiat firmamentum [4]. » Et in alio : « Et opera manuum » tuarum sunt cœli [5]. » Et quæ sint Dei incorporei incorporeæ manus, quæ firmamentum et cœlos crearint, Propheta ipse interpretatur, cum dicit : « Verbo Domini cœli firmati » sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum [6]. » At quemadmodum non est verbum prolatitium in Deo, sed vivens et subsistens, et quod universa fecit; sic in Deo non est spiritus qui diffundatur, non aër qui dissolvatur, sed virtus sanctificans, in se substantialis, in se existens, in se sub-

[1] Psal. CXVIII, 91. — [2] Gal. IV, 6, 7. — [3] I Cor. III, 16. — [4] Psal. XVIII, 2. — [5] Id. CI, 26. — [6] Id. XXXII, 6.

sistens. « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me[1]. » Et hoc dictum intelligentiam eamdem habet quam præcedens. « Spiritus enim divinus, inquit Job, qui fecit me[2]. » Atque manum alteram exponens Salomon ait : « Deus Pa-» trum et Domine misericordiæ tuæ, qui fecisti omnia in » verbo tuo, et sapientia tua construxisti hominem[3]. » Christus autem est Dei potentia et Dei sapientia, quæ secundum tropologiæ rationem manus creatrix est. Jam vero totam nostram naturam operationi Spiritus tribuit, ipsumque Scriptura dicit renovatorem opificii esse ad incorruptionem : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulve-» rem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum, et crea-» buntur, et renovabis faciem terræ[4]. » Nec enim ipsemet seipsum mittit; sed missionem vocat demissionem ad opus, non e loco ad locum transitum : « Quoniam Spiritus Do-» mini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet » omnia, scientiam habet vocis[5]. » Et Angelus ad Mariam : « Spiritus Domini superveniet in te, quapropter et hoc, » quod nascetur, ex Spiritu sancto est[6]. » Quod ex aliquo est, id ab eo est vel per creationis modum, ut illud : « Unus » Deus Pater ex quo omnia[7]; » aut per modum generationis, secundum illud : « Ego ex Patre exivi[8]. » Et illud : « Ex » utero ante luciferum genui te[9]; » non quod uterum Deus habeat, sed quod genuini et non nothi fœtus ex utero parentum generari soleant, propterea habere se in generando uterum dixit Deus, ad confusionem impiorum, ut vel sua ipsorum natura considerata, discant Filium fructum esse Patris genuinum, utpote ex ejus utero emergentem. Quod itaque ex aliquo est, id aut per creationis modum, aut per modum generationis, aut sponte naturæ ex ipso est, velut

[1] Job. x, 8. — [2] Id. xxxiii, 4. — [3] Sap. ix, 1, 2. — [4] Psal. ciii, 29, 30. — [5] Sap. i, 7. — [6] Luc. i. 35, et Matth. i, 20. — [7] 1 Cor. viii, 6. — [8] Joan. xvi, 28. — [9] Psal. cix, 3.

operatio nostra ex nobis, aut velut splendor solis ex ipso. Itaque si supermundanum Christi corpus ex Spiritu sancto est, non tamen genitura ipsius esse potest; quandoquidem « Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est » ex Spiritu, spiritus est[1]. » Neque rursus ex ipso velut operatio ipsius, quia in simplici et incorporea natura eamdem substantiæ rationem operatio suscipit; relinquitur ergo ut ex ipso sit tanquam ejus creatura. Verum et ille Dei digitus qui pulverem in Ægypto transmutavit in animalia[2], primum animalium ortum ostendens, Paracletus erat, Spiritus ille veritatis. Nam cum Evangelistæ tres narrent Dominum ad Judæos dixisse : « Si autem ego in Spiritu Dei » ejicio dæmonia, igitur ad vos pervenit regnum Dei[3]; » cum Lucas ait dixisse : « Si autem ego in digito Dei ejicio » dæmonia, igitur pervenit ad vos regnum cœlorum[4]. » Proinde quæ etiam per Mosen fiebant in Ægypto signa, quæ videlicet digito Dei edebantur, et admiranda Dei signa cum Spiritu perficiebantur. Porro Dei digitus in iis, quæ a Mose et Domino facta sunt, signis, dictus est Spiritus; non quod sit exigua quædam potentia una cum Deo existens, quemadmodum in corpore digitus, sed quod ex iis illius donis, quæ per divisionem fiunt, unum aliquod est signorum ac sanationum donum, propterea unum aliquod non universa Spiritus dona digitum vocat. « Nam huic quidem per » Spiritum datur sermo sapientiæ; alii vero sermo scien- » tiæ, secundum eumdem Spiritum : alii vero dona sana- » tionum, in eodem Spiritu : alii vero prophetia : alii vero » discretio spirituum : alii vero genera linguarum : alii vero » interpretatio linguarum. Hæc autem omnia efficit unus » ille et idem Spiritus, dividens privatim unicuique sicuti » vult[5]. » Possit quis dicere quod omnia hæc, et quæcum-

[1] Joan. III, 6. — [2] Exod. VIII, 17. — [3] Matth. XII, 28. — [4] Luc. XI, 20. — [5] I Cor. XII, 8-11.

que alia dona Spiritus sunt, veluti corpus quoddam ejus habeantur, unumquodque vero donum digitus. Cæterum et hanc dictionis utilitatem ne negligas. Cum enim dixisset : « Omnia hæc efficit Spiritus sicuti vult; » etiam de Deo ipsemet dixit : « Et divisiones operationum sunt, sed idem » Deus, efficiens omnia in omnibus [1]. » Quod si omnia efficit Deus sicut vult, « Hæc autem omnia efficit unus ille et » idem Spiritus, dividens privatim unicuique sicuti vult ; » quomodo diversitas substantiæ fuerit, ubi operationis cognoscitur identitas? Etenim si diversæ essent substantiæ, diversas oporteret esse et operationes, secundum impiissimum Eunomium. At cum eamdem auctoritatem Spiritus atque potestatem Salvator testaretur, dixit : « Spiritus ubi » vult spirat [2]. »

CAPUT III.

De remissione peccatorum.

Proprium Dei est peccata remittere : quippe hoc ipse dicit : « Ego sum qui deleo peccata tua [3]. » Et, « Si fuerint » peccata vestra quasi phæniceum, sicut nivem dealbabo : » et si fuerint ut coccinum, sicut lanam dealbabo [4]. » Cæterum cum Deus Dei puer Jesus paralytico peccata remittat, dicens : « Fili, remittuntur tua peccata [5] : » in quo a Judæis, qui Deum esse nescirent, blasphemare putabatur, dicentibus : « Hic blasphemat [6], » nullius est remittere peccata, nisi Dei solius. Quin et Dominus flans in sanctos Apostolos, dixit : « Accipite Spiritum sanctum : quorum» cumque remiseritis peccata, eis remittuntur [7]. » Itaque si nullius est remittere peccata, sicut sane nullius est, nisi

[1] 1 Cor. xii, 6. — [2] Joan. iii, 8. — [3] Esai. xliii, 25. — [4] Id. i, 18. — [5] Marc. ii, 5. — [6] Ibid. 7. — [7] Joan. xx, 22, 23.

Dei solius, remittit autem Spiritus sanctus per Apostolos, Deus ergo est Spiritus sanctus, et ejusdem operationis, atque Pater et Filius. « Docete omnes gentes, baptizantes »eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti[1]. »Gentes quæ crediderint, ac edoctæ fuerint, jubet baptizari in Trinitatis nomine. Petrus vero ad Judæos, qui de Christo occidendo conjurarant, ac pœnitentia ducebantur, «Pœni» teat, inquit, unumquemque vestrum, fratres, vestræ ma» litiæ ac viæ pravæ; atque baptizetur in nomine Domini » Jesu, et salvabitur[2]: » tanquam possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione, quæ Pater et Spiritus sanctus efficiunt. « Dominus autem ad Apostolos dixit, ut Patris » expectarent promissionem, quam audistis : quoniam » Joannes quidem baptizavit aqua ad pœnitentiam : vos » vero baptizamini in Spiritu sancto[3]. » Proinde si Spiritus sanctus in Apostolis eadem operari potest, quæ Patris ac Filii nomen in iis, qui ex gentibus crediderant, et Domini Jesu nomen in iis, quos pœnituerat, Judæis, (nemo enim dixerit Apostolos minus accepisse gratiæ per lavacrum, quam qui erant ex gentibus, propterea quod ipsi in Spiritu sancto gratiam habuerunt); quomodo non est ejusdem cum Patre et Filio substantiæ Spiritus, qui est quoque ejusdem operationis?

CAPUT IV.

Quod eadem sit potestas Patris et Filii et Spiritus sancti.

« VADE in Damascum, et ibi tibi dicetur[4], quod vas » mihi es electionis[5]. » Dominus e cœlo Paulo visus dixit,

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Act. II, 38. — [3] Id. I, 4, 5. — [4] Id. XXII, 10. — [5] Id. IX, 15.

quod eum Evangelii præconem orbi terrarum constituisset. Ingresso autem in Damascum Ananias dixit : « Saul » frater, respice : Deus patrum præparavit te [1] : » et ne de Christo dictum putetur, subjungit : « Ut facias voluntatem » ejus, et cognoscas justum ipsius Jesum [2]. » Qui certe vocationem ordinationemque scripto commendans, dixit : « Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus [3]. » Deinde et aliud quid præter vocationem dicit : « Segregatus in » Evangelium Dei [4]. » Spiritum autem eum esse, qui segregavit, Acta Apostolorum docuere : « Jejunantibus enim Apos» tolis, inquit, et orantibus, dixit Spiritus sanctus : Segre» gate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod vocavi » eos [5]. » Quod si Dominus Deus patrum deligit quidem eum, quem præparaverat; Filius vero ipsum vocavit, Spiritus autem segregat eumdem, naturæ utens auctoritate ; quomodo diversitas est substantiæ in Trinitate, in qua operationis identitas invenitur ? « Mei sermones, inquit Salomon, a Deo dicti sunt. » Et Paulus a Christo : « Quando» quidem, inquit, experimentum quæritis in me loquentis » Christi [6]. » Nihil autem minus Spiritus etiam in Apostolis loquitur. « Loquebantur enim, inquit, Apostoli prout Spi» ritus sanctus dabat eloqui illis [7]. » Et, « Non estis vos qui » loquimini, » Salvator ipsis dixit, « sed Spiritus Patris, qui » in cœlis est [8], » loquitur in vobis. Jam vero et in Prophetis loquitur Spiritus. « Quis enim dabit, inquit Moses, » ut omnis hic populus vaticinetur ? tum cum Dominus » dederit Spiritum suum super ipsum [9]. » Sed et novus Novi Testamenti propheta Agabus exclamavit, dicens : « Hæc » dicit Spiritus sanctus [10] : » id quod Veteris Testamenti Prophetæ solebant clamare : « Hæc dicit Dominus Deus. » Et ea,

[1] Act. XXII, 13, 14. — [2] Ibid. — [3] Rom. I, 1. — [4] Ibid. — [5] Act. XIII, 2. — [6] 2 Cor. XIII, 3. — [7] Act. II, 4. — [8] Matth. X, 20. — [9] Num. XI, 29. — [10] Act. XXI, 11.

quæ a Patre et Filio et Spiritu sancto dicta sunt contrahens Paulus, dixit: « Omnis Scriptura divinitus inspi» rata[1]. » Quod si Spiritus in Apostolis et Prophetis loquitur, omnisque Scriptura divinitus inspirata est, dicite impiis: « Quomodo Spiritus sanctus Deus non est, cum illius Scriptura divinitus inspirata sit? »

CAPUT V.

Quod neque visio, neque oraculum fit separatim a Patre et Filio et Spiritu sancto.

Esaias propheta: « Vidi, inquit, Dominum Sabaoth se» dentem super thronum excelsum et elevatum. Et Se» raphim stabant in circuitu ejus: sex alæ uni[2]. » Et post pauca ait: « Et dixit Dominus ad me: Vade et dic populo » huic: Auribus audietis, et non intelligetis, et videntes » videbitis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor po» puli hujus[3], etc. » Quod quidem ad ipsum contextum attinet, et ad seriem propheticæ Scripturæ; qui est super omnia, Pater est, qui visus est, oraculumque dedit Prophetæ. Sed tonitrui Filius, qui stupenda locutus est, ac tonitruo terribiliora dixit, cujus propria non est dictio illa: « Non erat: » sed hæc, « Erat Verbum[4], » dixit Filium eum esse qui visus est et qui oraculum dedit Prophetæ. Dicit enim in suo libro: « Propterea non poterant credere in » Jesum Judæi, quia dixit Esaïas de ipsis: Excæcati sunt » oculi eorum, et induratum est cor eorum ut ne videant » oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem » eos. Hæc dixit Esaïas, cum vidit gloriam ejus[5]. » Paulus

[1] 2 Timoth. III, 16. — [2] Esaï. VI, 1, 2. — [3] Ibid. 9, 10. — [4] Joan. I, 1. — [5] Id. XII, 39-41.

vero visum et vaticinium illud Spiritus esse declaravit, dicens : « Recte dixit Spiritus sanctus per prophetam Esaïam » ad patres vestros : Auribus audietis, et non intelligetis, » et videntes videbitis, et non perspicietis. Incrassatum est » enim cor populi hujus [1]. » Propheta inducit Patris, in quem Judæi credebant, personam : Evangelista, Filii : Paulus, Spiritus; illum ipsum, qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituerunt, distinxere, indistincta manente in eis de uno Deo sententia.

CAPUT VI.

Quod Creatorem participant quæ sunt ad imaginem : hoc autem fit per Spiritum.

Quod si hæc intelligerent, ac recte perciperent, qui contra semetipsos male sapientes sunt, non utique Spiritum a Deitate alienarent, ne se ipsi resecarent a Deitate, neve, separato a Deo mundo, Deum a propria creatura dirimerent. Quæ enim facta essent a Deo, quæque tamen secundum naturam creatam Creatoris gloria destituerentur, ea omnia nisi Deitatem participarent, forent misera. Hic autem de Deo sermo indignus est, si videlicet dicatur creaturam nudam et quasi sui vacuam despicere. Verum nec creatura sic misera, nec Deus sic imbecillis est, ut sanctam participationem in creaturas non transmittat. Itaque statim ad sui imaginem voluit hominem facere. Profecto autem imago, quæ efficitur, dum ab exemplari transfertur, similitudinem in materia accipit, ac characteris ejus efficitur particeps, ubi per artificis cogitationem manumque im-

[1] Act. XXVIII, 25-27.

pressa fuerit. Sic pictor, sic sculptor, sic qui auream aut æream statuam efficit, accepta materia, respicit ad exemplar, assumit rei quam speculatus est figuram, hanc in materiam imprimit. Quod si homines non possunt ad similitudinem informare materias, nisi earum ideam participent; quomodo ad similitudinem Dei ascenderit creatura, nisi characteris divina particeps effecta sit? Divinus autem character non qualis humanus est, sed vivens, et vere existens imago imaginis effectrix, cujus dum participes fiunt res cunctæ, Dei constituuntur imagines. Imago quidem Dei est Christus, « Qui est, inquit, imago Dei in» visibilis[1] : » imago vero Filii, Spiritus, et qui hujus fiunt participes, Filii conformes efficiuntur, secundum id quod scriptum est : « Quos, inquit, præscivit, et prædestinavit » conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus » in multis fratribus[2]. »

CAPUT VII.

Quod Spiritus sanctus non sit Dei possessio, nec creatura.

Quomodo igitur, secundum Apostolum, Spiritus spiritui tuo testimonium reddet quod filius Dei sis[3], si ipse a gloria Filii alienus est? Quomodo clamabit in te, « Abba » Pater[4], » nisi vere sit participatio ex Filio, non ejus possessio, quæ ab ipso emittatur velut spiritus humanus, aut spiritus venti, ut dicere solent qui a Deitate Spiritum separant, sed Dei ac Filii Spiritus sempiternus, in divina majestate existens, ac cognitus. Non enim spiritus tuus est Christus, neque venti spiritus Dominus est, neque spiritus immundus. Nam hoc etiam nonnulli ausi sunt in medium

[1] Coloss. I, 15. — [2] Rom. VIII, 29. — [3] Ibid. 16. — [4] Gal. IV, 6.

proferre. At Spiritus sanctus Christus et Dominus nominatur. Quippe, ut modo commonuimus, ait Apostolus: «Si quis autem Spiritum Domini non habet, hic non est » ejus; si vero Christus in vobis est[1]: » quibus verbis Spiritus inhabitationem Christi esse inhabitationem affirmat; rursus vero dicit: « Dominus autem Spiritus est, ubi vero Spiritus » Domini, ibi libertas[2]: » quare Spiritus Domini, Dominus est; non igitur possessio, aut creatura Domini, sed imago, ut supra dictum est.

CAPUT VIII.

Quod imago vera et naturalis Dei et Domini Spiritus est.

Et est imago vera, non ex imagine divina sicut nos. Nam quoniam ipse imaginem exprimit, idcirco ab imagine non exprimitur; et quoniam unguentum est, idcirco non ungitur. «Spiritus autem, ut ait Joannes, unguentum in nobis est.» Et quid dixi in nobis? Jam enim et in ipso Domino secundum carnem. « Jesum a Nazareth, inquit, » quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute[3]. » Christus igitur est propter Spiritum et propter eam, quæ in Spiritu fit, unctionem. Non igitur per quidquam a Deitate alienum unctio Domini est, aut nomen Christus, aut qui ab ipso Christiani vocantur. Vere enim deplorandum esset, si etiam salutis nostræ nomen a creatura sumeret originem, et a creatura deduceretur, et si per servum adoptionem haberemus. Creatura creaturam non sanctificat, sed ab uno Sancto qui de seipso dicit: « Ego sanctifico meipsum[4], » sanctificantur omnia. Sanctificat autem per Spiritum, sicut

[1] Rom. VIII, 9, 10. — [2] 2 Cor. III, 17. — [3] Act. X, 38. — [4] Joan. XVII, 19.

antea demonstratum est. Spiritus ergo creatura non est, sed sanctitatis Dei character, et sanctificationis fons omnibus. Vocati sumus, ut docet Apostolus, in Spiritus sanctificatione. Hic nos renovat, ac rursus imagines efficit Dei, atque per lavacrum regenerationis ac sancti Spiritus innovationem Deo adoptamur. Nova iterum fit creatura tum, cum Spiritus efficitur particeps, quo privata inveteraverat. Imago Dei rursus est homo, qui a Dei similitudine exciderat, atque pecoribus insipientibus comparatus fuerat, ac eis factus consimilis. Erat brutis animalibus similis effectus secundum mortem[1]. «Sicut enim, inquit, mors hujus: ita » mors illius[2]. Sed nunc, inquit, qui suscitavit Christum e » mortuis, vivificabit etiam mortalia vestra corpora propter » ipsius Spiritum inhabitantem in vobis[3]. »

CAPUT IX.

Quod Spiritus natura divina est, quandoquidem ipsa perficit Dei opera.

Qui creaturam renovat, qui corruptionem in incorruptibilitatem transmutat, qui nos creaturam novam efficit in ævum permanentem, cum quis a creatore Deo et Filio separabit? Quomodo qui extra Deitatem est, Deitatis creaturam recuperat, novam eam atque incorruptibilem efficiens? Quo alio indigebat Deus, ut suam, quæ defluxerat, recuperaret creaturam? Silentio tradatur sermo impius, qui inveteratam quidem et corruptam creaturam opus Dei esse affirmat, eam vero, quæ non amplius inveteratur, neque corrumpitur, a creatura innovari contendit. Ne glorificetur creatura supra Deum. Majori autem gloria afficitur quam

[1] Psal. XLVIII, 13. — [2] Eccl. III, 19. — [3] Rom. VIII, 11.

Deus, si ea, quæ morte ac corruptione dissoluta sunt, et quæ Deus per Filium effecit, immortalia atque incorruptibilia per creaturam evadant. Sed Spiritus divinus omnia, quæ a Deo per Filium facta sunt, perficit, sicut in nova creatura, de qua dicitur: « Si qua in Christo nova crea» tura [1]: » ita et in veteri, quæ ab initio erat. « Propterea, » inquit, verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris » ejus omnis virtus eorum [2]. » Vivens est Verbum, in quo facti sunt cœli. Hic ipse est Deus Verbum, de quo Joannes clamat: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil [3]. » Vis vivificandi vivificantem Spiritum vitam esse ostendit prout scriptum est: « Vita est spiritus, qui Potestates cœlestes perficit, hic ipse, qui cum Patre et Filio glorificatur. » Neque enim verborum prolatione creat Deus, etiamsi ex more humano Dei eloquia dicantur prolatitia verba: neque aërii spiritus profusione ornantur cœli. Spiritus enim viventi Verbo ad creandum conjunctus est, viva potentia, et divina natura, quæ ineffabilis ex ineffabiliore effulsit, modo ineffabili atque insufflatione ad hominem emissa, et secundum formam a Domino corporaliter traditam, rursus ab eo per insufflationem restituta [4]. Concurrere enim oportet una cum pristina novitate præsentem innovationem atque concursum. Informavit igitur postquam sufflasset, cum non alius sit atque is, qui a principio insufflavit, sed ipse, per quem Deus dedit insufflationem, tunc quidem cum anima, nunc vero ad animam. Sic creat Deus, non manuum corporalium motu, sed vivi Verbi operatione, ac vivifici Spiritus communicatione. Itaque si etiam ab initio in Spiritu facta sunt omnia, et rursus renovantur in Spiritu; una et eadem plane operatio Dei per Filium in Spiritu apparet; nec Trinitas separationem suscipit, sed

[1] 2 Cor. v, 17. — [2] Psal. xxxii, 6. — [3] Joan. i, 3. — [4] Id. xx, 22.

secundum veram Pauli doctrinam, «Divisiones donorum » sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministeriorum » sunt, et idem Dominus, et divisiones operationum sunt, » idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus[1]. » Atque posteaquam omnes divinas operationes recensuit: «Omnia autem hæc, inquit, operatur unus et idem Spi» ritus, dividens privatim unicuique sicuti vult[2]. »

CAPUT X.

Quod Spiritus cum conglorificetur cum Deo, ostendatur non esse creatura, sed divinæ naturæ.

Non utique potestatem habet in Dei creaturas creatura, neque circa eas operatur, sed alia est Creatoris, alia creaturarum actio. Angeli vident Patris, qui in cœlis est, faciem[3], quemadmodum ait Salvator, et hæc ipsorum magna gloria ac beatitudo est. Sunt autem Dei opera, juxta illud: « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos flammam ignis[4]. » Deus ipsos condit, non per ipsos operatur: quin et eos sanctificat, et in ipsis operatur, sicut in sanctis hominibus. Illi quoque quæ Dei sunt annuntiant quemadmodum homines. Quapropter neque Angelos una cum Deo glorificamus, sicut neque homines. Non enim propria ipsorum reputamus ea, quæ ab ipsis conferuntur, beneficia, sed operantis in ipsis Dei. Spiritus vero cum Deo et Filio afficitur gloria, quippe quia et divina operatio per ipsum completur. « Gratia enim Domini nostri Jesu » Christi, inquit Paulus, et charitas Dei, et communicatio » sancti Spiritus cum omnibus vobis[5]. » Atque salutis nos-

[1] 1 Cor. XII, 4-6. — [2] Ibid. 11. — [3] Matth. XVIII, 10. — [4] Psal. CIII, 4. — [5] 2 Cor. XIII, 13.

træ caput, perfectaque de Deitate traditio, ad eorum qui baptizantur sanctificationem, est, baptizare in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Quod vero in iisdem divinis operibus Trinitas sancta glorificatur, Deitatis unius testimonium est. Nam neque sine Filio Pater agit, neque Filius sine Spiritu.

CAPUT XI.

Quod quemadmodum Filius ad Patrem se habet, ita Spiritus ad Filium.

Propterea et Dei quidem verbum Filius est, Filii autem verbum Spiritus. « Portans enim, inquit, omnia verbo virtutis suæ [1]. » Et cum verbum sit Filii, proinde Dei est: « Gladium, inquit, Spiritus, qui est verbum Dei [2]. » Verbum autem Dei et verbum vivens est et operans. Cave enim mihi ad humanas delabaris similitudines, sed ubique majus quiddam de Deo intelligas, exemplum verbi ad unius operationis demonstrationem accipiens. Nam et mens tua omnia per verbum considerat.

CAPUT XII.

Cur et Spiritus Filius filii non dicatur?

Non quod ex Deo non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur esse infinita multitudo, si quis eam suspicatur, ut fit in hominibus, filios ex filiis habere. At dicis: « Si Dei quidem imago est Filius, Filii vero Spiritus, item si Filius sermo Dei est, Spiritus vero est verbum Filii, cur Spiritus

[1] Hebr. I, 3. — [2] Ephes. VI, 17.

dictus non est Filii filius?» Nam hoc argumento firmissimo ad impietatem usus es. Nam vel Filium vel creaturam jubes intelligere. Et quoniam Filius nominatus non est, ore blasphemo creaturam dicis eum, qui creaturæ causa est, qui sanctificat creaturam, eamque Deum efficit, qui Domini ac Dei nomine glorificatur, qui divinas explet operationes. Cum igitur filii appellatione tibi videatur esse indignus, tanquam a Filio et Patre alienus, considera quomodo eos qui sanctificantur, filios efficiat. Quod si tu per Spiritum filius Dei es, quomodo Spirius alienus a filiatione est? Si tu per Spiritum deus, quomodo Spiritus alienus fuerit a Deitate? Interrogabis sane vicissim, cur igitur filii non suscepit nomen? Nam iis, quæ dicta sunt, dedignaris attendere, ejus vero, quod dictum non est, causam inquiris, quemadmodum Sadducæus non admittens resurrectionem, sed resurrectionis modum curiose investigans, et quod dictum est, ob id quod dictum non est reprobans. Quod si tacuerimus, ut qui ea, quæ Dei sunt curiose inquirere nolimus, divini Spiritus gloriam victam arbitraris, propterea quod Filii appellatio de ipso adhibita non est, quasi non idem queat ex te quæri. Nam si confiteare filios per Spiritum adoptione fieri innumeros, cur Spiritus, ne adoptione quidem appellatur filius; præsertim cum iis, quos dono pro filiis adoptat, præstantior sit, ideoque potius non debeat per appellationem imminui? Nos porro etiam de hoc nobis ipsis pro virili respondebimus. Nam quod ad te attinet, cum interrogatio eadem tibi etiam incumbat, silere satis esset. Dicimus ergo, quod si quis dixisset Filium ex filio, Trinitatem Deitatis in multitudinis suspicionem apud homines qui hoc audivissent, adduxisset. Promptum namque erat suspicari, si filius ex Filio genitus fuisset, etiam ex hoc alium rursus genitum fuisse, et rursus alium, et sic postea facto ad multitudinem progressu. Sane eam ob

causam Spiritum ex Deo esse prædicavit aperte Apostolus, dum dicit: « Spiritum qui ex Deo est, accepimus [1]. » Quin et clare ostendit effulsisse eum per Filium; quippe ipsum ut Filii, ita Dei Spiritum nominavit; eumdemque appellavit Christi mentem, quemadmodum etiam ut Dei, ita hominis spiritum dixerat. At filium Filii appellare cavit, ut unus sit quidem Pater Deus, semper pater permanens, et qui æternum est quod est: unus vero Filius æterna generatione generatus, qui sine principio una cum Patre est Filius Dei verus, qui semper est quod est, Deus verbum et Dominus; et unus Spiritus sanctus, vere sanctus Spiritus, secundum id quod scriptum est: Qui cum Patre et Filio conglorificatur, qui et spiritus oris a propheta David nominatur [2], quem et digitum Dei esse docemur, cum Dominus in Evangelio dicat: « Si vero in digito Dei ego ejicio dæ» monia [3]. » Hæc dicta sunt, et sunt recte dicta, sicuti sunt, iis, qui sine curiosa investigatione credunt in Deum et Verbum et Spiritum, unam Deitatem; quæ et sola adoranda est. Et ut nusquam introducatur multitudo, sed unumquodque in Trinitate unum esse cognoscatur, unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus.

CAPUT XIII.

Quod etiamsi Spiritus non vocetur filius, perspicuum tamen est eum ex Deo esse: et quomodo exempla humana sint Divinitati accommodanda, et non rejicienda.

Neque enim minus quidpiam sumus habituri, unde Spiritum cognoscamus ex Deo esse, ubi eum oris illius Spiritum audierimus. Etenim vel hoc nomen sufficit ad

[1] I Cor. II, 12. — [2] Psal. XXXII, 6. — [3] Luc. XI, 20.

ejus existentiam, quæ ex Deo est, declarandam. Neque enim Filius, neque generatio, proprium Deitatis est, sed quiddam est humana similitudine adductum. Similiter autem et Spiritus appellatio. Hac igitur in divino Spiritu usa est divina Scriptura, aliter ex Deo esse ostendens; quandoquidem ut prius dictum est, non oportebat hunc etiam per eamdem similitudinem significari. Tu vero perinde ut infideles divinæ te doctrinæ opponis, festinans ad blasphemiam. Et quoniam Spiritus ex Deo processio non vocata est generatio, idcirco et hanc Spiritus ex Dei ore processionem tollis, et quia filius non nominatur, ideo nec ipsum Spiritum oris Dei esse credis, sed manuum Dei opus; ac spretis humanis exemplis subvertis divina, quæ ex eis intelliguntur, dogmata, cum oporteret divina verba cum timore audire, et quidquid dicitur cum pietate recipere, non stultissima cavillari contra pietatem. Generat Deus non ut homo; generat tamen vere, et genimen quod ex ipso est, edit, Verbum videlicet, non humanum; edit autem Verbum vere ex seipso. Et Spiritum per os emittit, non quasi humano more, cum neque os Dei corporeum sit, ex ipso autem et Spiritus, non aliunde (13). Operatur Deus manibus non corporeis: operatur autem non ex seipso creaturas producens, sed efficaciter eis dans existentiam; quemadmodum qui manibus operatur homo non ex seipso producit opus. Terminos eloquiorum divinorum ne transmoveas, Spiritum Filii dicens creaturam: neve de Filio quæras cur vocatus non sit Spiritus; neque de Spiritu, cur non Filius, neque creaturam Filium aut Spiritum maledico ore dicas. Filius Dei fructus sanctus ex sancto, æternus ex æterno, Spiritus sancti largitor ad constituendam formandamque creaturam. Qui Filium tollit, principium creationis omnium sustulit. Nam existendi causa omnibus est Dei verbum, per quod facta sunt omnia. Qui Spiritum aufert,

eorum, quæ fiunt, resecuit perfectionem. Nam quæ fiunt, emissione atque participatione Spiritus fiunt. Nequaquam in tempore procedit quod ex Deo procedit, etiamsi in tempore creaturas producat. Est Verbum semper, antea etiam quam a Mose ostenderetur, quasi humano more pronuntiatum, ut facta per ipsum creatura secundum humanam formam explicaretur. Spiritus semper est, ante etiam quam sufflatum eum et communicatum describeret Moyses corporali figura, per ipsum vivificationem esse describens [1].

CAPUT XIV.

Quod si quis Spiritum ex Deo non dicat, ne Verbum quidem.

I. Atqui quæ quidem sunt necessitudinis cum Deo signa, et quæ sunt divinæ conjunctionis interpretamenta, Verbi scilicet ac Spiritus nomina, resecas : ea vero sola, quæ externam diversamque naturam significant, admittis, puta operationem manus, ac operum creationem. Nam si Spiritum non credis ex Dei ore processisse, neque Verbum credes. Etenim et David Verbum et Spiritum simul afficiens gloria, dixit «Cœlos verbo Domini firmatos esse, » ac spiritu oris ejus omnem eorum virtutem [2]. » Et Moses, cum opera Verbo facta fuisse declaravit, ea Spiritu quoque vivificari ostendit, in hominis secundum imaginem creatione [3]. Quomodo igitur separari possint, quæ sunt inseparabilia, Verbum scilicet Dei, et Spiritus ex Deo per Filium? Quod si non credis in Spiritum, neque in Filium credis. Audi Paulum, qui nostram formationem, quæ secundum Deum est, in Spiritu perfici ait : « Nos autem omnes

[1] Gen. xi, 7. — [2] Psal. xxxii, 6. — [3] Gen. i, 26.

» retecta facie, gloriam Domini in speculo repræsentantes, » ad eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, » tanquam a Domino Spiritu[1]. » Per Verbum ergo et in Spiritu creatura secundum imaginem est. « At facit, inquis, Spiritum Deus, et facit per Filium, » et illud, « Omnia per » ipsum facta sunt[2], » Spiritum quoque tibi videtur complecti. Trinitas igitur dualitas tibi apparet? Etenim si Spiritus una cum omnibus est, quomodo fuerit cum Patre et Filio? Si vero non est cum Patre et Filio, quomodo Trinitas est trinitas? Item, quomodo baptismus, qui universum orbem sanctificat, est in Trinitate? Sed et cum aqua numerari eum dicis, tanquam qui creatura sit, quemadmodum etiam aqua est. Constat enim Dominum dicere : « Nisi quis rege- » neratus fuerit ex aqua et Spiritu[3]. » Et hoc adhuc exiguum est. Tu vero, ex eo quod Joannes dicat ; « Ipse vos bapti- » zabit in Spiritu sancto et igne[4], » Spiritum divinum etiam una cum igne gehennæ collocas. Hæc quem impietatis modum non superant, si ideo aquæ dignitatem Spiritui sancto attribuis, quod Spiritus illapsu aqua sanctificatur? Adæquandum enim duxisti quod sanctificatur ei, qui sanctificat, eumdemque una cum Deo Filio in eadem operatione ac gloria numeratum non formidas, qui operationem unam ac gloriam privatim disseces. Quod autem utitur aqua ad corporum purificationem, propterea Spiritum putasti eodem honore dignum, quo aquam. Et medicinam quidem, tametsi materiis utitur, non dicis materiis dignitate parem, sed materiarum dominam; divinum vero Spiritum, qui aqua ad peccati sordes expurgandas utitur, ad aquæ dedecus atque humilitatem dejicis; aquæ, inquam, quæ impiis etiam ad communem usum concessa est; aquæ, qua omnia corporum inquinamenta absterguntur. Quod

[1] 2 Cor. III, 18. — [2] Joan. I, 3. — [3] Id. III, 5. — [4] Matth. III, 11.

si ignis etiam considerasti naturam, qualemnam rem ausus es excogitare? Demiror dementiam, si vere ignem non extimuisti. Christus in Spiritu baptizat sanctificatione dignos: indignos vero in ignem mittit, alienos a bono, malo tradens. Propterea igitur videntur tibi bonum et malum inter se esse affinia, simulque creata et socia. Et quanquam nos easdem Patris et Filii et Spiritus sancti operationes commonstramus, tu non vides conjunctionem; nec cum prædicatur seorsum Spiritus in Dei gloria, in eo divinam gloriam intelligis; quippe Apostoli dicunt: « Hæc dicit » Spiritus sanctus [1]; » quemadmodum aiebant Prophetæ, « Hæc dicit Dominus. » Quin et Domini tentationem dicunt Spiritus tentationem, ubi videlicet ad tentantes Petrus ait: « Cur convenit inter vos ut tentaretis Spiritum Do» mini [2]: » Et ad eosdem: « Non es mentitus hominibus, » sed Deo [3]. »

II. Quod si Apostoli dicunt: « Visum autem est Spiritui » sancto et nobis [4], » non componentes seipsos cum potestate Spiritus, sed subjicientes, tanquam ab ipso tunc edocti, tu vero, quasi unam cognitionem ac prudentiam, ac unam et eamdem potestatem sibimetipsis ac Spiritui attribuant, Spiritum ad creaturam demittere conaris. Quemadmodum si Moysi quoque Deum exæquari affirmes, dum audis: «Credidit » populus Domino, et Mosi servo ejus [5]. » Et tamen Dominum inter et servum manifesta est differentia, quam cum scriptor etiam ostenderet, dixit: « Mosi servo ejus. » Nam Deo sicuti Domino, et sicut Mosen mittenti crediderunt: Mosi vero sicuti servo misso. Sic profecto Spiritui quidem tanquam Domino placuerunt eæ quæ Ecclesiæ datæ sunt leges; Apostolis vero tanquam ministris, ea quæ evulgarunt præcepta. Spiritus autem servus non est. « Dominus enim,

[1] Act. XXI, 11. — [2] Id. IX, 5. — [3] Ibid. 4. — [4] Id. XV, 28. — [5] Exod. XIV, 32.

» inquit, Spiritus est, et ubi Spiritus Domini, ibi libertas [1]. » Et Israël, ut pote cum formidine institutus, ut servus quidem præceptis Spiritus ducitur; Christianorum vero Ecclesia per charitatem sanctificata, adoptatur. Propterea dicit Paulus: « Non enim accepistis spiritum iterum servi- » tutis ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus: « Abba Pater [2]. » Non utique is, qui servi conditionem accepit, Filius e servo constituitur, neque propter servi participationem, Deum audebit patrem appellare; neque servus operatur quæcumque Dei sunt, sicuti vult. Neque Spiritus præsentiam, si servus et creatura esset, omnia pervadere dixisset Hymnorum cantor, qui eum faciem et manum Dei vocat, ac dicit: « Quo ibo a Spiritu » tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, » tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero » pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris. » Nam et ibi manus tua deducet me, et tenebit me dextera » tua [3]. » Spiritus enim est qui implevit universa; secundum id quod scriptum est: « Spiritus enim Domini, inquit » Salomon, orbem terrarum replevit [4]. » Quapropter cum etiam per septem operationes Spiritus cognoscatur, quas Esaïas recensuit [5], Zacharias quoque Domini Spiritum septem oculos dixit, ita loquens: « Hi oculi Domini aspicientes » terram [6]. » Et illud quod dicitur: « Cœlum et terram ego » adimpleo, dicit Dominus [7], » eam, quæ per divinum Spiritum efficitur, adimpletionem significat; quemadmodum et per Zachariam dicit Deus: « Ego sum in vobis, et Spiritus » meus stetit in medio vestri [8]. » Sed et antea alia plura ejusdem generis dicta sunt, quibus liqueat Spiritum esse qui creaturam implet. Quis igitur non sentit divinam Spi-

[1] 2 Cor. III, 17. — [2] Rom. VIII, 15. — [3] Psal. CXXXVIII, 7-10. — [4] Sap. I, 7. — [5] Esaï. XI, 2. — [6] Zach. IV, 10. — [7] Jer. XXIII, 24. — [8] Agg. II, 5.

ritus gloriam tum, cum audit: «Quo ibo a Spiritu tuo?» Et rursus: «Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.» Video et Dei et Spiritus præsentiam in unum et idem concurrentem, cum universalis dicatur in omnibus. At tu in talibus cum non queas Spiritum non increatum intelligere, aut dicere, Deum ipsum ais Spiritum vocari. Verum nec inhabitat per seipsum in creatura Deus; nec quisquam possit Deum pro Dei Spiritu accipere, cum clare Apostolum audiat, talia de eo, qui in nobis habitat scribentem: «Nobis enim revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus »enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis »enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus »hominis, qui est in eo? Sic et ea, quæ sunt Dei, nemo »novit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi »accepimus, sed spiritum qui est ex Deo; ut sciamus quæ »a Deo donata sunt nobis[1].»

III. Itaque si in his nemo poterit pro Spiritu Dei Deum accipere (et quidem eum ita cum Dei gloria conjunctum videat, uti est cum homine hominis spiritus) ne dicat, verbis in contrarium sensum detortis, Deum ipsum esse Dei Spiritum. «Spiritus meus, inquit, qui est super te[2];» non Deum, sed Spiritum qui est a Deo, significavit. «Spi»ritus Domini super me: propterea unxit me[3].» Spiritum unctionis Spiritum Domini vocavit. Spiritus divinus unus est, ne quis plures uno dicat, tametsi Deus a Domino dicitur Spiritus[4]. Patrem, quod incorporeus sit, nomine Spiritus significavit. Quemadmodum enim Spiritus Deus est, juxta illud, «Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in »vobis[5]:» ita et Deus Spiritus est, non dissecta Trinitate, neque secundum naturam separata: sic ut nomina etiam non separentur. Quapropter cum unus sit Deus, Deus

[1] 1 Cor. II, 10-12. — [2] Esaï. LIV, 21. — [3] Id. LIX, 1. — [4] Joan. IV, 24. — [5] 1 Cor. III, 16.

etiam est Filius paterna natura, et paterno nomine: et cum Filius unus Dominus sit, Pater Dominus est, nomine imaginis vocatus, sicut ejus exemplar ac genitor: sic et Spiritus Dominus, a Domino nomen habens, a quo etiam datur, et Dominus Spiritus ab imagine est; quandoquidem et Deus Spiritus ab ipso vocatus est. Nec tamen propterea Deos tres, neque Dominos tres, neque Spiritus tres oportet facere: sed Trinitatis conjunctionem in nominum communicatione agnoscere. Quanquam tu eo dementiæ devenisti, ut separato ac disjuncto Spiritu a Patre et Filio, dicas etiam sine Spiritu æternam vitam in Patre et Filio fuisse enuntiatam, eo quod Dominus dicat: « Hæc autem » est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, » et quem misisti Jesum Christum[1]. » Quare si Spiritus ob hoc tibi videtur ablatus, baptisma vitæ sine Spiritu conferas: sin in Spiritu vitam vice hæreditatis accipis, quomodo vitam æternam sine Spiritu somnias? « Si quis Spiritum » Christi, inquit, non habet, hic non est ipsius[2]. » Quomodo igitur in æternum vives, nisi fueris Christi? Non autem eris Christi, nisi illius habeas Spiritum. « Sed cur non addidit, inquis, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, et Spiritum sanctum? » Non quod Spiritum a dualitate disjungat, heu vos: sed contra, quod copulet significetque in Patre et Filio Spiritum inseparabilem. Nam et cum Paulus dicit: « Quicumque in » Christum baptizati estis, Christum induistis[3], » non sane absque Patre etiam sanctificationem induxit, sed in Filio Patrem quoque significavit. Et cum dicit: « Nobis enim re- » velavit Deus per Spiritum suum[4], » haudquaquam subtraxit Filium, qui dicit: « Neque Patrem quisquam novit, nisi » Filius, et cui Filius revelarit[5]. » Quod si, Patre non nomi-

[1] Joan. XVII, 3. — [2] Rom. VIII, 9. — [3] Gal. III, 27. — [4] 1 Cor. II, 10. — [5] Matth. XI, 27.

nato, significat tamen genitorem quoque cum Filii nomine, itemque si Filio non nominato, significat et genitum ipsum cum nomine paterno : ita et ubi Spiritus non nominatur, in eo, qui eum impertit ac confert, intelligitur. An etiam cum Apostoli dicunt : « Hæc dicit Spiritus sanctus [1], » putabimus Spiritum sanctum solum leges nobis ferre, et futura prædicere, et non lationem legum atque prophetiam ex Patre per Filium primum proficisci? Et cum puer sanctus ex sancto Spiritu conceptus esse dicitur [2], non sine Verbo Spiritum ad formandum infantem accessisse suspicamur, præsertim cum Joannes dicat : « Verbum caro factum est [3], » cumque Verbo ascribatur incarnatio. Verum per omnia palam est Spiritum et in Verbo esse, et Verbum in Spiritu, cum unio secundum Deitatem non dividatur. Nam trium nominum acceptio Trinitatem enumerat, ac declarat : sed declaratio, quæ per unum nomen fit, unionem Trinitatis habet : hunc ad modum illud, « Ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia [4], » in unum nomen et Patris et Filii et Spiritus sancti proprietatem collegit. Unus enim Deus est ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, unus itidem Spiritus sanctus in quo omnia, secundum quod dicitur : « Vos non estis in carne, » sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis [5]. » Quare et verbis illis : « In Deo vivimus, et movemur, et » sumus [6], » aperte Spiritus proprietas in Deo indicatur. Non certe per creaturam creatura continetur, aut vivit, aut est, cum et ei opus sit ut creatoris potentia fulciatur : non certe creaturæ operatione glorificatur Deus, cum dicatur esse ille ipse, « In quo vivimus, et movemur, et sumus; » sed vere divinus Spiritus omnia quæ ex Deo, et quæ per Filium sunt, sustentat in hoc ut sint. Quapropter et id

[1] Act. xxi, 11. — [2] Matth. i, 20. — [3] Joan. i, 4. — [4] Rom. xi, 36. — [5] Id. viii, 9. — [6] Act. xvii, 28.

iis, qui ipsius participes fiunt largitur, ut esse perseverent. Quin et in ipso iterum vivimus nos, qui prius ob nostram ab ipso separationem corrumpebamur : multa autem cum proferri possint, ex quibus pateat Spiritum significari, cum Deus in creatura, et creatura in Deo esse dicitur, iis quæ dicta sunt tanquam plurium aliorum speciminibus contenti erimus; cum ostenderimus errantibus, eorum in spiritum impietatem in Deum recidere; si tamen Spiritus gloriam, Dei gloriam esse cognoscere studuerint.

CAPUT XV.

Quod non ab æquivocatione identitas, sed a natura divina unitas cognoscitur.

I. At spiritus, inquit, etiam hominis dicitur, ut illud, « Auferes spiritum eorum et deficient[1]. » Dicitur quoque Spiritus Dei ut illud, « Non permanebit Spiritus meus in » hominibus istis[2]. » Et spiritus venti, verbi gratia illud, « Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ[3]; » et alia multa poterit quis invenire. Verum rectius hæc intellexerit, qui sententias divinas pie considerarit, videlicet si ad ea, quæ ab adversariis objiciuntur dicat, quod si quis ex æquivocis identitatem induci putat, quid faciet, cum multa dicantur aut vocentur « Entia? » Hoc namque unius Domini ac vere Dei est dicentis : « Ego sum qui sum[4]. » Dicuntur autem et patres multi, et dii, et genitores, et sapientes, et potentes, et opifices, quæ natura Deo soli semper insunt. Quin et ingenita similiter dicuntur quæ nondum genita sunt, sed generari aut fieri debent, sicut mortuorum resurrectio

[1] Psal. CIII, 29. — [2] Gen. VI, 3. — [3] Psal. CXLVII, 18. — [4] Exod. III, 14.

quæ nondum facta est, ingenita est et futura : aut sicut faciendus ex ferro annulus, in ferri natura ingenitus est : aut sicut cum ex aqua vel lapide ignis, vel alia quavis materia, similiter ignis fieret. Rursus per ingenitum quod non existit, intelligimus id quod minime ac nusquam est. Dixit aliquis rem non extare, substantiam ac essentiæ existentiam sustulit. Res quæ nec existit nec subsistit, naturam significat non existentem et quæ omnino non est. Sed si quis dicat quidquam existere ac subsistere, is existentem substantiam significavit : qui vero dicit ingenitum Deum, aut hunc ingenitum cum articulo, sive nomen « Deus » præponat, sive postponat, nec substantiam abstulit, nec ipsum « Esse » Dei, sed hanc genitam non esse ait; imo vero neque creatam fuisse Dei substantiam indicat. Sed quia ipsum « Esse » Dei non sustulit, non protinus quid Dei substantia sit ostendit. Non dico qualitatem aut quantitatem, uti illi vana effutientes demonstraturos se esse pollicentur : sed quomodo sit substantia Dei, hæc vocis « Ingeniti » appellatio commonstrat. At vero quomodo quidpiam sit, et illud ipsum quod est, quale sit, aut quid sit, longe magis latet, ut quæ ex sua natura a nulla creatura queant investigari. « Nam si judicia ejus abyssus multa [1], » ut ait Propheta; et viæ ejus impervestigabiles omnino et imperscrutabiles secundum Apostolum [2], quanto magis ipse cujus talia sunt judicia, viæque tales? Nec mirum si Deus ipse talis sit, cum ea, quæ ejus sunt, talia existant. Si enim quæ se diligentibus præparavit Deus, « Nec oculus vidit, » nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt [3], » ut scriptum est, quanto magis naturam Dei ipsius, qui talia præparavit, arcanam atque ineffabilem esse quispiam dixerit, eorum, qui in ipsum pie ac simpliciter credunt?

II. Quin etiam verba multa dicuntur, at unum est Dei

[1] Psal. xxxv, 7. — [2] Rom. xi, 33. — [3] 1 Cor. ii, 9.

Verbum æternum, quod et Deus in Evangelio prædicatur, per quod facta sunt omnia [1]. Et filii Dei dicuntur multi in Scriptura secundum illud : « Filios genui et exaltavi [2]. » Et rursus, « Filius meus primogenitus Israël [3]. » Attamen adoptione atque charactere quodam a vero Deo adoptati, filii adoptivi non sunt veri. Nam a natura et veritate res proficiscuntur. Quod si is, qui natura essentialiter ex ipso genitus est, filius non est secundum istorum reprobationem, qui dissimilem substantiam dicunt, ubi qui adoptione filii sunt invenientur? Sed ea, quæ humano more dicuntur, imperitissimi illi impie Deitati ascribunt; dumque Scripturas quæ multis variisque modis exponuntur, sensu unico accipiunt, labuntur, quod duci se recte non sinant. « Rectæ » namque sunt viæ Domini, et Justi in eis ambulabunt : » impii vero in viis planis offendunt [4]. » Et quod mirum est, ex quibus utilitatem capiunt qui fide sani sunt, ea iis nocent, qui, ut dixit Apostolus, circa quæstiones inutilesque disputationum pugnas infirmantur [5]. Malam autem ac curiosam de Deo quæstionem morbum animæ esse nemini non perspectum est, et maxime si id fiat animo incredulo. Etenim si Deo ipsi sanctissimo, cum ea, quæ ad se spectant, narrat, non credunt; quomodo ipsius Prophetas aut Apostolos auscultabunt, cum in divinis Scripturis de ipso, deque hominibus in eo spem posituris loquuntur? « Nam » qui ad Deum accedit, hunc credere oportet Deum esse [6]. » Credere, inquit, non incredula curiositate indagare quod est, ne dicam quod non est. Quod enim est, erat, et est, et erit semper; atque largitur omnibus ut sint, tanquam qui natura sit Deus. Cur igitur incredulus es, o homo? Non credis quod proprium habeat Filium Deus, et quæris quomodo genuerit Deus? Quod si insuper de Deo inter-

[1] Joan. I, 3. — [2] Esaï. I, 2. — [3] Exod. IV, 22. — [4] Osee. XIV, 10. — [5] I Tim. VI, 4. — [6] Hebr. XI, 6.

roges « Quomodo, » plane ubi quoque tanquam in loco, et quando tanquam in tempore simul interrogaveris : sed si absurdum est de Deo aliquid tale inquirere, absurdius utique fuerit non credere. Necdum forte te in incredulitate versari pudet. Quæris enim non ut fidem, sed ut infidelitatem invenias. Hoc verum est secundum id quod scriptum est : « In malignam animam non introibit sapientia [1]. Credidit autem Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, ac Dei amicus appellatus est [2]. » Amicus Dei beatus Abraham et dictus est, et est. Amicus propter fidem : amicus, quod obedivit Deo ; tu vero inimicus, quod incredulus ac inobsequens es Deo. Credidit autem Abraham Deo, credidit ut ipse, nec incredulus fuit ut vos. Propterea ipse amicus, vos vero ideo inimici (« Inimici Domini mentiti sunt ei [3], » ut scriptum est), quod eum qui natura Filius Dei est, adoptione atque gratia filium factum fuisse dicunt, et creatorem creaturam, et factorem facturam, et eum, qui semper est in Patre, aliquando non fuisse, et Filium, qui est ex Deo qui est, factum ex nihilo fuisse affirmantes. Non solum autem adversus Deum ac Filium mentiuntur, Deo repugnantes et Christo, sed etiam adversus Spiritum pugnare non intermittunt : quippe Dei Spiritum Dominum vocare nolunt, cervice dura et incircumciso corde Scripturis divinis adversantes. Cur autem adversaris bonæ huic fidei, et salvanti confessioni : Deus, Verbum, Spiritus : Pater, Filius, et Spiritus? Non alienus est Filius, neque alienus Spiritus a Deo et Filio : non locis divisi, non sæculi circumscripti, non intervallis dimensi. Non defuit unquam Filius Patri, nec Filio Spiritus : sed immutabilis et inalterabilis est eadem Trinitas semper. Non Pater est Filius, sed Pater Filii genitor : ut mens Verbi pater, ut potentia potentis, ut sapiens qui sapientiam genuit, ut

[1] Sap. I, 4. — [2] Jac. II, 23. — [3] Psal. LXXX, 16.

hypostasis proprium charactera. Filius autem semper est Filius, ut forma Dei semper existens, ut naturalis Dei imago Filius.

III. Sed et Spiritus imago dictus est Filii, et digitus Dei, et Dei Spiritus, et Verbum et Spiritus oris, et Spiritus bonus, et rectus, et principalis, et Spiritus potentiæ, et Dominus et Deus dictus est Dei Spiritus, sicut et Verbum. Nam si una cum Deo et Verbo Virtutes cœlorum firmat Spiritus [1], quomodo alienus? quem qui acceperunt, templum sunt Dei [2] : qui et Spiritus oris Dei appellatur, et causa ostenditur esse creationis cum Verbo : « Qui operatur omnia sicut Deus, prout vult [3], » uti ait Apostolus : adoptionis Spiritus, libertatis causa : « Qui ubi vult spirat [4] » divinitatem : quem et Spiritum veritatis Dominus universorum palam nominat [5] : qui e cœlo in ipsum in columbæ specie descendit : qui sanctificat dominicam carnem cum potestate : qui orbem terrarum replet : qui omnibus adest ut Deus, et cum Deo semper est inseparabiliter : qui cognoscit quæ Dei sunt omnia, perinde ut spiritus, qui in nobis est, nostra : spiritum humanum qui in nobis est, dico. Sic enim ait : « Et quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei [6]. » Et rursus Salvator dicit : « Nemo scit quis sit Filius, nisi » Pater, nec Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius, et cui » voluerit Filius revelare [7]. » Hoc illi simile : et illud idem valet quod hoc. « Nobis enim, inquit, revelavit Deus per » Spiritum suum [8]. Vide igitur quemadmodum aliquando quidem Pater Filium, aliquando vero Filius Patrem revelet, aliquando autem Spiritus Filium et Patrem similiter. Quare tota Deitas tibi manifesta est ; nunc quidem in Patre, nunc vero in Filio et Spiritu fit appellatio. Et tibi quæstionem

[1] Psal. XXXII, 6. — [2] 1 Cor. III, 16. — [3] Id. XII, 11. — [4] Joan. III, 8. — [5] Id. XIV, 17. — [6] 1 Cor. II, 11. — [7] Luc. X, 22. — [8] 1 Cor. II, 10.

propheticam solvit aperte Apostolus, nec sinit ut una persona existimetur Deitas, propter eas voces, quæ id significare putantur. Nam et ipse etiamsi Filii personam ubique clare prædicet tanquam creatricem, tamen ad Patris personam creationem omnem reduxit. Annon ipse est qui dicit : « Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum ; » et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos » per ipsum [1] ? » Et cum similiter hic unum et unum liquido dixerit ; atque per Filium fieri omnia testatus sit, unum esse ad Romanos dixit, et per ipsum omnia fieri addidit, non solum ex ipso. Quare indicata in dualitate dualitas, aut etiam Trinitas in trinitate, perinde in eodem Apostolo atque in Prophetis aperte testificabitur, eos non dualitatem, imo nec Trinitatem tollere, cum unitatem prædicant : sed eos, Deitatis cognita unitate, tres in una persona prædicare.

IV. Et ab initio quidem in mundi creatione Deum ad Filium et Spiritum locutum fuisse constat, quandoquidem illum Moses induxit quasi magis hominum more colloquentem ac dicentem : « Faciamus hominem ad imaginem » et similitudinem nostram [2]. » Ad quem enim dicit : Faciamus, nisi ad Verbum et unigenitum Filium, « Per quem omnia facta sunt [3], secundum Evangelistam, et ad Spiritum, de quo scriptum est, « Spiritus divinus, qui fecit me [4] ? » Quod si non expresse dicit de quibus aut quibuscum loqueretur, tamen eum non de se solo loqui compertum sit, cum dicit : « Ecce Adam factus est ut unus e nobis [5]. » Et rursum : « Venite, descendentes confundamus eorum linguas [6], » ut etiam simul numerari eos intelligas. Neque enim Angelos audebit quisquam in æquali honore cum Creatore et Domino collocare : neque rursus fieri potest ut in Deo una

[1] 1 Cor. VIII, 8. — [2] Gen. I, 26. — [3] Joan. I, 3. — [4] Job. XXXIII, 4. — [5] Gen. III, 22. — [6] Id. XI, 7.

persona intelligatur, cum dicatur : « Ut unus e nobis. » Et, « Venite, descendentes confundamus. » Quinetiam clarum est quod de Sodomorum eversione dicitur : illud videlicet: « Pluit Dominus sulphur et ignem a Domino de cœlo [1]. » Et hoc, quod in Prophetis similiter his e persona Dei dictum est : « Everti eos, inquit, sicut Deus evertit Sodomam et Gomorrham [2]. » Et alibi clementius dicit Deus : « Salvabo eos in Domino Deo suo [3]; » id quod ab apostolica dictione haud dissentit, qua dicitur : « Det ei Dominus, ut » inveniat misericordiam in die illo [4]. » Quid vero Zorobabel, et sapientia ipsius ? Num subobscure et non clare tibi videtur hypostasim ac vitam veritatis indicare, cum ait : « Omnis terra veritatem invocat, et cœlum ipsam be- » nedicit, et omnia opera concutiuntur et tremunt [5] ? » Quænam vero est veritas nisi Dei Verbum et Filius, per quem omnia ? « Ego enim, inquit, sum via, et veritas et vita [6]. » Veritas autem non est nisi ex vero, naturaliter et sempiterne ex ipso genita. Propterea infert, dicens : « Benedic- » tus Deus veritatis [7], » qui est pater veritatis Christi. Veritas Christus, quem omnis halitus colit ac tremit. Quare quod vivens sit Verbum, et persona perfecta, similiterque Spiritus, ea quæ modo dicta sunt, abunde docere possunt. Sunt autem humanæ formæ apud Deum multæ, et aliæ : nec propterea Deum hominem esse existimamus, exempli causa, si faciem audimus, oculosque et aures, et manus, et pedes. Neque de Deo dicere vult, quod in cœlo velut in sede sedeat, neque quod terra ceu pedum ipsius scabellum modo corporeo calcetur [8], sed quod divinæ potestati subjecta sit. Sic rursus, si uterum de Deo audieris, ne conturberis tanquam corporeum quid cogitans : sed spirituale

[1] Gen. XIX, 24. — [2] Amos. IV, 11. — [3] Osee. I, 7. — [4] 2 Tim. I, 18. — [5] 3 Esdr. IV, 36. — [6] Joan. XIV, 6. — [7] 3 Esdr. IV, 41. — [8] Esaï. LXVI, 1.

quiddam intelligens, aliquid melius dicturus es, nimirum ipsam vim Dei generativam tibi ex ipso palam revelatam esse. Sic iterum cum manus audis Dei, eam quam habet vim faciendi aperte cognosce : aurem vero, eam qua præditus est audiendi facultatem : oculos, vim videndi : alas, protegendi potestatem. Atque alia omnia singulatim servant pariter propriam ac rectissimam de Deo intelligentiam, maxime apud eos, qui recte credunt. Nomina igitur in usu sunt hominibus ad cognitionem ac distinctionem substantiarum, aut etiam rerum, ac eorum quæ circa substantias excogitantur. Itaque venter in Deo ne te rei novitate stupefaciat, cum nec manus nec alia quæ superius relata sunt, te perterreant. Proinde neque generatio in Deo attonitum te reddat, neque eorum qui audiunt quemquam.

V. Quod si quis timet ne sit in Deo generante affectio, potest et creantis timere motum, et laborem, et materiæ assumptionem, et usum instrumentorum. Hæc enim adsunt operantibus hominibus : si vero isthæc Deo non adsunt, neque adest affectio in generando. Fieri enim non potest, ut natura affectionis expers in affectionem incidat. Cur igitur timet quis timorem, ubi timor non est ? Deus neque cum ex se natura generat, affectioni obnoxius est, absit : neque laborat, cum aut aliquid, aut rerum universitatem e nihilo creat. Absit, neque dicatur. Quod si unum refugis, etiam totum; si totum similiter, etiam unum. Si unum humano more, etiam totum : sin autem totum non humano more, ne unum quidem. Etenim si Deus ea quæ e nihilo creantur, facit voluntate, totum sine labore efficit ; idque apud nos non est incredibile. Credibilius autem videbitur omnibus Deum ex se ipso natura divina, modoque Deum decente, genuisse genuinum Filium, honore æqualem, æqualem gloria, throni ejusdem consortem, consilia-

rium, cooperatorem, consubstantialem Patri et Deo, non diversæ substantiæ, neque alienum ab ejus sola Deitate. Sin minus, ne adorandus quidem est. Neque enim, ut scriptum est, « Deum alienum adorabis [1] : » neque recentem quemquam Deum suscipere jubemur. Ne dicas igitur additum esse Numen, neque silentium de Filio fuisse apud antiquos, nobis vero revelatum esse, si modo confiteare Verbum rerum opificem Filium. Nam Verbum noverant patres, Dei Verbum adorabant, et cum Verbo Spiritum. Neque separes eum ab eo qui dicit : « Ego Deus solus, » et non est præter me [2] ; » ut ne convitium in Filium quasi Deus non esset, cogaris dicere : neque disjungas ipsum ab eo qui dicit : « Ego extendi cœlum solus [3], » ut ne etiam Filium creatorem dicere desinas. Etenim cœlum qui extendit, a solius Dei gloria separatus non est. Quare in Filio Patrem agnosce : in Patre Filium glorifica. Cave dividas quæ dividi non possunt. Cave scindas quæ non scinduntur. Nam etiamsi velis, non scinduntur. Quanquam secantur hæretici, non secatur Trinitas : sed est quod est, etiamsi aliis non videatur. Spira enim est sancta Trinitas, atque colenda est in una et æterna gloria, eamdem et unam solam Deitatem ubique circumferens, infracta, insecabilis, individua, adimplens omnia, omnia continens, in omnibus existens, creans, gubernans, sanctificans, et vivificans. Divinus ille et maxime admirandus nexus non rumpitur, juxta id quod scriptum est : « Funiculus triplex non disrumpetur [4]. » Quin et beatus Paulus cum in hanc sententiam ad eos, qui recte credebant, scriberet, dicit : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et » charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus cum om- » nibus vobis [5]. » Cum enim fiant omnia a Deo per Jesum

[1] Exod. XX, 3. — [2] Deut. XXXII, 39. — [3] Job. IX, 8. — [4] Eccl. IV, 12. — [5] 2 Cor. XIII, 13.

Christum in Spiritu, inseparabilem video Patris et Filii et sancti Spiritus operationem. Et propterea templa Dei et Filii et sancti Spiritus sunt omnes Sancti, in quibus inhabitat una Deitas, et una dominatio, et una sanctitas Patris et Filii et Spiritus sancti, propter unam baptismatis sanctificationem.

CAPUT XVI.

Adversus eos, qui dicunt scriptum esse de Filio et Patre sæpe, de Spiritu vero in baptismate duntaxat.

I. Quod si Pater dicit : « In ultimis diebus effundam de » Spiritu meo super omnem carnem [1], » quid de Filio sumus dicturi ? Hic enim de eo scriptum non est. Si vero Propheta dicit : « Ibi convenerunt cervæ, et viderunt facies » altera alterius : transierunt numero, et una earum relicta » non est, quoniam Dominus præcepit ipsis, et Spiritus » ejus congregavit eas [2]. » Ubi Filius ? Si itidem dicit : « Spiritus exibit a me, et flatum omnem ego feci [3]. » Ubi Filius ? Si vero David dicit : « Et Spiritum tuum sanctum » ne auferas a me [4]. » Ubi Filius ? Item si ille ipse dicit : » Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum in- » nova in visceribus meis [5]. » Ubi Filius ? Rursus si idem dicat : « Et Spiritus tuus bonus deducet me in terra recta [6]. » Ubi Filius ? Si idem dicit : « Et Spiritu principali confirma » me [7]. » Ubi Filius ? Quod si Job dicit : « Spiritus divinus » qui me fecit [8]. » Ubi Filius ? Si rursus idem Job dicit : « Spi- » ritus est in hominibus, flatus autem Omnipotentis est qui » me docet [9]. » Ubi Filius ? Quod si David dicit : « Emittes

[1] Joël. II, 28. — [2] Esaï. XXXIV, 15. — [3] Id. LVII, 16. — [4] Psal. L, 13. — [5] Ibid. 12. — [6] Id. CXLII, 10. — [7] Id. L, 14. — [8] Job. XXXIII, 4. — [9] Id. XXXII, 8.

» Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ [1]. » Ubi Filius? Item si dicit : « Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a » facie tua fugiam [2]? » Ubi Filius? Quod si dicit : « Væ filii » desertores ; hæc dicit Dominus : Fecistis consilium non » per me, et pactiones non per Spiritum meum [3]. » Ubi Filius? Rursus si dicit : « Et egredietur virga de radice Jesse » et flos de radice ascendet, et requiescet super eum Spi- » ritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudi- » nis, Spiritus cognitionis et pietatis, et replebit ipsum Spi- » ritus timoris Dei [4] : » quomodo separabo Spiritum? Si itidem dicit : « Spiritus Domini super me, propter quod » unxit me. Misit me ut pauperibus evangelizarem : ut præ- » dicarem captivis remissionem, et cæcis visum [5] : » quomodo separabo Spiritum? Et quæcumque licet cum studio ac labore invenire tum e Veteri Scriptura, tum e Novo Testamento, de Spiritu et Filio et Patre. « Ave gratia plena, » Dominus tecum. Ecce enim concipies in utero, et paries » filium [6]. » Et cum Maria diceret : « Quomodo cognoscam » istud, quandoquidem virum non cognosco? » dicit ei Angelus : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altis- » simi obumbrabit tibi [7]. » Et rursus idem Angelus ad Joseph dicit : « Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam. Nam » quod in ea conceptum est, a Spiritu sancto est [8]. » Et rursus Prophetæ verba exponens Evangelista ait : « Ut adim- » pleretur quod scriptum est : Ecce Filius meus electus, di- » lectus meus, in quo bene complacitum est animæ meæ. » Ponam Spiritum meum super ipsum [9]. » Atque in Evangelio scriptum est : « Spiritus ubi vult, spirat, et vocem » ejus audis : sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic » est omnis qui natus est e Spiritu [10]. » Et similiter in Evan-

[1] Psal. CIII, 30. — [2] Id. CXXXVIII, 7. — [3] Esaï. XXX, 1. — [4] Id. XI, 1-3. — [5] Id. LXI, 1. — [6] Luc. I, 28 et 31. — [7] Ibid. 34, 35. — [8] Matth. I, 20. — [9] Id. XII, 17, 18. — [10] Joan. III, 8.

gelio : « Si vero ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur » pervenit in vos regnum Dei [1]. Et rursus scriptum est : « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : » at Spiritus blasphemia non habet remissionem [2]. » Et in baptismo descendit Spiritus sanctus, et mansit super eum [3] : « Angeli vero descendentes ministrabant ei [4]. » Quo cognoscas Angelos quidem descendentes ministrare, servitutem ut ostendant : Spiritum vero super ipsum mansisse, ut, mansione audita, naturæ ejus libertatem intelligas. Scriptum autem est : « Et Pater in me manens ipse facit » opera [5]. » Et rursus scriptum est : « Jesus autem plenus » Spiritu sancto reversus est a Jordane, et actus est per » spiritum in desertum, diebus quadraginta tentatus a dia- » bolo [6]. » Et iterum : « Accipite Spiritum sanctum : quo- » rumcumque remiseritis peccata, remittuntur : quorumcumque retinueritis, retenta sunt [7]. » Et rursus : « Veritatem » vobis dico, expedit vobis ut ego vadam. Etenim si ego » non abiero, Paracletus non veniet ad vos, Spiritus verita- » tis, qui a Patre procedit [8]. »

II. Quod si dicant : « Non loquitur a seipso Spiritus : sed » quæcumque audierit loquetur [9] : » ipsis dicimus : « Neque Filius a seipso loquitur ; « Sed qui me misit Pater, inquit, » ille mihi dixit quid dicam et quid loquar [10] : » Omnia enim quæcumque Spiritus et Filius loquuntur, Dei sunt oracula. Et eam ob causam « Omnis Scriptura divinitus inspirata, » etiam utilis est [11], » quippe quam locutus sit Spiritus. Hoc namque vere ostendit Spiritum non esse creaturam : quoniam rationalis omnis creatura modo a seipsa loquitur, modo ea quæ Dei sunt, ut cum dicit Paulus : « De virgi-

[1] Matth. xII, 28. — [2] Ibid. 31. — [3] Marc. I, 10. — [4] Matth. IV, 11. — [5] Joan. XIV, 10. — [6] Luc. IV, 1, 2 et Matth. IV, 5. — [7] Joan. XX, 22, 23. — [8] Id. XVI, 7. — [9] Ibid. 13. — [10] Id. XII, 49. — [11] 2 Tim. III, 16.

» nibus autem præceptum Domini non habeo; consilium » tamen do tanquam misericordiam consecutus a Domi» no [1]. At iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, » sed Dominus [2]. » Et Propheta : « O Domine, nihilominus » judicia loquar ad te, quid est quod impii prospere agunt [3] ? » Et rursus : « Heu me mater, qualem me peperisti [4] ? » Nonnunquam autem ait : « Hæc dicit Dominus [5]. » Et aliquando Moses : « Gracili voce et tarda lingua ego sum [6]. » Aliquando vero is ipse : « Hæc dicit Dominus : Emitte po» pulum meum, ut mihi serviat [7]. » Spiritus autem non sic. Non enim modo sua, modo quæ Dei sunt loquitur; id namque pertinet ad creaturam. Verum omnia Spiritus verba, Dei oracula sunt : similiter et Filii dicta. Quapropter ne Filius quidem a seipso loquitur. « Qui enim misit me » Pater, inquit, ille mihi dixit quid dicam et quid loquar, » non quod disceret : hoc enim imperfecti erat et nescientis : sed quod quæcumque Pater loquitur, per Filium in Spiritu loquatur. Et rursus scriptum est : « Nemo novit quæ ho» minis sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est : sic etiam » quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei [8]. » Et iterum : « Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [9]. » Quod si dicant eum, qui scrutatur, nequaquam nosse, ob idque scrutari, dicemus Deum quoque scrutari hominum corda [10]. Et per Prophetas dicit : « Scrutabor Jerusalem » cum lucerna [11]. » Et iterum scriptum est : « Nescitis quod » corpora vestra templum sunt habitantis in vobis Spiritus » sancti, quem habetis a Deo [12]? » Et rursum : « Nescitis » quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis [13]? » Et rursus : « Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu,

[1] 1 Cor. VII, 25. — [2] Ibid. 10. — [3] Jer. XII, 1. — [4] Id. XV, 10. — [5] Id. XXX, 2. — [6] Exod. IV, 10. — [7] Id. V, 1. — [8] 1 Cor. II, 11. — [9] Ibid. 10. — [10] Jer. XVII, 10. — [11] Soph. I, 12. — [12] 1 Cor. VI, 19. — [13] Id. III, 16.

» siquidem Spiritus Dei habitat in vobis [1]. » Et rursus scriptum est : « Et hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed » sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini » Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri [2]. » Et rursus : « Non » enim audebo quidquam loqui eorum, quæ non effecit » Christus per me verbo et facto, in obedientiam gentium, » in potentia signorum ac prodigiorum, in potentia Spiritus » sancti [3]. » Et in principio Epistolarum sanctus Paulus meminit Patris et Filii et Spiritus sancti, sic scribens : « Paulus » servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evan- » gelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos » in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine » David secundum carnem : qui constitutus est Filius Dei » in potentia secundum Spiritum sanctificationis [4]. » Et rursus : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas » Dei, et communicatio sancti Spiritus [5]. » Et iterum : « Divisiones autem donorum sunt, idem vero Spiritus : et » divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus : et » divisiones operationum sunt, idem autem Deus, efficiens » omnia in omnibus [6]. » Et Job : « Vivit Dominus qui me » sic judicavit, et Omnipotens, qui affecit amaritudine ani- » mam meam : Spiritus vero divinus, qui mihi in naribus » superest [7]. » Et David : « Emitte lucem tuam et verita- » tem tuam [8], » lucem dicens Spiritum, et veritatem Filium. Et alibi : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et » salutare tuum da nobis [9]. »

[1] Rom. VIII, 9. — [2] 1 Cor. VI, 11. — [3] Rom. XV, 18, 19. — [4] Id. I, 1-4. — [5] 2 Cor. XIII, 13. — [6] 1 Cor. XII, 4-6. — [7] Job. XXVII, 2, 3. — [8] Psal. XLII, 3. — [9] Id. LXXXIV, 8.

CAPUT XVII.

De Spiritu.

I. Anima omnis, quæ de divinioribus quærit, lætitia afficiatur, si talem habeat oculum, qui possit ea, quæ sensu invisibilia sunt, quærere et videre, atque si ita quærens, apud ipsum quæsitum prout scriptum est, queat habitare. Scriptum est enim : « Si quæris, quære, et apud me habita [1]. » Tunc autem habitat, quando cum fide quærit. Nam etiamsi contigerit ut non inveniat, non tamen in fide quæsiti habitare desinit, sed dicit secundum beatum Davidem : « Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est ; non potero ad eam [2]. » Et secundum patrem lunatici : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam [3]. » Cum igitur id habeamus propositi, de natura Spiritus sancti cum fide quæramus, ab eo postulantes ejus, quem quærimus, cognitionem. Ipse namque est qui quæritur, et ipse est, qui sui ipsius impertit cognitionem. Quemadmodum autem et per divinas Scripturas ab eo didicimus ; ipse est qui Sanctos sanctos effecit, divinamque vitam iis, qui ab ipso Deum petunt, largitur. Necesse est autem eum iis, qui accipiunt, esse præstantiorem, cum hi sancti fiant, ubi ipse advenerit, et pereant, ubi eos ipse dereliquerit. Jam vero ipse est semper, cum vitæ æternæ fons sit. Quis autem sit ille largitionis modus, quo tum in omnibus tum in singulis est, consideret mens, digna effecta quæ consideret, atque ab errore hæresique et a mulieribus alias præstigiis suis seducentibus libera facta. Accedat autem tranquillo statu. Nec solum corpus ejus circumjacens, et æstus cor-

[1] Esaï. xxi, 12. — [2] Psal. cxxxviii, 6. — [3] Marc. ix, 23.

poris tranquilla sint : sed etiam quidquid ambit et circumplectitur, cœlum videlicet, terra, mare, et quæ in iis sunt rationalia. Et intelligat adimpleri omnia, Spiritumque undelibet super ipsa stare, ceu illapsum, et infusum, et undelibet ingredientem atque illucescentem. « Nam orbem » terrarum Spiritus Domini replevit, et hoc, quod continet » omnia, scientiam habet Dei[1]. » Illucet autem in omnibus, qui digni sunt. Ut enim radii solis faciunt ut nubes illustretur, splendeatque, aurei coloris ei inducta specie : ita quoque Spiritus sanctus in cor hominis adveniens, dedit vitam, dedit immortalitatem, dedit sanctimoniam, erexit jacentem. Id autem, motu sempiterno motum a Spiritu sancto, sanctum animal factum est. Homo enim, cum prius terra esset et cinis, tunc inhabitante Spiritu, Prophetæ, Apostoli, Angeli Dei dignitatem habuit.

II. Verum quæ sit virtus ac natura Spiritus manifestius ac clarius patebit, si nobiscum reputabimus quemadmodum Sanctos ac rationalem omnem naturam contineat, ac sua ipsius voluntate ductitet. Etenim multitudini cœlestium Virtutum omni, multitudinique Justorum se ipse dedit. Quin et substantia omnis Justorum, tum magnorum, tum parvorum, tum Angelorum, tum Archangelorum, sanctificata est. Ac quidem alia et alia jacentium corporum substantia, cum aliud hic, aliud illic jaceat : item alia et alia est reliquarum Virtutum substantia, cum medii aliquid habeant, quo a se invicem disjungantur. Non sic Spiritus, neque ulla ipsius pars singulis dispertita efficit ut divinitus vivant : sed tota illius virtute vivunt universa. Atque adest ubique, emittenti ipsum Deo assimilatus, cum secundum modum quo est, tum secundum modum quo ubique et in omnibus similiter est. Et Gabriel dum Mariæ nuntium faustum deferret, atque alius alibi cuipiam Sanctorum, et

[1] Sap. 1, 7.

quilibet Prophetarum cum vaticinaretur, et Paulus cum Romæ Evangelium prædicaret, et Jacobus in Jerusalem, et Marcus Alexandriæ, et alius alia in civitate, adimplebantur Spiritu : quippe intervallum nullum prohibebat quominus tempore eodem eadem gratia fieret. Per hunc etiam quilibet Sanctorum Deus est. Dictum est enim a Deo ad ipsos : « Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes[1]. » Et, « Deus deorum, » Sanctorum scilicet, « Dominus locutus » est[2]. » Et, » Videbitur in Sion Deus deorum[3], » Sanctorum videlicet. Necesse est autem eum, qui diis causa est ut dii sint, Spiritum divinum esse, et ex Deo esse. Ut enim quod cremantibus causa est cur crement, id cremans esse necesse est ; et quod Sanctis causa est cur sancti sint, id necessario sanctum est : ita et eum, qui diis causa est ut dii sint, Deum esse necesse est. Sic sane cum tale bonum et divina possessio Spiritus sit, jam illi credens, Christum qui hunc præbet, quærere ne timeas. « Nemo enim potest di» cere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto[4]. » Et quam vitam indit Spiritus in alterius subsistentiam, ea ab ipso non separatur. Sed quemadmodum ignis est caliditas partim illa, quæ in eo est, partim illa, quam aquæ aut alteri rei ejusmodi impertit : sic ita quoque ipse, et in semetipso vitam habet, et qui ipsius fiunt participes, ii, ut deos decet, vivunt, vitam divinam ac cœlestem comparantes. Nam immortalia omnia in seipso continet, mentem omnem, Angelum omnem, animam omnem : et cum bene se habeat, non quærit mutationem, neque migrationem, cum in seipso habeat omnia. Sed nec augeri quærit, cum sit perfectissimus. Quapropter et apud ipsum omnia sunt perfecta, charitas, gaudium, pax, lenitas, bonitas, sapientia, intelligentia, consilium, tutela, pietas, cognitio, sanc-

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Id. XLIX, 1. — [3] Id. LXXXIII, 8. — [4] 1 Co XII, 3.

tificatio, redemptio, fides, operationes potentiarum, sanationum dona, et quæcumque his similia. Nihil in se habet adventitii : sed habet omnia sempiterne, tanquam Dei Spiritus, et ab ipso emergens, causam ipsum habens sicut fontem sui, et inde manans. Fons autem et ipse eorum, quæ ante retulimus, bonorum. Atqui quod ex Deo manat, id subsistit : quæ vero ex eo manant, ipsius sunt operationes. Hunc Spiritum sanctum copiose effudit in nos Deus per Jesum Christum : effudit, non creavit : largitus est, non fecit : dedit, non condidit. Eadem synonymis dictionibus dico, quod undique firmum te esse oporteat. Qui a Spiritu didicit quid dicturus sit in percontantium responsione, is Dei discipulus nominatur a Propheta, qui dixit : « Et erunt omnes discipuli Dei[1]. » Copiosus igitur est divinus ille Spiritus in anima rationis compote, nisi sua negligentia velit ut ab ipsa discedat. Cum autem ei appropinquaverit, et quasi unum facta fuerit, illud audit : « Qui » vero Domino adhæret, unus Spiritus est[2]. » Ipsi gloria. Amen.

[1] Esaï. LIV, 13. — [2] 1 Cor. VI, 17.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

LIBER DE SPIRITU SANCTO,

AD S. AMPHILOCHIUM ICONII EPISCOPUM.

CAPUT I.

Prooemium in quo ostenditur necessarias esse de minutissimis theologiæ partibus perscrutationes.

I. Collaudavi in moribus tuis discendi et laborandi studium[1]; ac supra modum delectatus sum attentione, atque vigilantia elucente in tua illa sententia, qua vocem nullam ex iis, quæ in omni sermonis usu de Deo proferuntur, citra examen relinquendam putas, o caput charum, mihique maxime omnium pretiosum, frater Amphilochi. Postquam enim recte audivisti hanc Domini admonitionem, « Quis» quis petit, accipit, et qui quærit, invenit[2], » petendi diligentia, vel desidiosissimum mihi videris ad impartiendum excitare posse. Quin et illud in te majorem in modum admiror, quod non tentandi gratia, ut nunc plerique, quæstiones proponis, sed ut quid sit verum investiges. Nam qui curiosis auribus nostra verba captent, quique quæstio-

[1] Vide D. Guillon, tom. VII, p. 422-426. — [2] Luc. XI, 10.

nes nobis objiciant, horum hoc tempore magna est copia. At in animum discendi avidum, quique ad ignorationis medelam verum inquirat, difficillimum est incidere. Etenim ut venatorum laqueus et hostium insidiæ, ita fraudem occultam et arte instructam habent multorum interrogationes, qui proferunt in medium quæstiones, non ut ex his aliquid capiant utilitatis, sed ut si minus accommodatas suæ cupiditati responsiones inveniant, hanc belli causam habere justam videantur.

II. « Quod si stulto interroganti sapientia imputabitur[1]: » Auscultatorem prudentem, quem Propheta cum Admirabili consiliario copulavit[2], quanti æstimabimus? Æquum est profecto ut eum approbatione omni complectamur, ac longius provehamus, manum illius studio simul admoventes, et in omnibus cum eo ad perfectionem contendente laborantes. Nam haud perfunctorie voces theologicas audire, sed conari, quid in quaque dictione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui vocationis nostræ scopum intelligunt : quandoquidem nobis propositum est, ut similes efficiamur Deo, quatenus humanæ naturæ fas est. Porro similitudo non est absque cognitione : cognitio vero sine documentis non paratur. Doctrinæ autem initium est oratio, orationis partes syllabæ ac dictiones. Proinde syllabas excutere, non est aberrare a scopo. Nec vero quoniam minutæ, ut alicui forte videbuntur, quæstiones, idcirco et negligendæ sunt : imo quoniam difficilis est inventu veritas, undique nobis est vestiganda. Etenim si ut artes, ita et pietatis acquisitio paulatim minutis accessionibus augescit ; nihil est contemnendum iis, qui ad cognitionem instituuntur : quemadmodum si quis prima elementa ut minuta contemnat, nunquam perfectorum sapientiam assequetur.

[1] Prov. xvii, 28. — [2] Esaï. iii, 3.

Næ et Non, syllabæ duæ sunt : attamen bonorum optimum veritas, et extremus pravitatis terminus mendacium, frequenter his minutis verbis comprehenduntur. Sed quid hæc commemoro, cum jam si quis vel capite annuat, tum cum martyrio pro Christo perfungendum est, totam pietatem explevisse judicetur? Quod si hæc ad hunc habent modum, quid esse possit in his verbis, quæ de Deo dicuntur, adeo pusillum, ut vel recte vel secus dictum, non magnum habeat momentum in utramque partem? « Nam si » ex lege nec unum iota nec apex unus præteribit [1], » quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transilire? At quæ tute a nobis enucleari postulasti, eadem exigua sunt et magna : prolationis quidem compendio exigua, atque ob id fortasse contemptui obnoxia, sed rerum significatarum vi magna : ad similitudinem sinapis, quod cum sit minutissimum inter arida semina, si cura debita adhibeatur, in altitudinem satis magnam exurgit, ubi vis in eo latens sese explicuerit. Quod si quis ridet, nostram videns circa syllabas, ut Psalmi verbis utar, fabulationem [2], ipse quidem futurum sciat, ut infrugiferum sui risus fructum metat : nos vero haudquaquam cedentes hominum conviciis, nec illorum vituperatione victi studium investigandi deseramus. Tantum enim abest, ut me harum rerum tanquam minutarum pudeat; ut si vel minimam dignitatis earum partem attingam, tum mihi gratulaturus sim, ut magna quædam assecuto, tum fratri nobiscum hæc perscrutanti, non mediocre lucrum hinc dicturus obvenisse. Itaque cum in minimis verbis conspiciam certamen maximum, spe præmii non detrecto laborem : ratus sermonem tum mihi fore utilem, tum audientibus satis magnum fructum allaturum. Quapropter cum ipso jam (dicendum enim est) sancto Spiritu ad explanationem accedam. Et si vis ut me

[1] Matth. v, 18. — [2] Psal. cxviii, 85.

in disputationis viam inducam, ad hujus quæstionis originem paulisper divertam.

III. Nuper precanti mihi cum populo, et utroque modo glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum cum Filio una cum sancto Spiritu, interdum per Filium in sancto Spiritu; quidam ex iis, qui aderant, crimen intenderunt, dicentes nos non modo peregrinis ac novis uti vocibus, verum etiam inter se pugnantibus. Tu porro maxime illorum utilitati consulens, aut si prorsus ipsi insanabiles sint, tamen propter eorum, qui in ejusmodi homines incidunt, securitatem, postulasti quampiam dilucidam doctrinam de vi harum syllabarum evulgari. Jam igitur nobis breviter dicendum est, quantum orationi ratum quoddam et exploratum principium ponentibus fieri potest.

CAPUT II.

Unde sit orta hæreticorum de syllabis observatio.

I. Exilis illa istorum hominum de syllabis ac dictionibus observatio, non simplex est, quemadmodum alicui videri possit, neque ad mediocre malum tendit, sed profundum habet atque obtectum adversus pietatem consilium. Contendunt enim ostendere dissimilem esse prolationem Patris, et Filii, et Spiritus sancti, tanquam inde facilem habituri ipsius etiam secundum naturam dissimilitudinis probationem. Habent enim isti vetus quoddam commentum ab Aëtio hujus hæreseos principe inventum, qui in epistolis suis alicubi scripsit ea, quæ secundum naturam

dissimilia sunt, dissimiliter proferri : ac vice versa, quæ dissimiliter proferuntur, esse dissimilia secundum naturam. Atque ad hujus dicti confirmationem traxit Apostolum dicentem : « Unus Deus et Pater, ex quo omnia, et » unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia [1]. » Quemadmodum igitur voces se habent inter sese : ita, inquit, se habebunt et naturæ, quæ per ipsas significantur ; sed inter se discrepant « Per quem » et « Ex quo : » dissimilis igitur Patri Filius. Ex hoc itaque morbo et istorum circa præpositiones nugacitas dependet. Unde Deo quidem et Patri tanquam eximiam quamdam portionem attribuunt illud, « Ex quo : » Filio vero et Deo assignarunt illud, « Per » quem : » Spiritui autem sancto, illud, « In quo ; » negantque hunc syllabarum usum usquam inverti, ut, quemadmodum dixi, ex discrepantia prolationis simul appareat et naturæ discrepantia. Atqui non obscurum est eos, dum de syllabis subtiliter nugantur, impiæ doctrinæ vim ac robur astruere. Siquidem his syllabis, « Ex quo, » conditorem volunt significari : rursus his, « Per quem, » ministrum aut instrumentum : his denique, « In quo, » tempus aut locum declarari : ut is, qui condidit universa, intelligatur nihilo honorabilior instrumento : Spiritus autem sanctus nihilo plus, quam locus aut tempus, ad res condendas attulisse videatur.

[1] I Cor. VIII, 6.

CAPUT III.

E mundana philosophia natam esse de syllabis sophisticam disputationem.

I. Induxit porro ipsos in hunc errorem externorum quoque scriptorum observatio, qui voces, « Ex quo, » et « Per quem, » rebus natura separatis attribuerunt. Siquidem illi putant his vocibus, « Ex quo, » significari materiam : his vero, « Per quem, » instrumentum designari, aut prorsus ministerium. Vel potius (quid enim vetat, tota illorum doctrina repetita, paucis arguere, et quam isti homines dicant a vero dissidentia, et quam ipsi non constent sibi) qui inani philosophiæ dederunt operam, dum multifariam exponunt causæ naturam, eamque in propria significata dividunt, alias aiunt esse causas principales, alias cooperantes, aut concausales, alias autem hanc rationem habere, ut sine iis nihil efficiatur. Atque harum cuique peculiarem etiam attribuunt appellationem, ita ut aliter opifex, aliter instrumentum significetur. Nam opifici congruere existimant illud, « A quo ; » aiunt enim proprie dici a fabro factum fuisse scamnum : at instrumento convenire illud, « Per quem ; » dicunt enim, per securim et terebellum et reliqua. Similiter hanc particulam, « Ex quo, » illi faciunt propriam materiæ ; siquidem e materia fit opificium. Porro particulam, « Juxta quod, » putant significare conceptum animo, vel extrinsecus objectum artifici exemplar. Vel enim prius cogitatione sibi depingit id quod facere destinat, et sic quod animo concepit, ad opus perducit : vel ad

exemplar jam editum respiciens, ad illius similitudinem operationem dirigit. Hanc autem particulam, « Propter quod, » volunt competere fini : scamnum enim esse factum ad usum hominum. Denique his verbis, « In quo, » tempus aut locum indicari. Quando enim factum est ? in tali tempore. Ubi factum est ? in tali loco. Hæc autem tametsi nihil conferunt ad id quod fit, tamen absque his nihil potest fieri. Operantibus enim et loco et tempore opus est. Has observationes ex inanibus disciplinis ac vana deceptione desumptas cum isti didicerint atque admirati sint, eas etiam ad simplicem et arte omni carentem Spiritus doctrinam transferunt, ut et Deum Verbum diminuant, et Spiritum sanctum rejiciant : qui quidem vocem instrumentis inanimis aut servili ac prorsus humili ministerio a profanis scriptoribus assignatam, loquor de dictione, « Per quem, » ad Dominum universorum non veriti sunt transferre ; nec pudet Christianos serræ aut mallei vocabulum universæ creaturæ Conditori attribuere.

CAPUT IV.

Harum syllabarum usum sine discrimine in Scriptura adhiberi.

Nos porro frequenter his uti vocibus etiam veritatis sermonem confitemur, haud tamen Spiritus libertatem humilibus et abjectis exterorum disciplinis ullo modo servire dicimus : verum habita ratione ejus quod subinde occurrit, enuntiationes congruenter usui convenienterque immutari. Neque enim illud, « Ex quo, » prorsus significat

materiam, quemadmodum illi putant : sed est Scripturæ familiarius hanc vocem ad supremam causam adhibere. Exempli causa in hoc loco, « Unus Deus ex quo omnia[1]. » Ac rursum, « Omnia autem ex Deo [2]. » Utitur tamen veritatis sermo hac ipsa dictione etiam sæpe de materia, veluti cum ait : « Facies arcam e lignis imputrescibilibus [3]. » Et, « Facies candelabrum ex auro puro [4]. » Et, « Primus » homo e terra terrenus [5]. » Et, « E luto compositus es tu » æque atque ego [6]. » At isti, ut naturæ, quemadmodum diximus, diversitatem constituant, definierunt hanc vocem soli Patri congruere. Ac principia quidem observationis acceperunt ab externis scriptoribus, non tamen his in omnibus accurate inserviunt : sed Filio quidem secundum præscriptionem illorum, instrumenti vocabulum imposuerunt, Spiritui vero sancto, loci. Aiunt enim, « In Spiritu : » et aiunt, « Per Filium. » At Deo vocem, « Ex quo, » attribuerunt, non amplius hic alienos sequentes, sed ad apostolicos, ut ipsi dicunt, usus transeunt ; secundum quod dictum est, « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu [7]. » Et, « Omnia autem ex Deo. » Quid igitur est, quod ex hac argutia conficitur? Alia natura causæ, alia instrumenti, alia loci : alienus ergo secundum naturam Filius a Patre, siquidem et instrumentum ab opifice : alienus etiam et Spiritus sanctus, quandoquidem separatur locus aut tempus ab instrumentorum aut eorum, qui instrumentis utuntur, natura.

[1] 1 Cor. VIII, 6. — [2] Id. XI, 12. — [3] Gen. I, 14. — [4] Exod. XXV, 31. — [5] 1 Cor. XV, 47. — [6] Job. XXXIII, 6. — [7] 1 Cor. I, 30.

CAPUT V.

Et de Patre dici Per quem, *et de Filio* Ex quo, *et de Spiritu sancto.*

I. Ad hunc quidem modum se habent, quæ ab istis afferuntur : nos autem demonstrabimus quod proposuimus, nec Patrem sibi sumentem has voces « Ex quo, » ad Filium projecisse has, « Per quem, » neque rursus a Filio, sicut isti præscribunt, non recipi Spiritum sanctum in consortium harum vocum, « Ex quo, » aut « Per quem, » quod tamen nova istorum distributio definit. « Unus Deus et Pater, » ex quo omnia : et unus Dominus Jesus Christus, per quem » omnia [1]. » Non sunt hæ voces legem ferentis, sed hypostases distinguentis. Non enim ut naturæ induceret diversitatem, sed ut inconfusam Patris et Filii notionem exhiberet, ita locutus Apostolus. Nam quod hæ voces inter se contrariæ non sint, neque velut in prælio separatæ adversus hostilem aciem, ad bellum inter se gerendum excitent naturas ad quas accesserint, inde liquet. Collegit ambas in una et eadem persona beatus Apostolus dicens : « Quoniam » ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia [2], » Quod autem hæc ad Dominum referat, quivis fatebitur, qui vel tenuiter inspiciat mentem orationis. Cum enim Apostolus prius ex Esaïæ prophetia posuisset illud : « Quis cognovit sensum » Domini, aut quis consiliarius ejus fuit [3] ? » subjecit : « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipsum sunt om» nia. » Quæ certe de Deo Verbo universorum conditore

[1] 1 Cor. VIII, 6. — [2] Rom. XI, 36. — [3] Esaï. XL, 13.

dicta esse a Propheta, ex iis quæ præcedunt, discas licebit. « Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et » totam terram pugno ? Quis statuit montes in libra, et » colles in statera ? Quis cognovit sensum Domini, aut quis » consiliarius illi fuit [1] ? » Nam hæc dictio, « Quis, » hic non prorsus id quod haberi nequit, significat, sed quod est rarum : velut in hoc, « Quis insurget mihi adversus perverse » agentes [2] ? » et, » Quis est homo qui vult vitam [3] ? » et « Quis » ascendet in montem Domini [4] ? » Similiter et hoc loco dictum, « Quis est qui cognovit sensum Domini, et con» silii illius particeps fuit [5] ? Pater enim diligit Filium, et » omnia ostendit illi [6]. » Hic est qui continet terram, eamque pugno complexus est : qui cuncta digessit in ordinem, eaque ornavit : qui et montes æqualiter libravit, et aquis terminos præscripsit, et omnibus, quæ in mundo sunt, suum designavit ordinem : qui totum cœlum modica totius suæ potestatis particula comprehendit, quam sermo propheticus figurate palmum appellavit. Unde congruenter Apostolus adjecit, « Ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia [7]. » Ex hoc siquidem iis quæ sunt, causa ut sint manat, juxta voluntatem Dei et Patris. Per ipsum perseverant ac consistunt omnia, universorum Conditore unicuique rei creatæ ea etiam, quæ ad sui conservationem necessaria sunt, dimetiente. Quapropter sane etiam universa sese ad illum convertunt, invincibili atque insedabili quodam desiderio, et arcano affectu ad auctorem et largitorem vitæ respicientia, juxta illud quod scriptum est : « Oculi omnium in te » sperant [8]. » Et rursus : « Omnia a te expectant [9]. » Et, « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal bene» dictione [10]. »

[1] Esaï. XL, 12, 13. — [2] Psal. XCIII, 16. — [3] Id. XXXIII, 13. — [4] Id. XXIII, 3. — [5] Esaï. XL, 13. — [6] Joan. V, 20. — [7] Rom. XI, 36. — [8] Psal. CXLIV, 15. — [9] Id. CIII, 27. — [10] Id. CXLIV, 16.

II. Quod si adversus hanc nostram expositionem instabunt, quæ illos ratio liberabit, quominus evidenter in se ipsos incurrant? Etenim si concessuri non sunt de Domino dictas esse has tres voces, « ex ipso,» et « Per ipsum,» et « In ipsum : » omnino necessum est, ut Deo et Patri proprie tribuantur. Atque hinc palam conciderit illorum observatio. Reperitur enim non modo, « Ex quo, » sed etiam, « Per quem, » accommodari ad Patrem. Quæ vox si nihil præ se fert humile, quam tandem ob causam eam velut inferioris dignitatis assignant Filio? Quod si omnino declarat ministerium, respondeant nobis : Deus gloriæ et Pater Christi, cujus principis est minister? Igitur isti quidem ad hunc modum a seipsis undique subvertuntur, nobis autem utrinque quod firmum est servabitur. Etenim sive de Filio evicerit dictum esse quod recitavimus, comperietur hæc particula, « Ex quo, » Filio convenire : sive quis contendat Prophetæ verba ad Deum esse referenda, rursus concedet vocem hanc, « Per quem, » Deo congruere; et utraque vox parem dignitatem obtinebit, eo quod pari ratione de Deo usurpetur. Atque juxta modum utrumque, perspicuum erit has particulas parem inter se habere dignitatem, quod de una eademque persona usurpatæ sint. Sed ad propositum revertamur.

III. Apostolus scribens Ephesiis, ait : « Veritatem autem » loquentes in charitate, crescamus in ipsum per omnia, » qui est caput Christus, ex quo totum corpus dum compin- » gitur et connectitur, per omnem juncturam subministra- » tionis, secundum operationem in mensura uniuscujusque » partis incrementum corporis facit [1]. » Et rursus in Epistola ad Colossenses, ad eos qui non habebant Unigeniti notitiam dictum est : « Qui tenet caput, » hoc est Christum, « ex quo totum corpus per juncturas et connexiones sub-

[1] Ephes. IV, 15, 16.

» ministratum, augescit augmento Dei [1]. » Quod enim Christus caput est Ecclesiæ, alio loco didicimus, Apostolo dicente : « Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ [2]. » Et, « E plenitudine ejus accepimus nos omnes [3]. » Et ipse Dominus : « De meo accipiet, et annuntiabit vobis [4]. » Et in summa, diligenter legenti varii usus videbuntur illius « Ex quo. » Nam et Dominus, « Novi, inquit, virtutem ex » me exiisse [5]. » Similiter autem et de Spiritu compluribus locis observavimus illud, « Ex quo, » positum esse. « Qui » enim, inquit, seminat in Spiritu, e Spiritu metet vitam » æternam [6]. » Item Joannes : « Ex hoc cognoscimus, quod » in nobis est, e Spiritu quem donavit [7]. » Et Angelus : « Quod enim in ea generatum est, e Spiritu sancto est [8]. » Et Dominus ait : « Quod natum est e Spiritu, Spiritus est [9]. » Atque id quidem ad hunc habet modum.

IV. Jam vero demonstrandum est hanc vocem, « Per » quem, » pariter et de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto in Scripturis usurpari. Ac de Filio sane supervacaneum fuerit proferre testimonia, tum quia hoc notum est, tum quod hoc ipsum ab adversariis astruitur. Nos porro demonstrabimus hanc particulam, « Per quem, » etiam de Patre fuisse positam. « Fidelis, inquit, Deus per quem vo» cati estis in consortium Filii ipsius [10]. » Et, « Paulus Apos» tolus Jesu Christi per voluntatem Dei [11]. » Et rursum : « Itaque non est jam servus, sed Filius : quod si Filius, et » hæres per Deum [12]. » Item illud : « Quemadmodum sur» rexit Christus a mortuis per gloriam Patris [13] » Et Esaïas : « Væ, inquit, qui profunde facitis consilium, et non per » Dominum [14]. » Quin et de Spiritu sancto possunt etiam

[1] Col. II, 19. — [2] Ephes. I, 22. — [3] Joan. I, 16. — [4] Id. XVI, 14. — [5] Luc. VIII, 46. — [6] Gal. VI, 8. — [7] 1 Joan. III, 24. — [8] Matth. I, 20. — [9] Joan. III, 6. — [10] 1 Cor. I, 9. — [11] 2 Ibid. I. — [12] Gal. IV, 7. — [13] Rom. VI, 4. — [14] Esaï. XXIX, 15.

apponi multa hujus vocis testimonia. « Nobis autem, inquit, » Deus revelavit per Spiritum [1]. » Et alio loco : « Bonum » depositum custodi per Spiritum sanctum [2]. » Ac rursus : « Alii quidem per Spiritum datus est sermo sapientiæ [3]. »

V. Eadem vero et de syllaba, « In, » dicere possumus, quod etiam hanc de Deo et Patre Scriptura usurparit, velut in Veteri Testamento. « In Deo, inquit, faciamus virtutem [4], » Et, « In te cantatio mea semper [5]. » Et rursus : « In nomine » tuo exultabo [6]. » Et apud Paulum : « In Deo, inquit, qui » condidit omnia [7]. » Et, « Paulus ac Silvanus et Timotheus » ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre [8]. » Et, « Si tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, » veniendi ad vos [9]. » Et, « Gloriaris, inquit, in Deo [10]. » Et reliqua, quæ ne enumerare quidem facile sit. At nobis non est propositum ostentare testimoniorum multitudinem, sed probare observationes ipsorum rectas non esse. Siquidem hanc particulam de Domino ac Spiritu sancto usurpatam esse, tanquam per se notum, demonstrare omittam. Illud tamen necessario dicendum est, prudenti auditori sufficere illam objectorum confutationem, quæ a contrario ducitur. Nam si prolationis diversitas arguit naturam diversam, quemadmodum isti dicunt ; jam vocum identitas vel pudore cogit eos fateri essentiam in nullo discrepantem.

VI. Neque enim solum cum de Deo fit sermo, harum vocum usus variat ; verum etiam ad mutuos invicem significatus sæpenumero transferuntur, quoties altera alterius recipit significationem, veluti : « Possedi hominem per » Deum [11], » inquit Adam, perinde atque si dixisset, « Ex » Deo. » Et alibi : « Quæ præcepit Moyses Israëli per man» datum Domini. » Et rursus : « Nonne per Deum horum

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] 2 Tim. I, 14. — [3] 1 Cor. XII, 8. — [4] Psal. CVII, 14. — [5] Id. LXX, 7. — [6] Id. LXXXVIII, 17. — [7] Colos. I, 16. — [8] 1 Thess. I, 1. — [9] Rom. I, 10. — [10] Id. II, 17. — [11] Gen. IV, 2.

» manifestatio est [1] ? » Joseph de insomniis cum iis, qui in carcere erant, disserens et ipse aperte pro « Ex Deo » dixit « Per Deum. » Et contra, « Ex quo, » pro « Per quem » usurpavit Paulus, velut cum ait : « Factus ex muliere [2], » pro « Per mulierem. » Nam id nobis alibi perspicue distinxit, cum ait fœminæ convenire e viro natam esse, viro autem per fœminam ; « Quemadmodum mulier ex viro, ita vir per mu» lierem [3]. » Sed tamen hic Apostolus simul ostendens diversum harum vocum usum, simul obiter corrigens quorumdam errorem, existimantium Domini corpus esse spirituale ; ut ostenderet carnem Dei gestatricem ex humana massa concretam fuisse, maluit uti verbo significantiore (nam hæ dictiones, « Per mulierem, » transitoriæ generationis suspicionem erant daturæ; at hæ, « Ex muliere, » abunde declarant communionem, quam natura geniti cum genitrice habet), non quod ille secum pugnet, sed ut ostendat has voces facile sibi vicissim cedere. Quando igitur de quibuscumque definitum est proprie dici, « Per quem, » de iisdem etiam vox, « Ex quo, » usurpatur ; qua ratione fit, ut ad pietatis calumniam hæ dictiones inter se prorsus separentur ?

CAPUT VI.

Occurrit iis qui affirmant Filium non esse cum Patre, sed post Patrem ; ubi et de gloriæ æqualitate.

I. At qui nec ad ignorantiæ excusationem confugere possunt, cum tanto artificio tantaque perversitate dicta

[1] Gen. XL, 8. — [2] Gal. IV, 4. — [3] I Cor. XI, 12.

nostra excipiant : qui quidem nobis palam indignantur, quod una cum Patre adimpleamus Unigenito glorificationem, quodque Spiritum sanctum a Filio non separemus. Unde novatores nos appellant, novitatisque architectos et verborum inventores, et quibus non aliis probrosissimis nominibus? Quorum convitia tantum abest ut indigne feram, ut nisi nos ipsorum exitium dolore perpetuoque cruciatu afficeret, propemodum dicerem me etiam ipsis pro maledictis habere gratiam, ut qui mihi concilient beatitudinem. « Beati enim, inquit, estis, cum probris vos » impetiverint propter me [1]. » Hujusmodi autem sunt ea quorum causa indignantur. « Non est, inquiunt, cum Patre Filius, sed post Patrem; » unde consequitur ut per eum gloria Patri tribuatur, sed cum eo nequaquam. Nam illud « Cum eo » æqualitatem declarat, « Per eum » autem, ministerium significat. « Neque etiam cum Patre, inquiunt, et Filio collocandus est sanctus Spiritus, sed sub Filio et Patre, sic ut non una cum illis collocetur, sed subdatur, neque connumeretur, sed subnumeretur. » Atque talibus quibusdam verborum versutiis pervertunt fidei sinceritatem simplicitatemque. Proinde quam veniam assequentur imperitiæ prætextu, per quos ob istam curiositatem ne aliis quidem imperitis esse licet.

II. Nos vero primum illud ipsos rogemus, quomodo dicant Filium post Patrem? Num tempore recentiorem, num ordine, an dignitate? Sed nullus adeo demens est ut dicat Conditorem sæculorum quoquam esse tempore posteriorem, cum nullum sit intervallum, quod naturalem Filii cum Patre conjunctionem dirimat. Neque etiam hominum cogitatione Filius Patre recentior dici possit, non ob id modo quod simul intelligantur secundum relationem, verum etiam quod ea dicuntur posteriora tempore, quæ a præsenti tem-

[1] Matth. v, 11.

pore minus absunt : et rursus illa priora quæ longius absunt a præsenti tempore. Exempli causa, quæ Noë temporibus acta sunt, priora sunt iis,quæ narrantur de subversis Sodomis, quod illa longius dissita sint a præsenti tempore : et hæc illis posteriora, quod quodammodo appareant præsenti tempori viciniora. At ejus vitæ, quæ omne tempus et omnia sæcula transcendit, existentiam metiri distantia a præsenti tempore, annon præter impietatem, omnem etiam dementiam superat? si quemadmodum res generationi corruptionique obnoxiæ, aliis aliæ priores esse dicuntur, eumdem ad modum Deus et Pater, collatus cum Filio et Deo qui est ante sæcula, superat. At enim Patrem esse anteriorem nemo possit animo concipere, eo quod Domini generationem nec ulla prorsus cogitatio, neque ulla notio transcendat, Joanne pulchre duabus vocibus cogitationem intra circumscriptos terminos recludente, cum ait : « In » principio erat Verbum [1].» Nam neque ex hac voce, « Erat, » cogitatio exitum reperire potest ; neque principium imaginatio transcendere. Quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, ex voce, « Erat, » exitum non reperis; et quantumvis institeris videre quæ sint ultra Filium, non poteris tamen superare principium. Itaque pium est juxta hanc rationem Filium simul cum Patre intelligere.

III. Quod si velut in loco humiliore Filium Patri subesse imaginantur ; ut in sublimi sedeat Pater, ac dein Filius in locum inferiorem detrusus sit; fateantur istud, et nos tacebimus, aperta loquendi ratione per se absurditatem habente. Nam nec in ratiocinando sibi constant, qui non concedunt Patrem ad universa pertingere, cum eorum,qui sani sunt, cogitatio credat Deum implesse universa ; nec recordantur Prophetæ dicentis : « Si ascendero in cœlum, » tu illic es; si descendero ad inferos, ades [2], » qui supra

[1] Joan. I, 1. — [2] Psal. CXXXVIII, 8.

et infra partiuntur inter Patrem et Filium. At ut nihil dicam ad redarguendam illorum imperitiam, rebus incorporeis locum attribuentium, quid excusabit eorum impietatem, qua tam impudenter repugnant adversanturque Scripturis? Quod genus est illud : » Sede a dextris meis [1] : » et, « Consedit in dextra majestatis Dei [2] ? » Neque enim dextrum significat locum inferiorem, quod isti prædicant, sed relationem ad id quod æquale est; quippe cum dextrum non accipiatur corporaliter (sic enim possit etiam esse aliquid sinistrum in Deo) sed honorificis assidendi verbis Filii majestatem honoremque Scriptura ob oculos ponat. Reliquum est igitur, ut hac voce dignitatis inferiorem gradum indicari asserant. Discant igitur quod « Christus est Dei » virtus, et Dei sapientia [3], » et « Imago Dei invisibilis [4], » et « Splendor gloriæ [5], » quodque hunc Pater signavit Deus, seque totum in eo expressit. Hæc igitur et quæcumque his similia sunt per universam Scripturam testimonia, utrum dicemus humilitatis habere significationem, an ceu præconia quædam, Unigeniti majestatem, et æqualem cum Patre gloriam ebuccinari? Audiant insuper et ipsum Dominum palam suam gloriam cum Patre æqualem asserentem, cum ait : « Qui videt me, videt et Patrem [6]. » Ac rursum : « Cum » venerit Filius in gloria Patris [7]. » Et, « Ut honorificent » Filium, quemadmodum honorificant Patrem [8]. » Item illud : « Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti » a Patre [9]. » Rursus : « Unigenitus Deus, qui est in sinu » Patris [10]. » Horum dum isti nihil considerant, locum hostibus destinatum attribuunt Filio. Nam sinus paternus, sedes est digna Filio : scabelli vero locus iis convenit, quibus opus est subjectione. Nos igitur ad alia properantes

[1] Psal. CIX, 1. — [2] Hebr. I, 3. — [3] I Cor. I, 24. — [4] Colos. I, 15. — [5] Hebr. I, 3. — [6] Joan. XIV, 9. — [7] Marc. VIII, 38. — [8] Joan. V, 23. — [9] Id. I, 14. — [10] Ibid. 18.

obiter et in transcursu testimonia attigimus : tibi vero per otium licet, collectis probationibus, gloriæ sublimitatem, ac virtutis eminentiam in Filio perspicere. Quanquam ne hæc quidem auditori æquo parva videbuntur, nisi quis carnaliter et abjecte intelligat has voces, « Dextrum » et « Sinum : » ut loco circumscribat Deum, fingatque figuram ac formam situmque corporalem : quæ ab intelligentia rei simplicis et immensæ ac incorporeæ longe semota sunt, præterquam quod illius cogitatio humilis, pariter in Patrem cadit atque in Filium. Quare non dejicit Filii dignitatem, sed adjungit blasphemiæ crimen adversus Deum, quisquis talia disserit. Quæcumque enim ausus fuerit evomere in Filium, necesse est ut eadem transferat in Patrem. Nam qui Patri superiorem locum ad præsidendum tribuit, ac Filium dicit humiliore loco sedere, is,quæcumque corporeis accidunt, ea omnia habiturus est suum figmentum consequentia. Quod si istæ imaginationes sunt vino delirantium, ac per phrenitidem mente commotorum, quomodo pium fuerit eum,qui natura, gloria, dignitateque conjunctus est, non simul cum Patre adorari et glorificari ab his, qui ab ipso edocti sunt, eum « Qui non honorificat Filium, non » honorificare Patrem [1] ? » Quid porro dicemus ? Quid justæ excusationis afferemus in formidabili ac communi totius creaturæ judicio, si posteaquam Dominus aperte denuntiavit se venturum in gloria Patris [2], et Stephanus Jesum vidit stantem a dextris Dei [3], et Paulus Spiritu afflatus testificatus est de Christo, quod est in dextra Dei [4]; atque etiam cum Pater dicat : « Sede a dextris meis [5], » et Spiritus sanctus testimonium perhibeat,quod consederit ad dextram majestatis Dei [6]; nos throni consortem, et honoris ejusdem participem, ab æqualitatis statu ad inferiorem deji-

[1] Joan. v, 23. — [2] Matth. xvi, 27. — [3] Act. vii, 55. — [4] Rom. viii, 34. — [5] Psal. cix, 1. — [6] Hebr. viii, 1.

ciamus locum ? Siquidem arbitror statione et consessu naturæ firmitatem ac stabilitatem omnimodam significari; juxta quem tropum et Baruch Deum immobilem et immutabilem semper esse ostendens, ait : « Tu sedes in æter- » num, et nos perimus in ævum [1] : » dextro autem loco indicari dignitatis æqualitatem. Annon igitur audax facinus fuerit Filium glorificationis consortio privare, veluti qui mereatur in loco minus honorato collocari?

CAPUT VII.

Adversus eos, qui dicunt non congruenter de Filio dici, Cum quo, *sed,* Per quem.

Sed hoc loquendi genus, « Cum ipso, » aiunt, omnino peregrinum est et inusitatum : contra istud, « Per » ipsum, » tum sermoni Scripturæ familiarissimum, tum fratrum usu tritum esse. Quid igitur nos ad ista ? Nimirum beatas esse aures quæ non audierunt vos, et beata corda, quæ a vestris sermonibus servata sunt illæsa. Vobis porro, qui Christum diligitis, dico Ecclesiam utrumque harum vocum usum agnoscere, neutrumque rejicere, quasi alter alterum destruat. Cum enim in Unigenito naturæ majestatem ac dignitatis excellentiam contemplamur, ei cum Patre gloriam esse testamur. Rursus cum cogitamus quæ bona nobis suppeditarit, aut quomodo nos ad Deum adduxerit ac Deo asseruerit, confitemur hanc gratiam, « Per ipsum » et « In ipso » nobis effici. Quare altera particula, « Cum quo, »

[1] Baruch. III, 3.

propria est glorificantium : altera, « Per quem, » propria est gratias agentium. Quin et illud mendacium est hanc vocem, « Cum quo, » ab usu piorum alienam esse. Quotquot enim morum constantia, antiquitatis majestatem speciosis novitatibus prætulerunt, ac majorum traditionem citra mutationem conservarunt, tum ruri, tum in civitatibus hac voce utuntur. Cæterum qui consueta fastidiunt, et in vetera tanquam in obsoleta insurgunt, ii sunt qui novitates suscipiunt, quemadmodum in vestimento, qui ornatum amant, novum semper præferunt communi. Videas itaque etiamnum rusticanæ plebis in hac voce morem antiquum : istorum autem artificum, et in verborum pugnis contritorum signata novæ sapientiæ cauterio verba. Proinde quod a majoribus nostris dictum est, et nos dicimus, gloriam videlicet communem esse Patri ac Filio, quapropter cum Filio glorificationem Patri persolvimus. Quanquam hoc nobis non est satis, sic a Patribus esse traditum; nam et illi Scripturæ secuti sunt sententiam, ex testimoniis, quæ paulo ante vobis e Scriptura citavimus, principia sumentes. Splendor enim cum gloria intelligitur, et imago cum archetypo, et Filius omnino cum Patre, cum nec nominum consequentia, nedum rerum natura, separationem admittat.

CAPUT VIII.

Quot modis intelligatur hæc particula, Per quem, *et in quo sensu congruentius dicitur,* Cum quo : *ubi etiam exponitur quomodo mandatum accipit Filius , et quomodo mittitur.*

I. Itaque cum Apostolus gratias agit Deo per Jesum Christum[1], ac rursus cum ait sese per illum accepisse gratiam et Apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus gentibus[2], aut cum dicit nos per eum accessum habere ad gratiam hanc, in qua stamus et gloriamur[3], illius erga nos beneficia declarat, nunc quidem ut a Patre gratiam bonorum in nos transfundentis, nunc rursum ut per se ipsum conciliantis nos Patri. Siquidem cum ait : «Per quem » accepimus gratiam et Apostolatum[4], » significat bonorum largitionem ab illo proficisci. Rursum cum ait : « Per quem » accessum habemus[5], » assumi nos, ac Deo per Christum conjungi ostendit. Num igitur gratiæ, quam in nobis operatur, confessio diminuit illius gloriam ? An potius dictu verius fuerit enarrationem beneficiorum decens esse glorificandi argumentum? Hanc ob causam comperimus Scripturam non uno nomine nobis significare Dominum, nec his tantum quæ Divinitatem ac magnitudinem ejus declarant, sed interdum quidem uti vocibus naturam exprimentibus : novit enim nomen Filii, « Quod est super omne nomen[6], » et Filium verum dicere, et Unigenitum Deum, et virtutem Dei, et sapientiam, et Verbum. Et rursus, ob multiplicem

[1] Rom. I, 8. — [2] Ibid. 5. — [3] Id. v, 2. — [4] Rom. I, 5. — [5] Id. v, 2. — [6] Philip. II, 9.

in nos beneficentiam, quam ob divitias bonitatis pro varia sua sapientia egentibus præstat, aliis innumeris appellationibus eumdem designat, dum aliquando vocat illum pastorem, alias regem, et rursus medicum, denique sponsum, viam, ostium, fontem, panem, securim, ac petram. Hæc enim non naturam indicant, sed, quod aiebam, operationis varietatem: quam ex affectu, quem gerit erga suum figmentum, indigentibus, ut cuique opus est, impartit. Eos enim, qui ad ejus regimen confugerunt, quippe per malorum tolerantiam communicandi facilitatem præstiterunt, oves appellat; seque talium pastorem esse profitetur, qui vocem ipsius audiunt, nec attendunt doctrinis peregrinis. « Oves enim meæ, inquit, vocem meam au» diunt [1]. » Rex autem vocatur eorum, qui jam altius assurrexerunt, ac legitimo imperio, et gubernatione opus habent. Quin et ostium dicitur, eo quod per rectitudinem præceptorum educit ad pias actiones: et rursus tuto perducit ad caulas eos, qui per fidem in ipsum ad cognitionis bonum confugerint. Unde, « Per me si quis » introierit, et ingredietur, et egredietur, ac pascua inve» niet [2]. » Petra dicitur, eo quod validum sit et inconcussum, et quavis arce firmius propugnaculum fidelibus [3]. In his hæc vox, « Per ipsum, » aptissimum ac clarum usum habet, quoties velut ostium et velut via dicitur. At vero ut Deus et Filius, cum Patre communem habet gloriam: « Quoniam in nomine Jesu omne genu flectetur, cœles» tium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confi» tebitur quod Dominus Jesus Christus in gloria sit Dei » Patris [4]. » Quam ob rem ambabus vocibus utimur, altera propriam illius dignitatem, altera ejus erga nos munificentiam prædicantes.

[1] Joan. x, 27. — [2] Id. x, 9. — [3] 1 Cor. x, 4. — [4] Philip. II, 10, 11.

II. Omne enim animarum auxilium per ipsum est, atque juxta singula curandi ac providendi genera excogitata est peculiaris quædam appellatio. Cum enim animam incontaminatam, « Non habentem maculam aut rugam [1], » quasi puram virginem sibi adjungit, sponsus appellatur : cum vero eam pravis diaboli plagis afflictatam recipit, ac peccatis graviter laborantem sanat, medicus vocatur. Utrum igitur quod hisce modis nostri curam gerit, cogitationes nostras eo deducet, ut humilius de eo sentiamus; an potius e diverso efficiet, ut Servatoris et ingentem potentiam et humanitatem erga nos admiremur, quod et compati nostris infirmitatibus sustinuit, et se ad nostram infirmitatem potuit demittere? Neque enim cœlum ac terra, immensaque maria, nec animantia, vel in aquis vel in terris degentia, nec plantæ, nec astra, nec aër, nec anni tempora, nec multiplex universi ornatus, excellentiam potentiæ illius perinde commendat, atque quod Deus incomprehensibilis potuit per carnem citra noxam cum morte conflictari, ut nobis sua ipsius passione largiretur immortalitatem. Quod si Apostolus ait : « In his omnibus supera» mus per eum, qui dilexit nos [2] : » nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis. Siquidem ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius [3], videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatos ad omne bonum [4], per liberi arbitrii nostri præparationem. Hoc pacto accessum ad Patrem habuimus per ipsum, translati de potestate tenebrarum « In partem sortis Sanctorum in lumine [5]. » Ne igitur dispensationem Filii coactum ex servili humilitate ministerium existimemus : sed voluntariam sollicitudinem

[1] Ephes. v, 27.— [2] Rom. viii, 37. — [3] Matth. xii, 29.— [4] 2 Tim. ii, 21.— [5] Colos. i, 12, 13.

ex bonitate ac misericordia juxta voluntatem Dei et Patris, erga suum figmentum exhibitam. Sic enim servabimus pietatem, si in omnibus rebus ab eo peractis et perfectam illi potentiam testimonio nostro tribuerimus, nec usquam illum a paterna voluntate separaverimus. Quemadmodum utique cum Dominus appellatur via [1], ad sublimiorem intelligentiam potius, quam ad vulgarem ac communem animo ferimur. Audientes enim viam, profectum eum, qui serie atque ordine per justitiæ opera et scientiæ illuminationem ad perfectionem tendit, intelligimus, semper id quod anterius est appetentes, et ad ea, quæ restant, nosmetipsos extendentes [2], donec perveniamus ad beatum finem, quæ est Dei cognitio, quam Dominus per sese in ipsum credentibus largitur. Revera enim bona est via, exorbitationis errorisque nescia, Dominus noster, ad Patrem, qui verum bonum est, perducens. « Nemo enim, » inquit, venit ad Patrem nisi per me [3]. » Talis est igitur noster ad Deum ascensus per Filium.

III. Rursus autem qualis sit etiam Patris erga nos per eumdem bonorum suppeditatio, consequens jam fuerit disserere. Nimirum cum omnis natura creata, tum hæc visibilis, tum intelligibilis, ad hoc ut consistat, Dei cura egeat; opifex Verbum, Unigenitus Deus opem, quantum cuique opus est, distribuens, varia quidem et omnis generis auxilia, ob varietatem eorum, qui beneficio juvantur, sed tamen unicuique congruentia juxta necessitatis modum dimetitur. Eos, qui in tenebris ignorantiæ detinentur, illuminat: propterea lumen verum dicitur. Judicat, juxta operum meritum remetiens præmium; ob id judex justus dicitur. « Pater enim neminem judicat, sed omne judicium » dedit Filio [4]. » Erigit e ruina, qui e sublimitate vitæ ad pec-

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Philipp. III, 13. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Id. V, 22.

catum delapsi sunt; ob id vocatur resurrectio[1]. Omnia autem facit contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans. Pascit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Quæ non sunt, facit ut sint, condita conservat. Hoc modo bona ex Deo per Filium ad nos perveniunt, majore celeritate in singulis operantem, quam ullus sermo exprimere valeat. Neque enim fulgura, neque lucis per aërem tam velox discursus est, non oculorum celeres ictus', non ipsius intellectus nostri motus : sed horum quodque magis vincitur divinæ operationis celeritate, quam animantia quæ sunt apud nos maxime segnia, non dicam volatilium, neque ventorum, neque cœlestium orbium impetu, sed ipsius mentis nostræ motu superantur. Nam quo tandem temporis spatio egeat, qui « Portat omnia verbo virtutis suæ[2], » quique nec corporaliter operatur, neque manuum opera ad creandum opus habet, sed eorum, quæ fiunt, naturam habet voluntate non coacta obsequentem? Sicuti Judith, « Cogitasti, inquit, et » præsto fuerunt tibi omnia quæ cogitasti[3]. » Attamen ne forte ex magnitudine eorum, quæ fiunt, rapiamur in imaginationem, ut putemus Dominum principio carere, quid ait is, qui per se vita est? « Ego vivo propter Patrem[4]. » Et Dei virtus : « Non potest Filius a se facere quidquam[5]. » Rursus is, qui ex se perfecta est sapientia : « Mandatum ac- » cepi, quid dicam, et quid loquar[6] : » per hæc omnia ducens nos ad Patris cognitionem, et admirationem eorum, quæ gerebat, ad illum referens, ut per ipsum cognoscamus Patrem. Non enim ex operum differentia Pater conspicitur, quasi peculiarem atque separatam actionem exhibeat, (« Quæcumque enim videt Patrem facientem, hæc » et Filius similiter facit[7],) » verum ex gloria, quæ ei ab Unigenito defertur, operum miraculum carpit, dum præ-

[1] Joan. XI, 25. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Judith. IX, 4. — [4] Joan. VI, 58. — [5] Id. V, 19. — [6] Id. XII, 49. — [7] Id. V, 19.

ter operum magnitudinem, de ipso etiam auctore operum gloriatur, et exaltatur ab iis, qui agnoscunt eum Patrem Domini nostri Jesu Christi: « Per quem omnia, et propter » quem omnia[1]. » Ideo dicit Dominus: « Omnia mea tua » sunt[2], » ut ad ipsum originem rerum conditarum referens: « Et tua mea, » ut inde principia creandi accipiens; non quod auxiliis utatur ad operandum, neque quod ei particularibus mandatis uniuscujusque operis ministerium concredatur. Nam istud quidem servile, et a divina dignitate immenso semotum intervallo; sed quod Verbum paternis bonis plenum, resplendens a Patre, omnia facit ad similitudinem ejus qui ipsum genuit. Nam si juxta essentiam nihil differt a Patre, nec potentia etiam a Patre differet. Porro quorum æqualis est potentia, horum omnino æqualis est et operatio. « Christus siquidem Dei virtus est, » et Dei sapientia[3]. » Et sic omnia per ipsum facta sunt, omniaque per ipsum et in ipsum condita sunt, non quod instrumentali quodam ac servili ministerio fungatur, sed quod tanquam Conditor paternam impleat voluntatem.

IV. Itaque cum ait: « Ego ex meipso locutus non » sum[4]: » Et rursum, « Sicut dixit mihi Pater, ita lo- » quor[5]: » Et, « Sermo quem audistis non est meus, sed » ejus qui misit me[6]. » Et alibi, « Quemadmodum mandavit » mihi Pater, sic facio[7]: » non quod careat libero arbitrio, ac voluntatis motu, neque quod ex datis signis veniam ac licentiam agendi expectet, ideo talibus utitur verbis, sed ut declaret propriam voluntatem conjuncte atque inseparabiliter Patri adhærentem. Proinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut subdito præscribentem quid facere debeat: sed juxta sensum Deo dignum, intel-

[1] Hebr. II, 10. — [2] Joan. XVII, 10. — [3] I Cor. I, 24. — [4] Joan. XII, 49. — [5] Ibid. 50. — [6] Id. XIV, 24. — [7] Ibid. 31.

ligamus voluntatis communicationem, veluti formæ cujuspiam in speculo imaginem, a Patre in Filium sine tempore demanantem. « Pater enim diligit Filium, et omnia ostendit illi[1]. » Itaque quæcumque habet Pater, Filii sunt; non quod hæc illi paulatim accrescant, sed adsunt semel universa. Non enim inter homines qui artem perdidicit, ac diutina exercitatione firmum artis in animo fixumque habitum gerit, deinceps potest juxta scientiæ rationes, quas in mente tenet, per sese operari : Dei vero sapientia, architectus universæ creaturæ, semper perfectus, citra doctorem sapiens, Dei virtus, « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ occulti[2], » eget speciali mandato, quo ei modus ac mensura operationum præfiniatur. Scilicet tu quidem etiam pædagogeum aperies in vanitate cogitationum tuarum, et hunc quidem facies præsidentem loco doctoris, illum vero astantem cum discipuli imperitia : dein paulatim additis præceptionibus discentem sapientiam, et ad perfectionem procedentem. At ex hoc, si modo noveris consequentiam, quæ est in ratiocinationibus, observare, invenies Filium semper quidem discere, nec unquam ad perfectionem pervenire posse, eo quod infinita sit Patris sapientia, nec infinitæ rei finis possit apprehendi. Itaque qui non concesserit Filium ab initio habere omnia, nunquam concessurus est illum ad perfectionem perventurum. Sed pudet me istius humilis cogitationis, in quam e sermonis serie deductus sum. Igitur ad ea, quæ sunt in oratione sublimia, iterum revertamur.

V. « Qui vidit me, vidit Patrem[3] : » non figuram, non formam : pura enim est a compositione divina natura : sed bonitatem voluntatis, quæ cum essentia concurrens, similis et æqualis, imo potius eadem in Patre et Filio intelligitur. Quid igitur sibi vult illud, « Factus obediens[4]? » Item

[1] Joan. v, 20. — [2] Colos. II, 3. — [3] Joan. XIV, 9. — [4] Philip. II, 8.

illud, « Pro nobis omnibus tradidit eum[1]? Significatur videlicet Filium a Patre hoc habuisse, ut pro sua bonitate operaretur pro hominibus. Tu vero et illa audito : « Christus nos redemit a maledicto legis[2] : » Item, « Cum adhuc » peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est[3]. » Diligenter autem attende etiam verba Domini, quod postquam nos de Patre erudivit, authenticis et herilibus vocibus uti solet, dicens : « Volo, mundare[4]; » et, « Tace, obmu» tesce[5]; « Et, « Ego autem dico vobis[6] : » et illud, « Mutum » et surdum dæmonium, ego tibi præcipio[7] : et quæcumque alia id genus : ut ex his quidem Dominum et conditorem nostrum cognosceremus, per illa vero Patrem Domini et Conditoris nostri disceremus. Ita doctrina undelibet vera monstratur, scilicet ex eo quod Pater per Filium creet, neque propterea Patris vim creandi imperfectam argui, neque Filii operationem ostendi infirmam, sed voluntatis unitatem conjunctionemque declarari. Itaque hæc vox, « Per quem, » confessionem habet causæ principalis, non autem sumitur ad insectationem ac reprehensionem causæ efficientis.

CAPUT IX.

Propriæ ac distinctæ de Spiritu notiones, doctrinæ Scripturarum congruentes.

I. Jam vero etiam de Spiritu communes nostræ notiones cujusmodi sint expendamus, tum eas, quæ nobis de illo e

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Gal. III, 13. — [3] Rom. V, 8. — [4] Matth. VIII, 3. — [5] Marc. IV, 39. — [6] Matth. V, 22. — [7] Marc. IX, 24.

Scripturis collectæ sunt, tum eas, quas Patrum traditione non scripta accepimus. Primum igitur, quis, auditis Spiritus appellationibus, animo non erigitur, et ad supremam naturam cogitationem non attollit? Nam Spiritus Dei dictus est, et « Spiritus veritatis, qui ex Patre procedit[1] : » Spiritus rectus, Spiritus principalis[2]. Spiritus sanctus, propria est illius ac peculiaris appellatio : quod sane nomen omnium maxime rem incorpoream et ab omni materia puram et incompositam declarat. Quapropter et Dominus cum eam, quæ Deum in loco adorari existimabat, edoceret, rem incorpoream comprehendi non posse, « Spiritus, inquit, » est Deus[3]. » Proinde fieri non potest, ut qui audit Spiritum, naturam loco circumscriptam, aut mutationibus et alterationibus obnoxiam, aut omnino creaturæ similem sibi animo fingat : sed ad id quod summum est cogitatione progrediens, intelligentem substantiam cogitet necesse est, virtute infinitam, magnitudine incircumscriptam, nec temporum, nec sæculorum dimensionem recipientem, ea quæ habet bona large impartientem. Ad quem omnia convertuntur quæ egent sanctificatione : quem omnia appetunt juxta virtutem viventia, cujus afflatu velut irrigantur et adjuvantur, ut perveniant ad proprium suum naturalemque finem. Qui perficit cætera, ipse vero in nullo deficit ; qui non vivit per instaurationem, sed vitam suppeditat, nec accessionibus augescit, sed statim plenus est : qui in seipso firmatur, et nusquam non adest. Origo sanctificationis, lux intelligibilis : universæ potentiæ rationali ad veritatis investigationem, velut illustrationem quamdam ex sese præbens. Natura inaccessus, sed qui capi possit ob benignitatem ; omnia quidem implens virtute, sed solis iis, qui digni sunt, communicabilis, quibus sese non eadem impertit mensura, sed juxta proportionem fidei dispertitur vim suam. Sim-

[1] Joan. xv, 26. — [2] Psal. L. — [3] Joan. IV, 24.

plex essentia, varius potentiis : qui singulis totus adest, et totus ubique est. Qui sic dividitur ut ipse nihil patiatur; cujus sic omnes participes sunt, ut ipse maneat integer, radii solaris in morem, cujus beneficium fruenti tanquam uni adest, et tamen terram ac mare illustrat, miscetur que aëri : sic et Spiritus Sanctus, unicuique capacium cum adsit quasi soli, sufficientem omnibus gratiam ac integram infundit : quo fruuntur quæcumque de illo participant, quantum ipsis fas est natura, non quantum ille potest.

II. Spiritus autem cum anima conjunctio non fit loci propinquitate : (nam quî fiat ut ad incorporeum corporaliter accedas?) sed a cupiditatibus recessu, quæ post accesserunt animæ propter amicitiam erga carnem, et a Dei consortio alienarunt. Itaque si quis ab eo, quod vitii labe contraxerat, probro purgetur, atque ad nativam pulchritudinem reversus velut regiæ imagini formam veterem per puritatem reddat, hoc uno demum modo potest ad Paracletum appropinquare. Ille autem, veluti sol, purum nactus oculum, ostendet tibi in seipso imaginem illius qui videri non potest. In beata autem hujus imaginis contemplatione videbis ineffabilem archetypi pulchritudinem. Per hunc corda sustolluntur in altum, manuducuntur infirmi, proficientes perficiuntur. Hic eis, qui ab omni sorde purgati sunt, illucescens, per communionem quam cum ipso habent, spirituales reddit. Et quemadmodum corpora nitida, pellucidaque, contacta radio, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt : ita animæ, quæ Spiritum ferunt, illustranturque a Spiritu, fiunt et ipsæ spirituales, et in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, mysteriorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributiones, cœlestis conversatio, cum Angelis chorea : hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseverantia, hinc similitudo cum Deo,

et quo nihil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias. Communes igitur nostræ notiones de sancto Spiritu, quas de magnitudine dignitateque illius, deque operationibus, ab ipsis Spiritus eloquiis sentire didicimus, ut e multis pauca afferamus, sic habent. Nunc autem ad contradicendi cupidos veniendum est, conabimurque illorum objectiones refellere, quas e falsi nominis scientia nobis proponunt.

CAPUT X.

Adversus eos qui dicunt non oportere Patri et Filio adjungere Spiritum sanctum.

Non oportet, inquiunt, Patri et Filio adjungere Spiritum sanctum : partim eo quod sit alienæ naturæ, partim quod dignitate sit inferior. Quibus æquum est ut Apostolorum verbis respondeamus : « Deo oportet obedire magis » quam hominibus [1]. » Nam si Dominus aperte in tradendo salutifero baptismate præcepit Discipulis, « Ut baptizarent » omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [2], » haud dedignatus cum illo consortium : contra isti dicunt non oportere Spiritum Patri Filioque conjungere, annon Dei præcepto palam adversantur? Etenim sic dicunt hujusmodi conjunctione non declarari ullam communionem, aut consortium, dicant quidnam conveniat hoc existimare, et quam aliam afferant magis peculiarem consortii rationem ? Et quidem si Dominus sibi et Patri non adjunxit Spiritum in baptismo, neque etiam vobis vitio vertant quod eos con-

[1] Act. v, 29. — [2] Matth. xxviii, 19.

jungimus. Nihil enim nos diversum neque sentimus, neque loquimur. Sin autem illic conjunctus est Patri et Filio Spiritus, nec quisquam est adeo impudens, ut aliud quidquam dicat ; ne sic quidem nos in jus vocent , si Scripturas sequimur.

II. Sed belli adversum nos apparatus instructus est, omnisque cogitatio intenta est in nos, et linguæ maledicorum hic vehementius jaculantur quam ii, qui Christum occiderant, olim lapidibus impetierunt Stephanum. Verum ne consequantur, ut lateat nos quidem esse belli occasionem, sed quæ aguntur revera ad excelsum spectare. Itaque in nos quidem machinas et insidias instruunt, seque mutuo exhortantur ad ferendas suppetias, ut quisque peritia aut robore valet. Cæterum id quod oppugnatur, fides est, isque scopus communis est omnibus adversariis, et sanæ doctrinæ inimicis, ut soliditatem fidei in Christum concutiant, apostolicam traditionem solo æquatam abolendo. Eapropter, sicut solent qui bonæ fidei debitores sunt, probationes e Scriptura clamore exigunt, Patrum testimonium, quod scriptum non est, velut nullius momenti rejicientes. At de tuenda veritate nihil remittemus, neque ignavia a ferendis illi auxiliis desistemus. Etenim si Dominus nobis, ut necessarium ac salutare dogma, Spiritus cum Patre conjunctionem tradidit; his autem non ita videtur, sed dividere ac distrahere Spiritum, et ad servilem naturam detrudere; annon verum est apud illos blasphemiam ipsorum plus habere ponderis, quam Domini præscriptum? Agedum igitur omni contentione deposita, ita de iis quæ in manibus sunt, inter nos disceptemus.

III. Christiani unde nos? per fidem, dicet quilibet. Salvi autem fimus quomodo? nimirum regenerati per gratiam quæ confertur in baptismo. Nam unde alioqui? Ergo-ne postquam hanc salutem per Patrem et Filium et

Spiritum sanctum ratam ac firmatam noverimus, traditam nobis doctrinæ formam abjiciemus? Id profecto multis dignum suspiriis fuerit, si comperiamur nunc longius abesse a salute nostra, quam tum cum credidimus; si quæ tunc recepimus, nunc abnegamus. Par et æquale damnum est, sive quis baptismatis expers decedat de vita, sive recipiat baptisma, cui unum aliquod eorum, quæ tradita sunt, desit. Et quisquis professionem, quam in prima institutione deposuimus, cum liberati a simulacris accessimus ad Deum vivum, in omni tempore non servat, nec eam, quasi tutissimum præsidium per totam suam vitam complectitur, seipsum alienum reddit a promissis Dei, suo ipsius chirographo repugnans, quod in professione fidei deposuit. Nam si mihi vitæ initium est baptismus, ac dierum omnium primus est dies regenerationis, perspicuum est et vocem illam omnium pretiosissimam esse, quæ in adoptionis gratia prolata est. Ita-ne igitur traditionem, quæ me adducit ad lucem, quæ Dei cognitionem largita est, per quam factus sum filius Dei, qui prius propter peccatum eram hostis, deseram seductus istorum speciosis sermonibus? Quin potius et illud mihi precor, ut cum hac professione contingat hinc decedere ad Dominum; et ipsos hortor, ut inviolatam servent fidem usque ad diem Christi, et indivulsum a Patre et Filio custodiant Spiritum : doctrinam baptismatis tum in fidei professione, tum in gloriæ persolutione servantes.

CAPUT XI.

Prævaricatorès esse illos, qui negant Spiritum.

Cui væ? cui afflictio? cui angustia ac tenebræ? cui sempiterna condemnatio? Nonne prævaricatoribus? nonne iis qui fidem abnegarunt? Sed unde probantur abnegasse? Nonne hinc, quod suas ipsi professiones irritas fecerunt? Quid autem professi sunt, aut quando? Professi sunt credere se in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tum cum renuntiantes diabolo et angelis ejus salutiferam illam vocem ediderunt. Quod igitur istis dignum vocabulum excogitatum est a filiis lucis? Nonne perfugæ ac prævaricatores appellantur, ut qui salutis suæ pacta violarint? Quo igitur nomine eum, qui Deum abnegavit? quo eum? qui Christum abnegavit, appellem? Quonam alio, quam prævaricatoris ac desertoris? At ei, qui negavit Spiritum, quod me vis nomen imponere? Nonne hoc idem? Quippe qui pactum cum Deo initum violarit. Ergo cum et fidei in Spiritum professio beatitudinem pietatis nobis conciliet, et abnegatio crimini abnegati Dei faciat obnoxios : annon horrendum est ipsum nunc rejicere, non ignem, non gladium, non crucem, non flagella, non rotam, non tormenta metuentes, sed solis sophismatibus seductionibusque istorum, qui Spiritui rebelles sunt, deceptos? Testificor omni homini Christum profitenti, et Deum neganti, quod Christus nihil illi proderit : aut Deum invocanti, Filium vero spernenti, quod inanis est fides illius[1]. Item ei, qui Spiritum

1 Gal. v, 2.

rejicit, testificor quod fides ejus, qua profitetur Patrem et Filium, inanis erit : quam nec habere potest, nisi simul adsit Spiritus. Non enim credit in Filium, qui non credit Spiritui, nec credit in Patrem, qui non credit Filio. « Nec » enim potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu » sancto [1]. » Et, « Deum nemo vidit unquam, sed unigeni- » tus Filius qui est in sinu Patris, hic nobis enarravit [2]. » Insuper talis expers est veræ adorationis. Neque enim fieri potest, ut quis Filium adoret, nisi in Spiritu sancto, aut ut Patrem invocet, nisi in adoptionis Spiritu.

CAPUT XII.

Adversus eos qui dicunt sufficere baptisma tantum in nomine Domini.

Neminem vero in fraudem inducat illud Apostoli, quod Patris et Spiritus sancti nomen in baptismatis commemoratione frequenter omittit : neque ideo putet indifferentem esse nominum invocationem. « Quicumque, inquit, » in Christum baptizati estis, Christum induistis [3]. » Et rursus, « Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem » illius baptizati estis [4]. » Nam Christi appellatio, totius est professio : declarat siquidem et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum sanctum qui est unctio : quemadmodum a Petro in Actis didicimus, « Jesum Nazarenum, » quem unxit Deus Spiritu sancto [5]. » Item in Esaïa, « Spi- » ritus Domini super me, eo quod unxit me [6]. » Et Psalmi-

[1] 1 Cor. xII, 3. — [2] Joan. I, 18. — [3] Gal. III, 29. — [4] Rom. VI 3. — [5] Act. x, 38. — [6] Esaï. LXI, 1.

eus ille cantor, « Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo » exultationis præ consortibus tuis [1]. » Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismate : « Omnes enim, inquit, in uno corpore in » unum Spiritum baptizati sumus [2]. » His et illud consonat, « Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto [3]. » Et, « Ipse » vos baptizabit in Spiritu sancto [4]. » At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem semper manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est. Nam vitam nostram de corruptione qui liberavit, potestatem nobis renovationis dedit : quæ potestas causam habet ineffabilem, et in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab æterna vita excidere. Proinde si in baptismo separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile; quomodo nobis tutum fuerit a Patre et Filio distrahere Spiritum? Fides autem et baptisma, duo sunt modi parandæ salutis, inter se cognati et inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundatur per fidem, et utraque res per eadem nomina impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ac præcedit quidem professio ad salutem perducens, sequitur autem baptisma consignans assensum nostrum.

[1] Psal. XLIV, 8. — [2] I Cor. XII, 13. — [3] Act. I, 5. — [4] Luc. III, 16.

CAPUT XIII.

Quare apud Paulum Angeli simul cum Patre et Filio adjunguntur.

I. Atqui et alia sunt, inquiunt, quæ simul Patri et Filio annumerantur, nec tamen continuo simul cum illis glorificantur. Veluti cum Apostolus obtestans Timotheum, Angelos simul adducit, dicens : « Obtestor te in conspectu » Dei, et Christi Jesu, et electorum ejus Angelorum [1] : » quos tamen nos minime separamus a reliquis creaturis, neque sustinemus eos Patri et Filio annumerare. Ego vero, tametsi hic sermo nulla dignus est responsione, tam manifestam præferens absurditatem, tamen illud dico, quod conservum etiam testem forte aliquis adducat apud mansuetum ac placabilem judicem, quique maxime sua in eos, qui judicentur, lenitate minime dubiam et controversam judiciorum æquitatem demonstrat. Cæterum ut aliquis fiat liber e servo, atque vocetur filius Dei, et a morte revocetur ad vitam, a nullo alio potest dari, nisi ab eo, qui naturalem habet societatem et a servili conditione est alienus. Quomodo enim sociabit Deo, qui ipse est alienus? Quomodo liberos reddet, qui ipse est jugo servitutis obnoxius? Itaque non ob eadem fit Spiritus et Angelorum mentio : sed Spiritus commemoratur tanquam auctor ac Dominus vitæ, Angeli vero tanquam conservorum adjutores, fidelesque veritatis testes adhibentur. Siquidem mos est Sanctis Dei præcepta testibus adhibitis tradere, sicut etiam hic

[1] 1 Tim. v, 21.

ipse ad Timotheum loquitur. « Quæ accepisti a me coram » multis testibus, ea depone apud fideles homines [1]. » Et nunc Angelos attestatur, sciens Angelos pariter affuturos Judici, cum venerit in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in justitia. « Quisquis enim, inquit, confessus fue» rit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur » eum coram Angelis Dei : qui vero abnegaverit me coram » hominibus, abnegabitur in conspectu Angelorum Dei [2]. » Et Paulus alibi dicit, « In revelatione Domini Jesu de cœlo » cum Angelis [3]. » Hanc ob causam hic jam contestatur coram Angelis eximias sibi præparans probationes ad magnum illud tribunal.

II. Neque hic modo, verum etiam omnes omnino, quibus aliquod verbi ministerium commissum est, nullo tempore contestari cessant, imo et cœlum et terram inclamant, ut intra quorum ambitum omnia nunc gerantur, quæque in examine rerum in hac vita gestarum sint simul cum judicandis futura. « Advocabit enim, inquit, cœlum sur» sum, et terram ad dijudicandum populum suum [4]. » Unde Moses traditurus eloquia populo, « Testor, inquit, vobis » hodie et cœlum et terram [5]. » Et rursus cum canticum diceret : « Attende cœlum, et loquar, et audiat terra verba » ex ore meo [6]. » Item Esaïas : « Audi cœlum, et auribus » percipe terra [7]. » Jeremias autem etiam stupore quodam perculsum fuisse cœlum narrat, ob audita impia populi facta : « Obstupuit cœlum super hoc, et exhorruit amplius » vehementer, quoniam duo etiam mala fecit populus meus [8]. » Itaque et Apostolus sciens Angelos hominibus præfectos, ceu pædagogos quospiam aut morum gubernatores, vocavit illos in testimonium. At Jesus Nave etiam lapidem tes-

[1] 2 Tim. II, 2. — [2] Luc. XII, 8, 9. — [3] 2 Thess. I, 7. — [4] Psal. XLIX, 4. — [5] Deut. IV, 26. — [6] Id. XXXII, 1. — [7] Esaï. I, 2. — [8] Jer. II, 12.

tem sermonum statuit [1] (jam vero et collis alicubi testis appellatus est a Jacob (14)) « Erit enim inquit, lapis in vobis » hodie in testimonium in extremis diebus, cum mentiti » fueritis Domino Deo nostro [2] : » fortasse credens virtute divina et lapides vocem emissuros ad increpationem transgressorum : sin minus, certe illud fore, ut uniuscujusque conscientia admonitionis vehementia prorsus vulneretur. Ad hunc igitur modum, ii, quibus commissa fuit animarum gubernatio, testes, quicumque tandem illi sint, præparant, ut in posterum producantur. Sed Spiritus non ad usum occasionis, sed ob naturæ communionem Deo conjunctus est, haud ille quidem a nobis pertractus, sed a Domino adjunctus.

CAPUT XIV.

Objectio, quod et in Mosen nonnulli baptizati sunt, et in illum crediderunt ; et hujus solutio, ubi et de figuris.

I. Verum, inquiunt, tametsi baptizamur in Spiritu, non inde par est ut Spiritus cum Deo numeretur, quando et « In » Mosen nonnulli baptizati sunt in nube et in mari [3]. » Similiter autem et in confesso est jam fuisse etiam in homines fidem. « Credidit enim populus Deo et Mosi famulo ejus [4]. » « Quid igitur, inquiunt, ex fide ac baptismo Spiritum sanctum usque adeo attollis ac magnificas supra creaturam, cum eadem jam Scripturarum testimoniis tribuantur etiam hominibus. » Quid igitur dicemus? Nimirum illud, quod

[1] Gen. xxxi, 47. — [2] Jos. xxiv, 27. — [3] 1 Cor. x, 2. — [4] Exod. xiv, 32.

in Spiritum quidem fides est æque atque in Patrem et Filium, similiter etiam baptisma. Quod si et in Mosen, et nubem, velut in umbram et figuram. Neque vero quoniam divina rebus humilibus et humanis præfigurantur, ideo et divinorum humilis est natura, quam figurarum adumbratio sæpe præsignificavit. Est enim figura rerum, quæ expectantur, declaratio per imitationem, quod futurum est indicando præmonstrans. Velut Adam figura futuri, et petra figurate Christus [1]: et aqua promanans e petra [2], figura vivificæ potentiæ Verbi. « Si quis enim, » inquit, sitit, veniat ad me, et bibat [3]. » Et manna typus vivi panis, qui de cœlo descendit, et serpens super vexillo positus [4], salutiferæ passionis per crucem consummatæ; eoque qui respiciebant ad illum, servabantur. Similiter et quæ de eductis Israëlitis scripta, ad significationem eorum, qui baptismo salvi fiunt, narrata sunt. Servata sunt enim Israëlitarum primogenita [5], quemadmodum et baptizatorum corpora, cum gratia datur iis, qui sanguine signati fuerunt. Sanguis enim pecudis, figura sanguinis Christi: primogenita vero typus hominis, qui primus conditus est: qui quoniam necessario in nobis est, dum successionis serie usque ad finem transmittitur, ideo in Adam omnes morimur, et regnavit mors usque ad legis consummationem, et Christi adventum [6]. Conservata autem sunt a Deo primogenita, ne ea tangeret extinctor, ut ostenderetur nos jam non amplius mori in Adam, qui in Christo vivificati sumus. Cæterum mare et nebula in præsenti quidem inducebat ad fidem per admirationem; in futurum autem tanquam typus gratiam venturam præsignabat. « Quis sapiens et intelliget hæc [7]? » quomodo mare, per figuram baptisma, separans a Pharaone, quemadmo-

[1] 1 Cor. x, 4. — [2] Exod. xvii, 6. — [3] Joan. vii, 37. — [4] Num. xxi, 9. — [5] Exod. xii, 13. — [6] 1 Cor. xv, 22. — [7] Osee. xiv, 10.

dum et lavacrum hoc a diaboli tyrannide. Illud occidit hostem in sese, moritur et hic inimicitia, quæ nobis fuit cum Deo. Ab illo populus exiit illæsus : ascendimus et nos ab aquis tanquam ex mortuis vivi, servati per gratiam ejus, qui vocavit nos. Nubes autem umbra doni Spiritus, qui libidinum flammam mortificando membra refrigerat.

II. Quid igitur? num quia typice in Mosen baptizati sunt, ideo exigua est gratia baptismatis? Sane hoc pacto nec aliud quidquam in nostris mysteriis fuerit magnum, si quod in singulis augustum est, per præcedentes figuras deprimamus. Ac ne Dei quidem erga homines charitas magnum quiddam et eximium, qui unigenitum Filium dedit pro peccatis nostris, quandoquidem et Abraham filio suo non pepercit [1]; nec Domini passio gloriosa, siquidem aries loco Isaac victimæ figuram explevit [2]; neque descensus ad inferos horribilis, quandoquidem Jonas tribus diebus ac totidem noctibus mortis figuram prius explevit [3]. Idem ergo facit et de baptismate, qui veritatem cum umbra comparat, et cum figuris confert ea, quæ figuris significantur, ac per Mosen et mare totam simul evangelicam dispensationem elevare aggreditur. Nam quæ peccatorum remissio, quæ vitæ renovatio in mari, quod donum spirituale per Mosen? Quæ illic peccati interemptio? Non illi Christo commortui sunt, eoque nec cum illo resuscitati sunt. Non portabant imaginem illius cœlestis; non mortificationem Jesu in corpore circumferebant; non exuerunt veterem hominem; non induerunt novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem illius qui, eum condidit. Quid igitur confers baptismata, quorum sola communis appellatio; rerum autem tanta differentia, quanta somnii a veritate, ac umbræ et imaginum, ab his quæ revera subsistunt?

[1] Gen. XXII, 16. — [2] Ibid. 13. — [3] Joan. II, 11.

III. Sed et ipsa fides in Mosen, non fidem in Spiritum parvæ esse dignitatis ostendit, sed secundum istorum ratiocinationem, ea potius, quæ de Deo universorum profitemur, extenuat. « Credidit enim, inquit, populus Deo, » et Mosi famulo ejus [1]. » Deo itaque copulatus est Moses, non Spiritui; eratque typus, non Spiritus, sed Christi. Nam Dei et hominum mediatorem per seipsum tunc in ministerio legis præfigurabat. Neque enim Spiritus figura erat Moses, inter Deum et populum intercedens. « Data » est enim lex disposita per Angelos, in manu mediatoris [2], » videlicet Mosis, secundum provocationem populi dicentis: « Loquere tu nobis, et non loquatur nobis Deus[3]. » Itaque fides in Mosen ad Dominum refertur, mediatorem inter Deum et homines, qui dixit: « Si crederetis Mosi, cre» deretis utique mihi [4]. » An igitur parvi momenti fides in Dominum, quia per Mosen præsignata est? Sic si quis in Mosen baptizatus est, non idcirco exigua Spiritus gratia in baptismate. Quanquam alioqui possum dicere consuetudinem esse Scripturæ Mosis nomine etiam significare legem, velut illud: « Habent Mosen et Prophetas [5]. » Itaque de legali baptismate loquens, « Baptizati sunt, inquit, » in Mose [6]. » Cur igitur gloriationem nostræ spei, et dives illud Dei ac Servatoris nostri donum, qui per regenerationem renovat velut aquilæ juventutem nostram, contemptibile reddere conantur ii, qui ex umbra et figuris calumniantur veritatem? Profecto animi omnino infantilis est, puerique cui revera lacte est opus, ignorare magnum illud mysterium nostræ salutis: quod quemadmodum ad disciplinas discendas introduci solemus, ita in exercitatione pietatis, dum ad perfectionem inducimur, primum rebus, quæ facilius percipiuntur, et quarum cognitio nobis

[1] Exod. XIV, 32. — [2] Gal. III, 19. — [3] Exod. XX, 19. — [4] Joan. V, 46. — [5] Luc. XVI, 29. — [6] 1 Cor. X, 2.

congruit, ceu primis quibusdam elementis instituti sumus, Deo, qui nostra gubernat, quasi oculos in tenebris enutritos ad magnum veritatis lumen, paulatim assuefaciendo, subvehente. Dum enim infirmitati nostræ parcit, in profunda sapientiæ suæ opulentia, inque imperscrutabilibus intelligentiæ suæ judiciis placidam hanc nobisque accommodam adhibuit institutionem, prius corporum umbras intueri, et in aquis solem cernere consuefaciens, ne protinus spectaculo puræ lucis offensi caligaremus. Ad consimilem enim rationem tum lex umbram habens futurorum, tum per Prophetas facta olim delineatio, quæ est veritatis ænigma, exercitamenta oculorum cordis excogitata sunt: quod videlicet ab his futurus erat nobis transitus facilis ad reconditam in mysterio sapientiam. Itaque de figuris quidem hactenus. Neque enim licet huic loco diutius immorari. Alioqui quod obiter incidit, longe majus fieret argumento principali.

CAPUT XV.

Responsio ad id quod subinferunt, nos et in aquam baptizari: ubi et de baptismate.

I. Quid igitur ad hæc? Multis quippe solutionibus abundant. Etiam in aqua baptizamur, nec tamen aquam universæ creaturæ præferemus, neque ei Patris ac Filii honorem impertiemus. Atque illorum quidem verba talia sunt, qualia hominum ira commotorum, qui ob affusas rationi ex affectu tenebras, a nullo temperant, quod ad ulciscendum eum, a quo offensi sunt, faciat. Nos autem ne

de his quidem gravabimur disserere. Aut enim ignorantes docebimus, aut maligne obsistentibus non concedemus. Sed paulo altius.

II. Dei ac Servatoris nostri circa hominem dispensatio, revocatio est a lapsu, reditusque ad Dei familiaritatem ab alienatione, quam induxit inobedientia. Hanc ob causam adventus Christi in carne, evangelicæ conversationis formæ, afflictiones, crux, sepultura, resurrectio, ut homo qui salvus fit per imitationem Christi, veterem illam filiorem adoptionem recipiat. Itaque necessarium est ad vitæ perfectionem Christum imitari, non solum in exemplis, quæ in vita demonstravit, lenitatis, humilitatis ac patientiæ, verum etiam ipsius mortis, sicut Paulus ait Christi imitator : «Conformatus morti ejus, si quo modo perveniam » ad resurrectionem ex mortuis[1]. » Quomodo igitur fit, ut simus in similitudine mortis ejus[2]? consepulti cum illo per baptisma[3]. Quis igitur est modus sepulturæ, aut quis ex imitatione fructus? Primum quidem necesse est vitæ prioris seriem interrumpi. Id autem nemo potest consequi, nisi natus denuo[4], juxta Domini vocem : siquidem regeneratio, uti ipsum etiam nomen declarat, alterius vitæ initium est. Quare antequam alteram vitam incipias, oportet priori finem imponere. Quemadmodum enim in his, qui stadii finem assecuti sese reflectunt, statio quædam et requies inter contrarias motiones interponitur : sic et in mutatione vitæ videbatur necessarium, ut mors inter priorem et posteriorem vitam intercederet, quæ et præcedentia finiat, et initium det sequentibus. Quomodo igitur assequimur descensum ad inferos? Christi sepulturam imitantes per baptismum. Eorum enim, qui baptizantur, corpora quodammodo in aquis sepeliuntur. Proin

[1] Philip. III, 10, 11. — [2] Rom. VI, 5. — [3] Ibid. 4. — [4] Joan. III, 3.

depositionem operum carnis arcano modo significat baptismus, juxta Apostolum dicentem : « Circumcisi estis » circumcisione non facta manu, in expoliatione corporis » carnis, in circumcisione Christi, sepulti cum illo in baptismo[1]. » Ac baptisma quodam modo repurgat animam a sordibus, quæ ei a carnali sensu accedunt, juxta id quod scriptum est : « Lavabis me et super nivem dealbabor[2]. » Hanc ob causam non Judæorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed unum novimus salutiferum baptisma : quandoquidem una est pro mundo mors, et una ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptisma. Quapropter qui nostram vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac vitæ typum habens : mortis quidem imaginem explente aqua, Spiritu vero vitæ arrham præbente. Hinc itaque nobis perspicuum est quod quærebatur, quamobrem aqua conjuncta fuerit Spiritui. Cum enim duo scopi propositi sint in baptismo, videlicet ut aboleatur corpus peccati, ne postea fructificet morti, tum ut vivatur Spiritu, et fructus habeatur in sanctificatione : aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens; Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas nostras in pristinam vitam. Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et Spiritu : quippe quia mors perficitur in aqua, vitam vero nostram operatur Spiritus. Tribus igitur demersionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur, ut et mortis figura exprimatur, et per traditionem divinæ scientiæ animus illustretur eorum qui baptizantur. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia. « Non » enim est baptismus depositio sordium corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio apud Deum[3]. » Itaque ad eam

[1] Col. II, 11, 12. — [2] Psal. L, 9. — [3] I Petr, III, 21.

vitam, quæ est ex resurrectione, præparans nos Dominus, totam evangelicam conversationem proponit; ut non irascamur, ut malorum tolerantes simus, et a voluptatum amore puri, ut a studio pecuniæ mores sint liberi, præscribens, ita ut quæ illud sæculum juxta naturam possidet, ea nos præcipientes ex animi inductione peragamus. Proinde si quis definiens dicat Evangelium esse vitæ, quæ est ex resurrectione, figuram, mihi nequaquam videatur a recto aberrare. Ad scopum igitur revertamur.

III. Per Spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, ad regnum cœlorum ascensus, in adoptionem filiorum reditus : datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiæ Christi, filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem esse, et ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc sæculo, tum in futuro : repositorum nobis in promissis bonorum, quæ per fidem fruenda expectamus, perinde quasi jam adsint, gratiam velut in speculo contemplantes. Nam si talis est arrhabo, quale est illud, quod perfectum est? Et si tantæ sunt primitiæ, quæ erit totius consummatio? Insuper et illinc cognoscitur quantum inter eam gratiam, quæ a Spiritu proficiscitur, et baptismum, qui aqua constat, sit discriminis, quod Joannes quidem baptizavit in aqua ad pœnitentiam, Dominus autem noster Jesus Christus in Spiritu sancto. « Ego equidem, » inquit, baptizo vos in aqua ad pœnitentiam : qui autem » post me venit, potentior me est, cujus non sum » dignus ut gestem calceamenta : ipse vos baptizabit in » Spiritu sancto et igni [1]. » Ignis baptismum probationem quæ fiet in judicio, dicens, quemadmodum Apostolus ait : « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit [2]. » Et rursus, « Dies enim declarabit, quod in igne patefit [3]. » Jam

[1] Matth. III, 11. — [2] 1 Cor. III, 13. — [3] Ibid.

vero sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, revera non imitatione mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis, quæ sunt in aqua opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine. Neque hæc ita loquor, quod aquæ baptisma spernam, sed ut istorum rationes dejiciam, qui adversus Spiritum eriguntur; quique commiscent non miscenda, et similia faciunt, quæ comparationem respuunt.

CAPUT XVI.

Quod in omni notione Spiritus sanctus inseparabilis est a Patre et Filio, sive in creatione intelligibilium creaturarum, sive in humanarum rerum dispensatione, sive in judicio quod expectatur.

I. Ad id igitur, quod initio institutum est, redeamus, quod videlicet in omnibus Spiritus sanctus inseparabilis et prorsus indistractus sit a Patre et Filio. Paulus Corinthiis scribens eo in loco, in quo de dono linguarum tractat, ait : « Si omnes prophetetis, ingrediatur autem aliquis »infidelis, aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab »omnibus : occulta cordis ejus manifesta fiunt, atque ita »procidens in faciem, adorabit Deum, renuntians quod »Deus sit vere in vobis[1]. » Itaque si ex prophetia, quæ juxta distributionem donorum Spiritus editur, agnoscitur Deus in Prophetis esse, consultent isti quem locum attributuri sint Spiritui sancto : utrum æquius sit illum cum Deo jungere, an ad creaturarum ordinem extrudere. Quin

1 1 Cor. xiv, 24, 25.

et ista Petri ad Sapphiram verba : « Quid est quod convenit inter vos tentare Spiritum sanctum? non mentiti » estis hominibus, sed Deo[1], » ostendunt eadem in Spiritum sanctum, et in Deum esse peccata. Atque hoc etiam pacto discere poteris Spiritum sanctum in omni operatione conjunctum et inseparabilem esse a Patre et Filio. Cum Deus efficit distributiones operationum, ac Dominus divisiones ministrationum, simul adest Spiritus sanctus, partitionem donorum pro cujusque dignitate proprio arbitrio dispensans. « Nam, inquit, divisiones donorum sunt, idem » autem Spiritus; et divisiones administrationum sunt, idem » autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem » autem Deus, qui operatur omnia in omnibus[2]. Hæc autem » omnia, inquit, operatur unus et idem Spiritus, dividens » seorsim cuique, prout vult[3]. » Attamen non quoniam Apostolus primo loco meminit Spiritus, secundo Filii, tertio Dei et Patris, protinus oportet suspicari ordinem omnino inversum esse. A nostra siquidem habitudine sumpsit exordium. Nam cum dona accipimus, nobis is qui distribuit, occurrit primum : mox cogitamus eum, qui misit, postremo cogitationem perducimus ad fontem auctoremque bonorum.

II. Jam etiam ex rebus initio conditis discas licet Spiritus cum Patre et Filio communionem. Nam puræ et intelligentes et supermundanæ virtutes, sanctæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia a Spiritu sancto infusa sanctimoniam consecutæ. Quare silentio prætermissus est modus creationis cœlestium Virtutum; nam ex sensibilibus tantum Creatorem nobis aperuit is, qui conditi orbis conscripsit historiam. Tu vero, qui facultatem habes ex visibilibus invisibilia deprehendendi, glorifica Conditorem, «In quo condita sunt omnia, sive visibilia, sive invisibilia,

[1] Act. v, 9, 4-9. — [2] I Cor. XII, 4-6. — [3] Ibid. 11.

» sive Principatus, sive Potestates, sive Virtutes, sive Throni, » sive Dominationes[1], » et si quæ aliæ sunt rationales naturæ, quæ nominari non possunt. In horum autem creatione cogita mihi primariam causam eorum, quæ fiunt, Patrem, conditricem Filium, perfectricem Spiritum sanctum : ut voluntate quidem Patris sint administratorii Spiritus, Filii vero operatione perducantur ut sint, Spiritus autem præsentia perficiantur. Porro Angelorum perfectio est sanctificatio, et in hac perseverantia. Ac nemo me credat tres originales hypostases ponere, aut Filii operationem dicere imperfectam. Principium enim eorum, quæ sunt, unum est, per Filium condens, et perficiens in Spiritu. Ac nec Pater qui operatur omnia in omnibus, imperfectam habet operationem : neque Filius inconsummatam creationem, nisi a Spiritu perficiatur. Hoc enim pacto nec Pater opus habebit Filio, sola voluntate creans; attamen vult creare per Filium. Neque Filius egebit auxilio, juxta Patris similitudinem operans; sed et Filius vult per Spiritum perficere. Nam « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu » oris ejus omnis virtus eorum [2]. » Itaque nec verbum est significativa aëris percussio per vocis instrumenta prolata; nec Spiritus oris halitus partibus respiratoriis efflatus : sed « Verbum est quod in principio erat apud Deum, et » Deus erat[3]. » Spiritus autem oris Dei, « Spiritus est veritatis, » qui a Patre procedit[4]. » Itaque tria intelligis, mandantem Dominum, creans Verbum et confirmantem Spiritum. Quæ porro alia possit esse confirmatio, quam in sanctimonia perfectio, confirmationis voce significante constantiam, immutabilitatem et soliditatem in bono. Sanctificatio autem non est absque Spiritu. Neque enim cœlorum Virtutes suapte natura sanctæ sunt; alioquin nihil differ-

[1] Colos. I, 16. — [2] Psal. XXXII, 6. — [3] Joan. I, 1, 2. — [4] Id. XV, 26.

rent a Spiritu sancto : sed juxta proportionem, qua se invicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram. Quemadmodum enim cauterium non sine igne intelligitur, cum aliud sit subjecta materia, et aliud ignis : itidem et in cœlestibus Virtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus est aërius, aut ignis immaterialis, juxta id quod scriptum est : « Qui facit Angelos suos spi» ritus, et ministros suos flammam ignis [1] : » quapropter et in loco sunt, et fiunt visibiles, dum iis, qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum. Sed sanctificatio, quæ est extra substantiam illorum, perfectionem illis affert per communionem Spiritus. Conservant autem dignitatem per perseverantiam in bono, habentes quidem in eligendo liberum arbitrium, nunquam tamen ab ejus, qui vere bonus est, consortio excidentes : ita ut si subduxeris ratione Spiritum, perierint Angelorum choreæ, sublatæ sint quoque Archangelorum præfecturæ, atque confusa fuerint omnia : vita ipsorum nulli legi, nulli ordini, nulli regulæ subjaceat. Quomodo enim dicent Angeli : « Gloria in excelsis Deo [2]. » nisi a Spiritu accepta potestate? Nemo siquidem potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, et nullus in Spiritu Dei loquens dixit Jesum anathema : quod sane dixerint pravi et adversarii Spiritus, quorum lapsus comprobat quod dicimus, Virtutes invisibiles esse sui arbitrii, æque ad virtutem atque ad vitium vertibiles, et ob id opus habentes auxilio Spiritus. Ego vero ipsum Gabrielem haud alio modo arbitror prædicere futura [3], quam præscientia Spiritus, eo quod unum ex divisione donorum Spiritus sit prophetia. Porro qui mysteria visionis Viro desideriorum jussus erat annuntiare [4], unde nactus erat sapientiam, ut posset do-

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Luc. II, 14. — [3] Id. I, 26. — [4] Daniel, X, 10.

cere arcana, nisi per Spiritum sanctum; cum patefactio mysteriorum peculiariter ad Spiritum sanctum pertineat, juxta id quod scriptum est : « Nobis reseravit Deus per » Spiritum[1]. » Throni vero et Dominationes, Principatus et Potestates, quomodo beatam traducerent vitam, nisi semper viderent « Vultum Patris, qui in cœlis est[2]. » At visio non est absque Spiritu. Quemadmodum enim si in nocte tollas lucernam e domo, cæci sunt oculi, facultates relinquuntur inertes, nec agnoscitur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde ac ferrum conculcatur : sic in spiritali ordine, impossibile est piam illam ac sanctam vitam permanere citra Spiritum : nihilo profecto magis quam exercitus in recto ordine manere potest, absente duce; aut chorus in consonantia, nisi chori præfectus temperet harmoniam. Quî possent dicere Seraphim: « Sanctus, sanctus, sanctus[3], » nisi docti per Spiritum, quoties pium fuerit hujus glorificationis verba canere. Sive igitur laudant Deum omnes Angeli ejus ac omnes Virtutes ejus, fit Spiritus ope. Sive astant millies mille Angeli, ac centies centum millia ministrantium, officium suum citra reprehensionem in virtute Spiritus perficiunt. Itaque tota illa supercœlestis et ineffabilis harmonia, tum in cultu Dei, tum in ultramundanarum Virtutum inter ipsas consonantia nequaquam servari posset, nisi præesset Spiritus. Sic igitur in creatione, iis, quæ non proficiendo perveniunt ad perfectionem, sed ab ipsa protinus creatione perfecta sunt, adest Spiritus sanctus; in hoc ut perficiatur compleaturque illorum substantia, gratiam suam conferens.

III. Cæterum dispensationes circa hominem, quæ factæ sunt a magno Deo, et Servatore nostro Jesu Christo juxta bonitatem Dei, quis negabit per Spiritus gratiam esse ad-

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Matth. XVIII, 10. — [3] Esaï. VI, 3.

impletas? Sive velis prisca spectare, Patriarcharum benedictiones, auxilium per legem datum, figuras, prophetias, fortiter in bellis gesta, miracula per Sanctos edita; sive quæ circa Domini in carne adventum dispensata sunt, per Spiritum gesta sunt. Primo enim affuit ipsi carni Domini, dum factus unctio, et inseparabiliter conjunctus, sicut scriptum est: « Super quem videris Spiritum descendentem, » et manentem super eum, hic est Filius meus dilectus[1]. » Et, « Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto[2]. » Deinceps omnis actio præsente Spiritu peragebatur. Hic præsens aderat cum et a diabolo tentaretur. « Deductus » est, inquit, Jesus a Spiritu in desertum ut tentaretur[3]. » Tum edenti miracula indivulse aderat. « Si enim ego, in» quit, in Spiritu Dei ejicio dæmonia[4]. » Nec deseruit excitatum a mortuis. Dominus enim renovans hominem, eique iterum reddens gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat, cum inspirasset in faciem Discipulorum, quid ait? « Accipite Spiritum sanctum; quorumcumque remi» seritis peccata, remittuntur, et quorumcumque retinue» ritis, retenta sunt[5]. » Jam vero Ecclesiæ ordo et gubernatio, nonne palam et citra contradictionem per Spiritum sanctum peragitur? « Ipse enim, inquit, dedit Ecclesiæ » primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. » Adhæc virtutes, præterea dona sanationum, subsidia, » gubernationes, genera linguarum[6]. » Hic enim ordo juxta distributionem donorum Spiritus digestus est.

IV. Quin si quis accuratius perpendat, comperiet ne in tempore quidem illo, quo expectata Domini apparitio fiet de cœlo, otiosum fore Spiritum sanctum, ut quidam arbitrantur: sed simul aderit in illo etiam die revelationis illius, quo judicaturus est orbem terrarum in justitia ille

[1] Joan. I, 33. — [2] Act. x, 38. — [3] Matth. IV, 1. — [4] Id. XII, 28. — [5] Joan. XX, 22, 23. — [6] I Cor. XII, 28.

Beatus et solus potens. Quis enim adeo ignarus est bonorum, quæ Deus præparavit dignis, ut nesciat Justorum coronam esse Spiritus gratiam, quæ largius tunc perfectiusque dabitur, spirituali gloria cuique pro recte gestis distributa? « In splendoribus enim Sanctorum mansiones » multæ sunt apud Patrem [1] : » hoc est, dignitatis discrimina. « Sicut enim stella a stella differt in claritate, ita et resur- » rectio mortuorum [2]. » Itaque qui consignati sunt Spiritu sancto in diem redemptionis, quique Spiritus primitias, quas accepere, puras et integras servaverint, ii sunt qui audient : « Euge serve bone et fidelis, super pauca fuisti » fidelis, super multa te constituam [3]. » Similiter et qui contristaverint Spiritum sanctum pravitate studiorum suorum, aut qui non fecerint lucrum e sorte data, ab iis auferetur id quod acceperunt, beneficio in alios translato : aut secundum aliquem ex Evangelistis, etiam penitus discindentur [4] : dissectio siquidem intelligenda est in hoc, quod prorsus a Spiritu sancto alienabuntur. Neque enim corpus dividitur, ut una pars tradatur supplicio, altera absolvatur. Nam id quidem fabulosum, neque justo dignum Judice, cum totum peccaverit, dimidium addici pœnæ. Nec anima in duas partes secatur, cum tota per totum habuerit peccandi affectum, simulque cum corpore malum operetur. Sed dissectio, ut dixi, perpetua est animæ a Spiritu alienatio. Nunc enim tametsi non admiscetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adesse semel baptizatis, expectans ut salutem per conversionem consequantur : tum vero in totum ab anima, quæ gratiam ipsius profanaverit, resecabitur. Eoque non est in inferno qui confiteatur ; neque in morte qui memor sit Dei [5], cum jam non adsit sancti Spiritus adjutorium. Quomodo igitur intelligi

[1] Joan. XIV, 2. — [2] 1 Cor. XV, 41. — [3] Matth. XXV, 21. — [4] Id. XXIV, 51. — [5] Psal. VI, 6.

potest absque Spiritu sancto fieri judicium; cum Scriptura declaret ipsum esse et Justorum præmium, quando pro arrhabone exhibebitur quod perfectum est[1]; et primam peccatorum condemnationem, cum eo etiam quod habere videntur, spoliati fuerint? Porro maximum argumentum conjunctionis illius, quam Spiritus cum Patre et Filio habet, illud est, quod eodem modo dicitur habere se erga Deum, quo erga unumquemque nostrum se habet Spiritus, qui est in nobis. « Quis, inquit, hominum novit ea quæ » sunt hominis, nisi spiritus, qui est in ipso? Sic et quæ » Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus qui ex Deo est[2]. » Et hæc quidem hactenus.

CAPUT XVII.

Adversus eos qui dicunt non connumerari Patri ac Filio sanctum Spiritum, sed subnumerari: ubi et de pia connumeratione summarius fidei decursus.

I. Cæterum subnumerationem quid dicant, aut in cujus rei significationem vocem hanc usurpent, ne cogitare quidem facile est. Nam et hanc nobis e mundi sapientia fuisse invectam, notum est omnibus et perspectum. An vero aliquam habeat propriam rationem ad id quod nunc agitur, hoc consideremus. Aiunt igitur qui rerum inanium periti sunt, quædam nomina esse communia, quorum significatio multa complectitur: alia magis propria; et alia aliis vim habere magis peculiarem. Exempli causa, commune nomen est essentia, quod pariter de omnibus

[1] 1 Petri, I, 12. — [2] 1 Cor. II, 11.

prædicatur, sive inanimis sive animatis. Peculiarius autem animal, quod de paucioribus quidem prædicatur quam illud prius, sed tamen ejus contemplatio magis extenditur, quam eorum, quæ illi subjecta sunt. Nam in eo, rationalium simul et irrationalium natura comprehenditur. Rursum magis speciale nomen est homo, quam animal : item vir specialius est nomen quam homo, et viro specialius est hic aut ille vir, puta Petrus, aut Paulus, aut Joannes. An igitur hoc subnumerationem esse sentiunt, rei communis in ea, quæ subjecta sunt, divisionem ? At non crediderim illos ad tantum stuporem devenisse, ut dicant Deum universorum, velut communitatem quamdam ratione sola intelligibilem, nulla autem in hypostasi subsistentem, in subjecta dividi : deinde hanc subdivisionem etiam subnumerationem dici. Istud sane ne insani quidem dixerint. Nam præter impietatem, etiam sermonem instituunt, cum eo quod proponunt pugnantem : siquidem quæ subdividuntur, ejusdem sunt essentiæ, cujus sunt illa a quibus dividuntur. Sed ob magnam absurditatis evidentiam videmur oratione destitui, nec habere quibus verbis illorum stultitiam reprehendamus, adeo ut mihi videantur propter amentiam aliquid lucrifacere. Quemadmodum enim in corpora mollia cedentiaque non possis egregiam plagam impingere, eo quod obsistere contraque niti non queant : ita eos qui palam insaniunt non possis forti ac virili redargutione percellere. Superest igitur, ut abominandam illorum impietatem silentio prætereamus. At non patitur silere me nec fratrum charitas, nec adversariorum improbitas.

II. Quid igitur dicunt? Videte quanta sit in dictis illorum arrogantia. « Nos, inquiunt, profitemur iis, qui honore pares sunt, convenire connumerationem : iis vero, qui inferioris sunt conditionis, subnumerationem. » Et istud

cur tandem dicitis? Neque enim intelligo absurdam vestram sapientiam. An quod aurum auro connumeratur, plumbum vero non item erit dignum, quod connumeretur, sed ob materiæ vilitatem subnumerabitur auro? Atque etiam vim-ne tantam tribuitis numero, ut is vel rerum vilium pretium attollere, vel pretiosarum rerum dignitatem dejicere valeat? Ergo rursus aurum pretiosis lapidibus subnumerabis; atque in his ipsis, elegantioribus ac majoribus subnumerabis minus lucidos ac minores. Sed quid non dicant, qui ad nihil aliud vacant, nisi aut ad dicendum, aut audiendum aliquid novi? Posthac cum Stoicis et Epicureis nominentur qui impietatem inita subductaque ratione docent. Quæ namque vel possit fieri rerum viliorum ad pretiosiores subnumeratio? Æreus obolus aureo stateri quomodo subnumerabitur? « Quoniam non dicimus, inquiunt, duo possideri numismata, sed unum et unum. » Utrum igitur utri horum subnumeratur? Nam utrumque similiter profertur. Itaque si quodque per se numeres, facis æqualitatem pretii eodem numerandi modo: sin autem ea conjunxeris, rursus unam et eamdem facis dignitatem, utrumque alteri connumerans. Quod si quidquid in numerando posteriore loco posueris, id habebit subnumerationem; numeranti in manu est, ab æreo numismate numerationem incipere. Sed imperitiæ confutationem in aliud tempus rejicientes, ad ea, quæ rem causamque continent, orationem vertamus.

III. Etiam-ne Filium dicitis subnumerari Patri, ac Spiritum Filio; an soli Spiritui tribuitis subnumerationem? etenim si Filium quoque subnumeratis, rursus eamdem impietatis doctrinam instauratis, dissimilitudinem essentiæ, dignitatis dejectionem, nativitatem tempore posteriorem, et in summa, omnes simul blasphemias in Unigenitum unico isto verbo revolvere ostendemini: quibus

contradicere prolixius est, quam pro præsenti instituto, præsertim cum aliis in locis impietas a nobis pro viribus refutata sit. Quod si soli Spiritui putant convenire subnumerationem, discant Spiritum eodem modo pronuntiari cum Domino, quomodo et Filius pronuntiatur cum Patre. Nomen enim Patris et Filii et Spiritus sancti similiter editum est. Itaque quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium sese habet Spiritus, secundum traditum in baptismo verborum ordinem. Quod si Spiritus Filio junctus est, Filius autem Patri, liquet ipsum etiam Spiritum Patri adjungi. Quem igitur locum habet, ut dicant alterum connumerari, alterum subnumerari, cum in una eademque serie nomina sint ordinata? In summa porro, quæ res ex omni rerum genere unquam a sua ipsius natura excidit dum numeratur? Nonne potius quæ numerantur, talia perseverant qualia sunt ab initio; numerus autem adhibetur a nobis ceu signum, quo declaratur multitudo suppositorum? Nam ex corporibus alia numeramus, alia metimur, alia libramus : et quorum continua est natura, ea mensura comprehendimus : quorum discreta, numero subjicimus, exceptis iis, quæ ob tenuitatem rursus fiunt etiam mensurabilia : quæ vero gravia sunt, libræ momento discernimus. Non itaque quoniam nobis ipsis signa ad quantitatis notitiam excogitavimus, protinus etiam naturam eorum, quæ signata sunt, immutavimus. Quemadmodum igitur quæ libra expendimus, ea non sublibramus inter sese, etiamsi unum sit aurum, alterum stannum; neque submetimur quæ mensura dijudicantur : ita nec ea, quæ numerantur, ullo modo subnumerabimus. Quod si in cæteris nihil est, quod subnumerationem recipiat, qua fronte dicunt Spiritui competere subnumerationem? At hi ethnico morbo laborantes, existimant quæ

[1] Matth. xxviii, 19.

dignitatis gradu aut naturæ ac substantiæ submissione inferiora sunt, iis convenire subnumerationem.

CAPUT XVIII.

Quomodo in professione trium hypostaseon pium monarchiæ dogma servamus, ubi et eorum, qui dicunt Spiritum subnumerari, refutatio.

I. Cum Patrem et Filium et Spiritum sanctum traderet Dominus[3], non cum numero simul tradidit. Non enim dixit : « In primum et secundum et tertium, neque in unum et duo et tria : » sed per sancta nomina, cognitionem fidei ad salutem perducentis largitus est. Quare quod nos salvos facit, fides est. Numerus vero, signum declarans quot sint supposita, excogitatus est. Sed qui undelibet sibi ipsis noxas contrahunt, etiam numerandi facultate adversus fidem abutuntur : qui quidem cum nulla alia res ob numeri accessionem immutetur, tamen in divina natura numerum metuunt, ne scilicet per eum honoris Paracleto debiti modum excedant. Sed, o sapientissimi, sint maxime supra numerum, quæ non possumus assequi; quemadmodum prisca Hebræorum pietas propriis ac peculiaribus notis ineffabile Dei nomen exarabat, inde etiam ejus supra omnia eminentiam declarans. Quod si et numerus adhibendus est, nequaquam et per eum depravanda veritas. Aut enim silentio honorentur ineffabilia, aut pie numerentur sancta. Unus Deus et Pater, et unus Unigenitus Filius, et unus Spiritus sanctus. Unamquamque hypostasim singulariter

[1] Matth. xxviii, 19.

efferimus; cum autem connumerare opus fuerit, haudquaquam indocte numerando ad plurium deorum notionem efferimur.

II. Neque enim juxta compositionem numeramus, ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus unum, duo, tria, neque primum, secundum ac tertium. « Ego » enim Deus primus, et ego post hæc[1]. » Secundum autem Deum nunquam hactenus audivimus : quippe Deum ex Deo adorantes, etiam proprietatem profitemur hypostaseon, manemusque in uno principatu, non dissipantes theologiam in scissam multitudinem : eo quod unam in Deo Patre et Deo unigenito formam, ut ita loquar, contemplamur, in una et omnino simili Deitate expressam. Filius enim in Patre, et Pater in Filio : quandoquidem hic talis est, qualis ille, et ille qualis hic; atque in hoc unum sunt. Itaque juxta personarum proprietatem, unus sunt et unus : at juxta communem naturam, unum sunt. Quomodo igitur si unus et unus sunt, non sunt duo dii? Quoniam rex dicitur et regis imago, non autem duo reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum enim principatus ac potestas nobis dominans una est : sic et glorificatio quam illi deferimus una est, non multæ : nam imaginis honor ad exemplar transit. Quod igitur hic est per imitationem imago, hoc illic natura Filius. Et quemadmodum in iis, quæ arte fiunt, similitudo est secundum formam : ita in divina incompositaque natura, in communione Deitatis est unio. Unus autem est et Spiritus sanctus, atque ipse singulariter enuntiatur, per unum Filium uni Patri copulatus, ac per se complens glorificandam super omnia ac beatam Trinitatem : cujus cum Patre et Filio consortium satis illud declarat, quod in turba creaturarum positus non est, sed solitarie profertur.

[1] Esaï. XLIV, 6.

Neque enim unus est de multis, sed unus est. Quemadmodum enim unus est Pater, et unus Filius : ita et unus est Spiritus sanctus. Et vero a creaturarum natura tantum semovetur, quantum par est id quod singulare est, a collectivis et multitudinem habentibus distare. Patri autem ac Filio in tantum unitus est, quantum consortii habet unitas cum unitate.

III. Sed nec hinc solum probatur naturæ communio : verum illinc quoque, quod ex Deo esse dicitur, non sicut ex Deo sunt omnia, sed tanquam ex Deo procedens : non per generationem quemadmodum Filius, sed tanquam Spiritus oris ejus. Omnino autem nec os membrum est, nec Spiritus est flatus resolubilis : sed et os, prout Deo convenit, dicitur, et Spiritus essentia vivens, sanctificationis domina : ita ut consortium quidem inde declaretur ; modus autem existentiæ ineffabilis servetur. Quin et Spiritus Christi dicitur, tanquam illi natura conjunctus. Eoque « Si quis Christi Spiritum non habet, hic non est ejus [1]. » Unde solus Spiritus digne glorificat Dominum. « Ille enim, » inquit, me glorificabit [2], » non ut creatura, sed tanquam Spiritus veritatis, dilucide in seipso declarans veritatem, et tanquam Spiritus sapientiæ, Christum qui est Dei virtus et Dei sapientia, in sua magnitudine revelans. Denique tanquam Consolator in seipso exprimit Consolatoris, a quo missus est, bonitatem ; et in sua propria dignitate ejus, a quo processit, majestatem exhibet. Est igitur gloria, alia quidem naturalis, veluti gloria solis est lumen : alia externa, quæ ex libera voluntate cum judicio dignis defertur. At hæc rursum gemina est. « Filius enim, inquit, » glorificat Patrem et servus dominum suum [3]. » Itaque ex his duabus, ea quæ servilis est a creatura defertur : altera vero quæ, ut ita loquar, contubernalis est, a Spiritu præs-

[1] Rom. VIII, 9. — [2] Joan. XVI, 14. — [3] Malach. I, 6.

tatur. Quemadmodum enim de seipso dixit : « Ego te glorificavi super terram, opus perfeci quod dedisti mihi ut perficerem[1] : » sic et de Paracleto dictum est : « Ille me glorificabit, quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis[2]. » Et quemadmodum Filius glorificatur a Patre, qui ait : « Et glorificavi, et iterum glorificabo[3] : » sic glorificatur Spiritus per consortium quod habet cum Patre et Filio, et per Unigeniti testimonium, dicentis : « Omne peccatum et blasphemia remittetur vobis hominibus, sed in Spiritum blasphemia non remittetur[4]. »

IV. Cum autem per vim illuminatricem intendimus oculos in pulchritudinem imaginis Dei invisibilis, perque hanc subvehimur ad pulcherrimum spectaculum archetypi ; ibi videlicet adest inseparabiliter cognitionis Spiritus, vim imaginis speculativam in seipso exhibens iis, qui veritatis contemplatione delectantur ; non foris ostendens, sed in se ipso inducens ad agnitionem. Quemadmodum enim « Nemo novit Patrem nisi Filius[5] : » sic nullus potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Non enim dictum est : « Per Spiritum, » sed « In Spiritu[6]. » Et, « Spiritus est Deus : » et « Qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare[7] : » sicut scriptum est, « In lumine tuo videbimus lumen[8] : » hoc est, in illustratione Spiritus lumen verum, « Quod illuminat omnem hominem venientem in mundum[9]. » Itaque in seipso ostendit Unigeniti gloriam, et veris adoratoribus in seipso Dei cognitionem præbet. Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu, per unum Filium ad unum Patrem. Ac rursus nativa bonitas et naturalis sanctimonia et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum permanat. Ad hunc modum et hypos-

[1] Joan. XVII, 4. — [2] Id. XVI, 14. — [3] Id. XII, 28. — [4] Matth. XII, 31. — [5] Id. XI, 27. — [6] 1 Cor. XII, 3. — [7] Joan. IV, 24. — [8] Psal. XXXV, 10. — [9] Joan. I, 9.

tases profitemur, nec pium monarchiæ dogma labefactatur. Cæterum qui subnumerationem ponunt, dicentes primum, secundum ac tertium, sciant sese deorum multitudinem, juxta gentium errorem in illibatam Christianorum theologiam inducere. Ad nihil enim aliud tendit subnumerationis dolosa inventio, quam ut profiteamur Deum primum, secundum, ac tertium. Sed nobis sufficit a Domino præscriptus ordo, quem qui confundet non minus peccabit, quam peccat istorum impietas. Quod ergo naturalis communio nequaquam modo subnumerationis dissolvitur, velut isti errando putant, satis dictum est. Sed concedamus pertinaci et inaniter sapienti, demusque id quod aliquo posterius est, sic exprimi, ut ei subnumeretur. Videamus jam quid ex hoc sermone consequatur. « Primus, » inquit, homo de terra terrenus : secundus homo Dominus » de cœlo [1]. » Et alibi : « Non primum, inquit, quod spiri» tuale est, sed quod animale, deinde quod spirituale [2]. » Ergo si primo subnumeratur secundum, id autem quod subnumeratur vilius est eo cui subnumeratur : igitur secundum vos vilior est spiritualis animali, et homine terreno cœlestis.

CAPUT XIX.

Adversus eos qui dicunt non esse glorificandum Spiritum.

I. Sit ita, inquiunt, at ea gloria nullo pacto debetur Spiritui, ut a nobis glorificationibus sit extollendus. Unde

[1] 1 Cor. xv, 47. — [2] Ibid. 4 .

igitur probaturi sumus Spiritus dignitatem intellectum omnem superantem, si Patris et Filii communio visa est istis minime sufficiens ad id testificandum? Sane possumus et ad ea, quæ nominibus significantur respicientes, et ad operationum ejus magnitudinem, et ad beneficia quæ in nos, imo quæ in omnem creaturam confert, pro modulo nostro naturæ illius sublimitatem ac potentiam incomprehensibilem percipere. Spiritus vocatus est, ut est illud, » Spiritus Deus. » Et, « Spiritus vultus nostri, Christus Do» minus [1]. » Sanctus dicitur, quemadmodum sanctus Pater, et sanctus Filius. Creaturæ siquidem inducta est aliunde sanctimonia : Spiritui vero sanctitas completiva est naturæ. Ideoque non sanctificatur, sed sanctificat. Bonus item dicitur sicut Pater bonus est, et sicut bonus est is, qui ex bono natus est : cui bonitas est ipsa essentia. Rectus vocatur, « Ut rectus Dominus Deus [2], » eo quod per se sit ipsa veritas, et ipsa justitia, nec in hanc nec in illam partem se vertens aut flectens, propter naturæ immutabilitatem. Paracletus nuncupatur velut Unigenitus : sicut ipse ait: « Ego rogabo Patrem meum, et dabit vobis alium Para» cletum [3]. » Hoc pacto communia sunt nomina Patri, Filio, et Spiritui sancto, qui has appellationes ex naturæ consortio habet. Unde enim aliunde? Rursum Spiritus principalis, et Spiritus veritatis, et Spiritus sapientiæ dictus est. « Spiritus divinus qui me fecit [4]. » Et, « Beseleel, » inquit, implevit Deus Spiritu divino sapientiæ et intelle» ctus et scientiæ [5]. » Talia igitur nomina eximia illa quidem et magna, nec tamen, quid ad gloriam attinet, exaggerationem ullam habentia.

II. At operationes quales sunt? Ineffabiles quidem ob magnitudinem, innumerabiles vero ob multitudinem. Nam

[1] Thren. IV, 20. — [2] Psal. XCI, 16. — [3] Joan. XIV, 16. — [4] Job. XXXIII, IV. — [5] Exod. XXXI, 3.

quo pacto intelligemus ea, quæ fuerunt ante sæcula? Quæ erant illius operationes ante creaturam intelligibilem? Quanta autem ab illo beneficia in creaturam? Adhæc quæ potestas ad ventura sæcula? Erat enim, et ante erat, et simul aderat cum Patre et Filio ante sæcula. Quare etiamsi quid cogitaris ante sæcula, hoc tamen reperias Spiritu esse posterius. Quod si creationem reputes, consolidatæ sunt cœlorum Virtutes a Spiritu, ita ut consolidationem intelligas firmitatem, quæ non facile bonorum habitu excidat. Etenim quod Deo conjunctæ sunt, quodque ad malitiam verti non queunt, quodque in beatitudine perpetuo perseverant Virtutes, id illis a Spiritu accedit. Christi adventus : Spiritus præcurrit. In carne adventus, et Spiritus inseparabilis. Operationes Virtutum, dona sanationum, sed per Spiritum sanctum. Dæmones expulsi in Spiritu Dei. Diabolus spoliatus est imperio simul præsente Spiritu. Peccatorum facta remissio, sed in gratia Spiritus. « Abluti » enim estis et sanctificati in nomine Domini nostri Jesu » Christi, et in Spiritu sancto [1]. » Conjunctio cum Deo fit per Spiritum. « Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda » nostra, clamantem, Abba Pater [2]. » Resurrectio a mortuis, Spiritus virtute. « Emittes siquidem Spiritum tuum, » et creabuntur, et renovabis faciem terræ [3]. » Sive quis creationem accipiat de extinctorum reviviscentia; annon magna Spiritus operatio, qui nobis suppeditat vitam ex resurrectione, et ad spiritualem illam vitam animas nostras adaptat? Sive creatio dicatur esse eorum, qui hic per peccatum lapsi sunt, in meliorem statum mutatio (nam ita quoque nonnunquam usurpatur juxta Scripturæ consuetudinem, velut cum Paulus dicit : « Si qua in Christo nova » creatura [4]) » renovatio quæ hic fit, et a vita terrestri ac tur-

[1] 1 Cor. VI, 11. — [2] Gal. IV, 6. — [3] Psal. CIII, 30. — [4] 2 Cor. V, 17.

bulentis affectibus obnoxia ad cœlestem conversationem transmutatio, quæ fit in nobis per Spiritum, ad summam admirationem deducit animos nostros. In his utrum metuere debemus, ne dignitatem immodicis honoribus transgrediamur : an contra, ne illius notionem ad humilia deprimamus, etiamsi videamur maxima de eo loqui, quæ quidem humana mente concipi, humanaque lingua proferri possunt? « Hæc dicit Spiritus sanctus, » sicut, « Hæc » dicit Dominus. Descende, et perge cum illis, nihil hæsi» tans, quoniam ego misi illos [1]. » Num hæc sunt abjecti ac metu consternati verba? « Separate mihi Barnabam et » Saulum in opus ad quod accersivi illos [2]. » Num servus ita loquitur? Et Esaïas, « Dominus misit me, et Spiritus » ejus [3]. » Et, « descendit Spiritus a Domino, et deduxit il» los. » At ne rursus mihi deductionem accipias pro humili ministerio. Nam hoc opus etiam Dei esse testatur Scriptura. « Deduxisti, inquit, sicut, oves populum tuum [4]. » Et, « Qui deducis velut ovem Joseph [5]. » Et, « Deduxit eos » in spe, et non timuerunt [6]. » Proinde cum audieris: « Cum » venerit Paracletus, ille vobis suggeret, ac vos ducet in » omnem veritatem [7], » cogita deductionem, sicuti doctus es, ne calumnieris cogitatum.

III. At, inquies, « Etiam interpellat pro nobis [8] : » proinde quantum is, qui supplex est, beneficii auctore inferior est, tantum quoque Spiritus ratione dignitatis a Deo remotus. At tu nondum audisti de Unigenito, quod is est in dextra Dei, et interpellat pro nobis? Itaque quia Spiritus in te est, si tamen omnino in te est, et quia nos excæcatos ad eligendum quod utile est, docet, deducitque, ne eam ob causam piam ac sanctam de eo opinionem amittas. Nam pro-

[1] Act. x, 20. — [2] Id. iii, 2. — [3] Esaï. xlviii, 16. — [4] Psal. lxxvi, 21. — [5] Id. lxxix, 1. — [6] Id. lxxvii, 53. — [7] Joan. xiv, 26, et xvi, 13. — [8] Rom. viii, 34. — [9] Ibid.

fecto summus fuerit ingrati animi gradus, benefacientis humanitatem ad ingrati animi occasionem vertere. « Nolite » igitur contristare Spiritum sanctum [1]. » Audite quid dicat Martyrum primitiæ Stephanus, inobedientiam ac rebellionem exprobrans populo. « Vos, inquit, semper Spiritui » sancto resistitis [2]. » Et rursum Esaïas, « Exacerbaverunt » Spiritum sanctum, et versus est illis in inimicitiam [3]. » Et alibi, « Domus Jacob irritavit Spiritum Domini. » Audite, inquam, annon hæc summam potentiam declarent? Judicio legentium permitto, quas tandem oporteat eos, qui hæc audiunt, opiniones concipere; utrum tanquam de instrumento, deque obediente, et parem conditionem cum creatura sortito, denique nobis conservo sentire; an gravissimum vel verbo solo hanc blasphemiam piorum aures subire? Servum dicis Spiritum? « Sed servus, inquit, non novit quid faciat Dominus ipsius : Spiritus autem non aliter novit quæ sunt Dei, quam spiritus hominis novit quæ in ipso sunt [4]. »

CAPUT XX.

Adversus eos, qui dicunt Spiritum nec in servili, nec in herili conditione esse, sed in conditione liberorum.

« Neque servus, inquit, neque Dominus, sed liber. » O mirum stuporem! o miserandam audaciam ista loquentium! Quid amplius deplorem? utrum inscitiam, an blasphemiam istorum? Qui quidem de Deo dogmata humanis

[1] Ephes. IV, 30. — [2] Act. VII, 51. — [3] Esaï. LXIII, 10. — [4] 1 Cor. II, 11.

exemplis dedecorant, ac hominum consuetudinem, per quam dispar est dignitatum excellentia, ad divinam et ineffabilem naturam accommodare nituntur : haud reputantes apud homines quidem nullum esse natura servum. Aut enim potentia oppressi, sub jugum servitutis inducti sunt, velut in bello capti : aut ob paupertatem in servitutem adacti sunt, velut Ægyptii Pharaoni : aut juxta sapientem quamdam et arcanam dispensationem, qui inter filios deteriores sunt, parentum voce, sapientioribus ac melioribus in servitutem addicti sunt; quam haudquaquam condemnationem, sed beneficium potius dixerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam, non habet in sese id quod natura imperat, huic utilius est alterius fieri mancipium, ut dum dominantis prudentia dirigitur, similis sit currui, qui aurigam recepit, aut navi, quæ nauclerum habet clavo assidentem. Hanc ob causam Jacob Dominus Esaü ex benedictione patris [1], ut stultus a sapiente vel invitus beneficio afficeretur, quippe non habens proprium curatorem, videlicet mentem. Et Chanaan filius servus erit fratribus suis [2], quoniam indocilis erat ad virtutem, imprudentem habens patrem, videlicet Cham. Ad hunc igitur modum hic fiunt servi. Liberi vero sunt, qui effugerunt paupertatem, aut bellum, aut qui aliorum cura non egent. Itaque quamvis hic herus, ille servus appelletur, omnes tamen et quatenus sumus ejusdem inter nos conditionis, et tanquam illius, qui nos condidit mancipia, conservi sumus. Illic porro quid potes e servitute eximere? Nam statim ac condita sunt, simul cum eis condita servitus. Sibi enim invicem non imperant, eo quod cœlestia plus habendi non tenentur desiderio. Deo autem subjecta omnia, ac tanquam domino debitum timorem, ac tanquam conditori debitam gloriam persolvunt. « Filius enim gloria afficit

[1] Gen. XXVII, 37. — [2] Gen. IX, 25.

» patrem, et servus dominum suum [1]. » Et ex his duobus alterum omnino Deus requirit. « Nam si Pater, inquit, » sum ego, ubi est gloria mea? Si Dominus sum ego, ubi » est timor meus [2]? » Alioqui vita custodiæ ac inspectioni Domini non subdita, omnium maxime miserabilis foret. Cujusmodi sunt virtutes desertrices, quæ quod cervicem erexerunt adversus Deum omnipotentem, servitutem detrectant, non quod aliter natura comparatæ sint, sed quod subditæ esse nolint Creatori. Quem igitur appellas liberum? Eum qui sine rege est? Qui neque imperandi alteri potestatem habet, neque alterius imperium admittit? At nec est istiusmodi natura in rebus conditis, et hoc de Spiritu cogitare aperta impietas est. Quare si Spiritus creatus est, profecto servit cum omnibus. « Omnia enim, » inquit, serviunt tibi [3] : » sin supra creaturam est, regni quoque consors est.

CAPUT XXI.

Testimonia ex Scripturis Spiritum appellari Dominum.

Sed quid opus est ex rebus humilibus pugnantes, doctrinæ turpiter parare victoriam, cum liceat illustriorum appositione gloriæ excellentiam, cui contradici non possit, demonstrare? Quod si proferemus ea quæ nos Scriptura docuit, fortisan magno vehementique clamore vociferabuntur, et auribus obturatis Pneumatomachi tollentes lapides, aut quidquid forte occurrerit, in arma quisque vertentes, in nos irruent. Sed non est nobis incolumitas

[1] Malach. I, 6. — [2] Ibid. — [3] Psal. CXVI, 91.

anteponenda veritati. Invenimus igitur apud Apostolum : « Dominus autem dirigat corda vestra in dilectionem Dei, » et in patientiam Christi pro tribulationibus [1]. (16) » Quis est Dominus dirigens in dilectionem Dei, et in patientiam Christi pro tribulationibus ? Respondeant nobis, qui Spiritum in servitutem adigunt. Sive enim de Deo et Patre fuisset sermo, omnino dixisset : « Dominus vos dirigat in » dilectionem sui : » sive de Filio, addidisset, « In suam » ipsius patientiam. » Quærant igitur quænam sit alia persona, quam Domini vocabulo deceat honorari. Huic affine est et illud, quod alibi positum est : « Dominus vos im- » pleat, et abundare faciat charitate, in vos invicem et in » omnes, quemadmodum et nos in vos, ad confirmandum » corda vestra irreprehensibilia in sanctificatione, coram » Deo et patre nostro, in adventu Domini nostri Jesu » Christi cum omnibus Sanctis suis [2]. » Quem Dominum precatur, coram Deo et Patre nostro in adventu Domini nostri irreprehensibilia fidelium Thessalonicensium corda, confirmata in sanctitate constabilire ? Respondeant nobis, qui cum ministratoriis spiritibus, qui mittuntur ad ministerium, collocant Spiritum sanctum. At non habent quod respondeant; quapropter audiant et aliud testimonium, evidenter Spiritum sanctum appellans Dominum. « Do- » minus, inquit, Spiritus est [3]. » Et rursum : « Tanquam a » domino Spiritu [4]. » Ne vero ulla relinquatur occasio contradicendi, ipsa Apostoli verba proferam in medium : « Usque ad hodiernum enim diem idem velamen in lectione » Veteris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo » abregatur. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, » tolletur velamen. Dominus autem Spiritus est [5]. » Cur hoc dicit ? Quoniam qui nudo intellectui litteræ assidet, et

[1] 2 Thess. III, 5. — [2] 1 Ibid. 12, 13. — [3] 2 Cor. III, 17. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 14-17.

illic circa legales observationes occupatus est, judaïca litteræ interpretatione quasi velo tectum habet cor : atque id illi accidit, eo quod ignoret corporalem legis observationem in adventu Christi abolitam esse, jam figuris ad veritatem translatis. Sunt enim supervacaneæ lucernæ solis adventu, et cessat lex, et prophetiæ silent, simul ut illuxit veritas. At qui potuit ad profunda legalis sensus penetrare, ac discussa legis obscuritate, ceu velamento, introire ad arcana, hic Mosen imitatus est, velamen, dum loquitur cum Deo, tollentem [1] ; ipse se etiam convertens a littera ad spiritum. Quare velamini quod impositum est super faciem Mosi, respondet legalium documentorum obscuritas : conversioni autem ad Dominum respondet spiritualis intelligentia. Ergo qui in lectione legis aufert litteram, convertit sese ad Dominum (Dominus autem nunc Spiritus dicitur) ac similis redditur Mosi, ex apparitione Dei faciem glorificatam habenti. Sicut enim quæ juxta floridos colores posita sunt, e splendore promanante colorantur et ipsa : sic qui evidenter intendit oculos in Spiritum, ex illius gloria quodammodo transformatur ut fiat illustrior, dum veritate a Spiritu promanante, ceu luce quadam, corde illuminatur. Et hoc est transformari a gloria Spiritus ad propriam gloriam, haud parce, neque tenuiter, sed in tantum, quantum par est illustrari eum qui a Spiritu illuminatur. Non vereris, o homo, Apostolum dicentem : « Templum » Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis [2]? » Num potuisset unquam servile domicilium appellatione templi honorare? Quid qui Scripturam divinitus inspiratam appellat, eo quod afflatu Spiritus scripta sit [3]? num contumeliosis et Spiritum attenuantibus verbis utitur?

[1] Exod. xxxiv, 34. — [2] 1 Cor. iii, 16. — [3] 2 Tim. iii, 16.

CAPUT XXII.

Confirmatio naturalis communionis Spiritus, eo quod æque ac Pater et Filius incomprehensibilis est.

Non solum autem ex hoc quod easdem habet appellationes, et in operationibus consors est Patri et Filio, dilucet naturæ illius excellentia ; verum etiam ex eo quod pariter incomprehensibilis est intellectu. Quæ enim de Patre loquitur, quod sit supra cogitationem humanam, quæque de Filio, eadem Dominus et de Spiritu sancto dicit : « Pater juste, et mundus te non cognovit [1]. » Mundum appellans hic non globum e cœlo et terra constantem, sed caducam hanc innumerisque mutationibus obnoxiam vitam. Ac de seipso loquens : « Adhuc modicum, inquit, » et mundus me jam non videt, vos autem videtis me [2] : » rursus hic eos, qui materiali carnalique vita devincti sunt, et oculis tantum expendunt veritatem, mundum appellans ; qui non amplius oculis cordis visuri erant Dominum nostrum, eo quod resurrectionem non crederent. Hæc autem eadem dixit et de Spiritu : « Spiritum, inquit, veritatis, » quem mundus non potest accipere, quod non videat » illum, neque cognoscat eum : vos autem cognoscitis illum, » quod apud vos manet [3]. » Carnalis siquidem homo mentem habens ad contemplationem haud exercitatam, imo vero totam in affectu carnis velut in cœno defossam gerens, non potest ad spirituale lumen veritatis attollere oculos. Quapropter mundus, hoc est, carnis cupiditatibus

[1] Joan. XVII, 25. — [2] Id. XIV, 19. — [3] Ibid. 17.

addicta vita, velut oculus imbecillis non ferens radii solaris lumen, Spiritus gratiam non recipit. At Dominus cum hoc Discipulis testimonium dedisset, quod mundæ essent vitæ ob doctrinam ipsius, dat etiam, ut jam ad speculationem contemplationemque Spiritus sint idonei. « Jam, inquit, » vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum » vobis [1]. Unde mundus quidem non potest illum accipere, » quandoquidem non videt illum : vos autem novistis eum, » quoniam apud vos manet [2]. » Eadem dicit et Esaïas : « Qui stabilivit terram, et quæ in ea sunt, deditque spira- » tionem populo, qui est super illam, et Spiritum calcan- » tibus eam [3]. » Nam qui conculcant terrena, iisque superiores evaserunt, digni prædicati sunt dono Spiritus sancti. Quem ergo mundus capere non potest, quique a solis Sanctis per cordis puritatem videri potest, qualem esse existimandum est, aut quales illi honores competere?

CAPUT XXIII.

Spiritus glorificationem esse enumerationem eorum quæ illi adsunt.

Et reliquæ quidem Virtutes singulæ in loco circumscripto esse creduntur. Nam Angelus, qui astabat Cornelio [4], non in eodem momento astabat et Philippo [5] : neque qui locutus est Zachariæ ab altari [6], per idem tempus etiam in cœlo suam implebat stationem. At Spiritus creditur

[1] Joan. xv, 3. — [2] Id. xiv, 17. — [3] Esaï. xlii, 5. — [4] Act. x. 3. — [5] Id. viii. 26. — [6] Luc. i, 11.

simul et in Habacuc et in Daniele in Babylonia operari[1]; et cum Hieremia in cataracta[2], et cum Ezechiele super Chobar versari[3]. « Spiritus enim Domini replevit orbem » terrarum[4]. » Et, « Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua » quo fugiam[5]? » Et Propheta, « Quoniam ego vobiscum » sum, dicit Dominus : et Spiritus meus stat in medio » vestri[6]. » Eum vero qui ubique est, ac una cum Deo adest, cujus esse naturæ credere oportet? Utrum omnia complectentis, an particularibus arctatæ locis, qualem esse naturam Angelorum patet ex dictis? Verum hoc dixerit nemo. Igitur qui natura divinus est, qui magnitudine incomprehensus, qui potens in operationibus, qui bonus in beneficentiis, hunc non supra modum efferemus, non supra modum glorificabimus? Ego vero nihil aliud intelligo gloriam, quam enumerationem mirabilium, quæ illi adsunt. Itaque aut isti interdicent nobis, ne prorsus mentionem faciamus bonorum, quæ ab illo accipimus, aut omnino ea, quæ illi adsunt, commemorasse, est summam glorificationem implesse. Nam ne Deum quidem et Patrem Domini nostri Jesu Christi et unigenitum illius Filium aliter glorificare possumus, quam pro virili nostra illius prodigia recensendo.

[1] Dan. XIV, 33. — [2] Jer. XX, 2 apud LXX. — [3] Ezech. I, I. — [4] Sap. I, 7. — [5] Psal. CXXXVIII, 7. — [6] Agg. II, 5.

CAPUT XXIV.

Redargutio absurditatis eorum qui non glorificant Spiritum, ex collatione eorum, quæ in creaturis gloria afficiuntur.

I. Deinde vero gloria et honore coronatus est quilibet homo. « Et gloria et honor et pax cuivis facienti bonum[1] » in promissis reposita sunt. Est autem et peculiaris quædam israëlitici populi gloria, « Quorum, inquit, est adoptio et » gloria et cultura[2] : » et suam ipsius gloriam quamdam commemorat Psalmorum cantor : « Dum cantaverit tibi » gloria mea[3]. » Et rursus : « Exurge gloria mea[4]. » Est autem quædam gloria solis, lunæ, et stellarum[5]. Ac juxta Apostolum fit etiam administratio damnationis cum gloria[6]. Itaque cum tam multa sint quæ gloria potiuntur, vis Spiritum unum ex omnibus inglorium esse? Et tamen « Mi» nistratio, inquit, Spiritus est in gloria[7]. » Quî fit igitur ut ille indignus sit qui glorificetur? Et magna quidem est gloria Justi juxta Psalmorum cantorem[8]. At gloria Spiritus juxta tuam opinionem nulla est. Annon igitur evidens periculum est ne talibus dictis inevitabile crimen in nosmetipsos accersamus? Si homo, qui salvus fit ex operibus justitiæ, etiam timentes Dominum glorificat, multo minus Spiritum debita gloria fraudabit. « Sit, inquiunt, glorificandus, sed non cum Patre et Filio. » Et quî consentaneum est

[1] Rom. II, 10. — [2] Id. IX, 4. — [3] Psal. XXIX, 13. — [4] Id. CVII, 2. — [5] 1 Cor. XV, 41. — [6] 2 Cor. III, 9. — [7] Ibid. 8. — [8] Psal. XX, 6.

rationi alium locum imaginatione designare Spiritui, eo relicto, quem statuit Dominus; et gloriæ consortio spoliare eum, qui ubique conjunctus est Divinitati, in professione fidei, in baptismate redemptionis, in operatione Virtutum, in inhabitatione Sanctorum, in beneficiis in subditos conferendis? Neque enim est ullum omnino donum absque sancto Spiritu ad creaturam perveniens; quando ne simplex quidem verbum in defensionibus pro Christo quis possit dicere, nisi adjuvante Spiritu, quemadmodum in Evangeliis a Domino et Servatore nostro didicimus [1]. Porro ut his omnibus neglectis, atque ea communione, quam in omnibus habet, oblivioni tradita, a Patre et Filio ipsum avellamus, nescio an quisquam sancti Spiritus particeps assensurus sit. In quo igitur ordine illum collocabimus? creaturarum? At universa creatura servit : Spiritus autem liberum reddit. « Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas [2]. » Atque cum multa sint quæ possim hic commemorare, quam non conveniat Spiritum sanctum annumerare rebus creatis, de his dicere nunc supersedebo. Nam si incipiam pro argumenti dignitate, et quæ pro nobis faciunt, probationes adducere, et quæ ab adversariis objiciuntur, diluere; prolixo sermone erit opus, loquacitateque voluminis deterrebimus lectores. Idcirco hoc alteri proprio tractatui reservato, propositis adhæreamus.

II. Consideremus igitur singulatim. Natura bonus est, ut bonus Pater, et bonus Filius. Creatura vero per electionem ejus quod bonum est, particeps est bonitatis. Profunda Dei novit : sed creatura per Spiritum accipit arcanorum reserationem. Vivificat cum Deo qui vivificat omnia, cum Filio qui dat vitam. « Qui enim excitavit, inquit, » Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, » per ipsius Spiritum qui inhabitat in vobis [3]. » Atque ite-

[1] Matth. x, 19. — [2] 2 Cor. III, 17. — [3] Rom. VIII, 11.

rum, « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam » æternam do illis [1]. » Sed « Spiritus quoque vivificat [2], » inquit. Ac rursum : « Spiritus autem, inquit, vita propter » justitiam [3]. » Quin et Dominus testatur Spiritum esse qui vivificat. « Caro non prodest quidquam [4]. » Quomodo igitur Spiritum a vivificandi potestate submoventes eum naturæ conjungemus, quæ ipsa vita egeat ? Quis adeo contentiosus? quis adeo exors doni cœlestis, et absque gustu bonorum Dei verborum ? quis adeo spei æternæ expers, ut Spiritum a Deitate distractum creaturæ copulet?

III. « In nobis, inquiunt, Spiritus est tanquam donum a Deo. At donum nequaquam iisdem honoribus afficitur, quibus is qui dedit. » Donum quidem Dei Spiritus est, sed donum vitæ : « Lex enim, inquit, Spiritus vitæ liberavit » nos [5]; » et donum potentiæ : « Accipietis enim virtutem » Spiritus sancti supervenientis in vos [6]. » Num igitur ob id contemnendus est? Annon et Filium dedit hominibus? « Qui, inquit, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis » omnibus tradidit illum, quomodo etiam non una cum eo » omnia nobis donabit [7]. » Et alibi : « Ut sciamus quæ a » Deo nobis donata sunt [8], » de mysterio assumpti hominis loquens. Itaque qui ista loquuntur, annon Judæorum ingratum animum amentiamque superant, qui scilicet excellentiam divinæ bonitatis vertant in occasionem blasphemiæ? Accusant enim Spiritum, quod nobis dat fiduciam Deum appellandi Patrem nostrum. « Emisit enim Deus Spiritum » Filii sui in corda nostra clamantem : Abba Pater, » ut illius vox propria fiat eorum, qui ipsum acceperunt.

[1] Joan. x, 27, 28. — [2] Id. vi, 64. — [3] Rom. viii, 10. — [4] Joan. vi, 64. — [5] Rom. viii, 2. — [6] Act. 1, 8. — [7] Rom. viii, 32. — [8] 1 Cor. ii, 12. — [9] Gal. iv, 6.

CAPUT XXV.

Quod Scriptura hac syllaba In *pro* Cum *utatur; ubi etiam probatur et idem pollere quod* Cum.

I. « Qui fit igitur, inquiunt, ut Scriptura nusquam tradat Spiritum glorificari cum Patre et Filio, sed studiose vitet ne dicat, « Cum Spiritu, » ac ubique malit glorificare in ipso, quasi hoc congruentis judicet? » At ego nequaquam dixerim hanc syllabam « In » exhibere sensum minus honorificum, imo potius si sane accipiatur, ad maximam celsitudinem erigere mentem; quandoquidem observavimus hanc frequenter usurpari pro « Cum. » Quod genus est illud : « Ingrediar domum tuam in holocautomatibus [1], » pro his vocibus : « Cum holocautomatibus. Et eduxit eos in argento » et auro [2], » hoc est, « Cum argento et auro. » Item illud: « Non egredieris in virtutibus nostris [3], » pro « Cum virtutibus » nostris, » aliaque hujus generis innumerabilia? Omnino lubens ab ista nova sapientia didicero, qualem glorificationem Apostolus absolverit per hanc dictionem « In, » juxta formam, quam isti nunc tanquam e Scriptura proferunt. Nusquam enim inveni dictum : « Tibi Patri honor et gloria per unigenitum Filium tuum in Spiritu sancto : » qui sermo nunc istis usitatior est ipsa, ut ita loquar, respiratione. Horum quidem singula separatim invenire licet, conjunctim vero posita in hac constructione nusquam poterunt ostendere. Itaque si exacte urgent ea, quæ in Scripturis

[1] Psal. LXV, 13. — [2] Id. CIV, 37. — [3] Id. XLIII, 10.

habentur, ostendant unde ista dicant. Quod si concedunt consuetudini, neque nos ab ea excludant.

II. Nos enim ambas dictiones in fidelium usu deprehendentes, ambabus utimur : gloriam quidem Spiritui ex æquo per utramque persolvi rati; eis vero, qui depravant veritatem, credimus magis os obturari per eam præpositionem, quæ cum sensum in Scripturis similem habeat, non ita facile ab adversariis expugnari potest (est autem ipsa illa cui nunc ab istis contradicitur) utpote quæ pro «Et» conjunctione sumatur. Nam idem est dicere: «Paulus et Silvanus et Timotheus,» atque, «Paulus cum Timotheo et Silvano.» Nominum enim connexio utraque pronuntiatione similiter servatur. Itaque si cum Dominus dixerit Patrem et Filium et sanctum Spiritum, ipse dicam Patrem et Filium cum Spiritu sancto, aliud-ne, quod ad sententiæ vim attinet, dixero? Porro per conjunctionem «Et» connecti nomina multis testimoniis probari potest. «Gratia enim, inquit, » Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communio » Spiritus sancti [1]. » Ac rursus, « Obsecro autem vos per » Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem » Spiritus [2]. » Itaque si pro conjunctione « Et » voluerimus uti præpositione « Cum, » quid fecerimus diversi? Ego sane non video, nisi quis ob frigidas grammaticæ regulas conjunctionem tanquam copulativam, ac majorem unionem facientem præferens, præpositionem rejiciat, quasi non obtineat parem vim. Sed si de his a nobis ratio exposceretur, forte multis verbis non opus esset nobis ad respondendum. Nunc vero neque de syllabis, neque de hoc aut illo dictionis sono disputant, sed de rebus juxta vim ac veritatem maximo inter se discrimine dissidentibus. Qua de causa, cum indifferens sit syllabarum usus, isti has quidem admittere, illas vero ab Ecclesia submovere moliuntur. Ego vero

[1] 2 Cor. XIII, 13. — [2] Rom. XV, 30.

ets iprimo statim auditu præpositio evidentem utilitatem habet, attamen etiam rationem reddam, juxta quam Patres nostri non otiose illius quoque usum amplexi sint. Nam præterquam quod hæc idem valet quod, «Et,» ad refellendam Sabellii malitiam, similiterque atque illa conjunctio hypostaseon proprietatem declarat, velut, « Ego et Pater ve» niemus[1]: Ego et Pater unum sumus[2]; » præterea eximium habet sempiternæ communionis ac perpetuæ conjunctionis testimonium. Nam qui dixit cum Patre Filium esse, simul et hypostaseon proprietatem et inseparabile consortium expressit. Quod idem etiam in rebus humanis videre est, in quibus « Et » conjunctio declarat communem operationem : et præpositio « Cum » quodammodo etiam sigificat communionem. Quod genus est, « Navigarunt in Macedoniam Paulus et Timotheus, sed et Tychicus et Onesimus missi sunt Colossensibus? » ex his discimus illos rem eamdem fecisse. Sed si audierimus, « Connavigarunt, et simul » missi sunt, » etiam illud addiscimus alterum cum altero actionem absolvisse. Ita Sabellii errorem destruens hæc vox ut non alia æque, addit illis et eos qui directe opposito impietatis genere insaniunt. De his loquor, qui temporalibus intervallis Filium a Patre, et Spiritum sanctum a Filio distrahunt.

III. Cæterum a syllaba « In » eo maxime differt, quod præpositio «Cum » mutuam conjunctionem eorum qui communiter aliquid agunt exhibet, velut connavigantium, aut cohabitantium, aut quidvis aliud communiter perficientium : at præpositio « In » declarat relationem ad id in quo sunt operantes. Siquidem cum audimus, « Innavigant, » aut « Inhabitant, » protinus cogitamus scapham, aut domum. Itaque juxta communem usum, harum syllabarum talis est inter ipsas differentia, majorque inveniri poterit a

[1] Joan. XIV, 23. — [2] Id. X, 30.

studiosis. Neque enim mihi vacat de ratione syllabarum exquirere. Quoniam igitur demonstratum est præpositionem « Cum » significantissime reddere conjunctionis intelligentiam, inducias a vobis, si videtur, impetret, ac desistite atrox et implacabile bellum cum illa gerere. Sed tamen quamvis hæc vox tam apta sit ad significandum, si cui cordi fuerit in glorificationibus per syllabam « Et » nomina connectere et glorificare, quemadmodum in Evangeliis, ubi de baptismate, didicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum; etiam ita fiat, nemo contradicturus est. Hac conditione, si videtur, inter nos consentiamus. Sed isti citius abjecerint linguas, quam hanc vocem recipiant. Hoc igitur est, quod nobis acerrimum ac irreconciliabile bellum excitat. « In Spiritu sancto, inquiunt, danda est gloria Deo, non autem et Spiritui : » atque acerrime huic voci, tanquam Spiritum deprimenti, adhærescunt. De qua non inutile fuerit prolixius dicere. Quæ cum audierint isti, demirabor, si non eam ut proditricem et ad Spiritus gloriam ultro transfugam repudiabunt.

CAPUT XXVI.

Quot modis dicitur In, *totidem modis de Spiritu accipi.*

I. Mihi igitur consideranti videtur, etsi simplex ac brevis est hujus syllabæ pronuntiatio, multa et varia per eam significari. Quot enim modis dicitur « In, » totidem modis invenimus eam syllabam conceptibus de Spiritu subservire. Nam forma dicitur esse in materia, et potentia in eo quod ejus capax est, et habitus in eo qui secundum illum

affectus est, aliaque hujus generis multa. Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, formæ rationem obtinet. Nam qui jam non vivit secundum carnem, sed Spiritu Dei agitur, ac filius Dei nominatur, et conformis imagini Filii Dei factus est, spiritualis dicitur. Et sicut cernendi vis est in oculo sano, sic operatio Spiritus in anima purgata. Eoque Paulus optat Ephesiis, ut oculos habeant illuminatos in Spiritu sapientiæ [1]. Et quemadmodum ars est in eo qui illam adeptus est : ita gratia Spiritus in eo, qui recepit eam, semper quidem præsens, at non perpetuo operans. Nam et ars, potentia quidem est in artifice : actu vero tum, cum secundum illam operatur : itidem Spiritus semper quidem adest dignis, sed operatur prout opus est, aut in prophetiis, aut in sanationibus, aut in aliis miraculorum operationibus. Præterea sicut in corporibus est sanitas, aut calor, aut in genere affectiones facile mobiles : sic et in anima frequenter est Spiritus, in iis qui propter mentis instabilitatem facile gratiam acceptam expellunt, nequaquam permanens : qualis erat Saül, et septuaginta seniores filiorum Israël, præter Eldad et Modad [2], (nam apud hos solos ex omnibus Spiritum mansisse apparet) et in genere, si quis est istis animi proposito consimilis. Item quemadmodum verbum est in animo, interdum ut in corde cogitatum, interdum ut lingua prolatum : sic est Spiritus sanctus, vel cum testimonium præbet spiritui nostro, et clamat in cordibus nostris : « Abba Pater, » vel cum loquitur pro nobis, juxta id quod dictum est : « Non vos estis qui » loquimini, sed Spiritus Patris, qui loquitur in vobis [3]. » Jam vero et ut totum in partibus, Spiritus intelligitur juxta donorum distributionem. Omnes enim invicem sumus membra, sed habentes dona secundum Dei gratiam nobis

[1] Ephes, 1, 17, 18. — [2] Num. xi, 25, 26. — [3] Matth. x, 20.

datam diversa. « Eapropter non potest dicere oculus ma-
»nui : Non opus habeo te : aut rursus caput pedibus;
»Non est mihi vobis opus [1]. » Sed omnia quidem simul complent corpus Christi in unitate Spiritus ; necessariam autem utilitatem sibi invicem reddunt ex donis. Deus enim posuit membra in corpore, unumquodque illorum ut voluit. Membra autem eamdem habent pro se mutuo sollicitudinem, juxta spiritualem mutuæ affectionis ipsis insitæ communionem. « Eoque sive patitur unum membrum, una »cum eo patiuntur omnia membra : sive glorificatur unum »membrum, simul gaudent omnia membra [2]. » Rursus quemadmodum partes sunt in toto, ita singuli sumus in Spiritu, eo quod omnes in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus.

II. Porro quod mirum dictu videbitur, nihilo tamen minus verum est; etiam veluti locus eorum qui sanctificantur, sæpenumero dicitur Spiritus. Et constabit ne hoc quidem loquendi genere diminui Spiritum, sed glorificari potius. Nam nomina corporalia etiam ad spirituales intelligentias, evidentiæ gratia frequenter Scriptura transfert. Observavimus igitur et Psalmodum de Deo loquentem, « Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, »ut salvum me facias [3]; » de Spiritu vero : « Ecce locus, »inquit, apud me, et sta super petram [4] : » quid aliud appellans locum, nisi visionem in Spiritu, in qua cum esset Moses, potuit videre Deum evidenter ipsi apparentem? Hic est locus veræ adorationis proprius. « Attende enim, »inquit, ne offeras holocautomata tua in quovis loco, sed »in loco quemcumque elegerit Dominus Deus tuus [5]. » Quod igitur est holocautoma spirituale? « Sacrificium lau-»dis [6]. » Quo in loco offeremus, nisi in Spiritu sancto? Ubi

[1] 1 Cor. XII, 21. — [2] Ibid. 26. — [3] Psal. XXX, 3. — [4] Exod. XXXIII, 21. — [5] Deut. XII, 13, 14. — [6] Psal. XLIX, 14.

hoc didicimus? ab ipso Domino, dicente : «Veri adoratores »adorabunt Patrem in Spiritu et veritate [1]. » Hunc locum cum vidisset Jacob dixit : « Dominus est in loco hoc [2]. » Itaque Spiritus vere locus est Sanctorum. Sanctus itidem, locus est Spiritui proprius, ac præbet seipsum ut inhabitet cum Deo, ac templum illius vocatur. Sicut enim in Christo loquitur Paulus : « Coram Deo, inquit, in Christo loqui- »mur [3] : » et Christus in Paulo, velut ipse ait : « An experi- »mentum quæritis qui loquitur in me Christi [4] : » sic et in Spiritu loquitur mysteria, ac Spiritus rursum loquitur in eo.

III. In rebus ergo conditis ad hunc modum multifariam variisque rationibus dicitur Spiritus inesse : verum magis pium est dicere eum esse cum Patre et Filio, quam illis inesse. Nam gratia ab eo manans, habitante in iis qui digni sunt, ac suas operationes in illis exercente, recte dicitur inesse iis, qui sunt illius capaces. At illius subsistentia, quæ fuit ante sæcula, ac perpetuitas nunquam desitura cum Filio et Patre considerata, sempiternæ conjunctionis requirit appellationes. Nam « Coesse » proprie ac vere dicitur de iis, quæ sibi invicem inseparabiliter adsunt. Nam calorem ferro quidem ignito inesse dicimus : at una simul cum ipso igne esse. Item corpori sanitatem inesse dicimus, vitam autem simul cum anima esse. Quare ubi propria et connaturalis atque inseparabilis communio est, hæc vox « Cum » significantior est, ut quæ inseparabilis conjunctionis cogitationem suggerat intellectui. Ubi autem gratia ab ipso proficiscens, accedere ac rursus decedere potest, proprie et vere inesse dicitur ; etiamsi illius gratia in iis, qui receperunt, sæpenumero propter affectus in bono perseverantiam perpetua permaneat. Proinde quoties pro-

[1] Joan. IV, 23. — [2] Gen. XXVIII, 16. — [3] 2 Cor. II, 17. — [4] Ibid. XIII, 3.

priam Spiritus dignitatem intelligimus, cum Patre et Filio ipsum contemplamur : ubi vero gratiam in eos, qui illius sunt participes, operantem reputamus, in nobis esse Spiritum dicimus. Et quæ a nobis defertur glorificatio in Spiritu, non habet professionem dignitatis illius, sed nostræ ipsorum imbecillitatis confessionem; dum ostendimus nos ex nobis ipsis ad glorificandum sufficientes non esse, sed sufficientiam nostram esse in Spiritu sancto, in quo corroborati, pro beneficiis acceptis Deo nostro gratias absolvimus : juxta quod a malitia purgati sumus; quippe alius alio plus aut minus, auxilio Spiritus adjuti ad offerendum hostias laudis Deo. Secundum unum igitur modum, sic pie gratiarum actionem in Spiritu persolvimus, quanquam et hoc invidia non caret, ut aliquis de seipso testificetur, dicatque : Spiritus Dei in me est, et per gratiam illius sapiens factus refero gloriam. Nam hæc vox Paulum decet: «Videor et mihi Spiritum Dei habere [1]. » Et rursus: « Egre» gium depositum serva per Spiritum sanctum qui habitat » in nobis [2]. » Item de Daniele legimus, quod Spiritus Dei sanctus fuerit in eo, et si quis illis assimilis sit virtute [3].

IV. Alter autem intellectus est, nec ipse rejiciendus, quod sicut in Filio cernitur Pater, sic Filius cernitur in Spiritu. Itaque adoratio quæ fit in Spiritu, mentis nostræ operationem ut in luce factam indicat, ut discere licet ex iis quæ Samaritanæ dicta sunt. Nam cum illa consuetudine regionis decepta existimaret in loco esse adorationem; Dominus eam dedocens dixit in Spiritu et veritate adorare oportere [4] : nimirum seipsum appellans veritatem. Quemadmodum igitur in Filio dicimus adorationem, velut in imagine Dei ac Patris : sic et in Spiritu tanquam in seipso

[1] 1 Cor. VII, 40. — [2] 2 Timoth. I, 14. — [3] Dan. V, 11. — [4] Joan. IV, 24.

Domini Divinitatem exprimente. Unde et in adoratione inseparabilis est a Patre et Filio Spiritus sanctus. Nam si sis extra illum, nullo pacto es adoraturus : contra, si in illo fueris, nullo modo eum separabis a Deo, nihilo profecto magis quam lumen separabis ab iis, quæ visui patent. Impossibile siquidem est cernere imaginem Dei invisibilis, nisi in lumine Spiritus. Et qui intuetur imaginem, hunc impossibile est lumen ab imagine separare. Quod enim ut videas in causa est, id necesse est, ut simul cum iis, quæ cernuntur, videatur. Itaque proprie et congruenter per illuminationem Spiritus conspicimus splendorem gloriæ Dei : per characterem autem ad eum, cujus est character et æquale sigillum, subvehimur.

CAPUT XXVII.

Unde initium habeat syllaba, Cum, *et quam vim habeat, ubi et de Ecclesiæ legibus nullo scripto proditis.*

I. « Quam igitur ob causam, inquiunt, cum proprie conveniat hæc syllaba « In, » Spiritui : ac nobis ad exprimendum quemvis de Spiritu intellectum sufficiat, vos novam istam syllabam induxistis, qui dicitis, « Cum Spiritu, » non « In Spiritu sancto ; » alioquin nec necessariis, nec ab Ecclesia probatis vocibus utentes? » Quod igitur hæc syllaba, « In, » Spiritui sancto non in sortem proprie cessit, sed Patris Filiique communis est, in superioribus dictum est. Arbitror autem et illud satis demonstratum, quod « In » non solum nihil detrahit dignitati Spiritus, verum etiam ad summam celsitudinem erigit cogitationes eorum, qui

non prorsus mente corrupti sunt. Superest autem disserere de syllaba « Cum,» unde cœperit, et quam vim habeat, et quomodo Scripturæ concordet.

II. Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum : quorum utraque vim eamdem habent ad pietatem; nec iis quisquam contradicet : nullus certe, qui vel tenui experientia noverit quæ sint Ecclesiæ instituta. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus, imo potius prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Verbi gratia, ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem : ut signo crucis eos qui spem collocant in Christo signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba cum conficitur (17) panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione non scripta accepimus. Benedicimus autem et aquam baptismatis, et oleum unctionis, imo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero olei unctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Quippe illud probe didicerant, mysteriorum reverentiam silentio

conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam scriptis vulgari? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moses, qui non omnia quæ erant in templo passus sit omnibus esse pervia [1]? sed profanos extra sacros cancellos statuit; ac priora quidem atria purioribus permittens, Levitas solos dignos censuit Numinis ministerio : mactationes autem holocautomatumque oblationes, et reliqua quæ ad rem sacram pertinent sacerdotibus assignavit [2] : atque unum ex omnibus selectum in adyta admisit, et ne hunc quidem semper, sed uno tantum die quotannis [3] : quin et hujus diei certam horam, qua fas esset ingredi, præstituit, quo propter novitatem et insolentiam, cum stupore intueretur Sancta Sanctorum; probe sciens, pro sua sapientia, res usu tritas et ex se obvias, expositas esse contemptui : rebus vero quæ sepositæ sunt ac raræ, quodammodo naturaliter conjunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eumdem profecto modum, et qui initio certos Ecclesiæ ritus præscripserunt Apostoli et Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sint, ne dogmatum notitia neglecta, propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud utique est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes vero publicantur (18). Est autem silentii species etiam obscuritas, qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem (19). Hanc ob causam omnes spectamus ad Orientem, cum precamur : pauci tamen novimus quod id facientes, antiquam requirimus patriam, videlicet paradisum, quem plantavit Deus in Eden ad

[1] Num. IV, 20. — [2] Id. XVIII, 7, et 21, 22. — [3] Exod. XXX, 10, et Levit. XVI, 2.

Orientem[1]. Erecti itidem perficimus deprecationes in una sabbati, sed rationem non omnes novimus. Non enim solum quod veluti simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes nosmetipsos commonefacimus, sed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi. Eoque cum sit principium dierum, non primus a Mose, sed unus appellatus est. « Facta est enim, inquit, » vespera, et factum est mane dies unus[2], » tanquam qui sæpe recurrat. Igitur unus est idem et octavus, unum illum singularem ac verum octavum, cujus et Psalmista in quibusdam Psalmorum inscriptionibus meminit[3], per se significans statum videlicet hoc tempus secuturum, diem non desiturum, vesperæ nescium, successoris expertem, ævum illud nunquam finiendum, nec unquam senescens. Necessario igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet, preces suas stando absolvere, ut assidua commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin et totum illud quinquaginta dierum tempus, admonitio est resurrectionis, quam in altero sæculo expectamus. Nam unus ille et primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absolvit. A primo enim incipiens in eumdem desinit, per similes, qui in medio intercedunt, dies quinquagies evolutus. Unde et æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iisdem orsus signis in eadem desinit. Quo in die, corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram a præsentibus ad futura. Insuper et quoties genua flectimus, et rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus, et per humanita-

[1] Gen. II, 8. — [2] Id. I, 5. — [3] Psal. VI, et XI.

tem ejus qui creavit nos, in cœlum revocati sumus.

III. Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere (20). Omitto cætera : ipsam fidei professionem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, e quibus habemus scriptis? Etenim si quoniam ex baptismi traditione, juxta pietatis consecutionem, ut baptizamur, ita et credere debemus, similem baptismo professionem exhibemus; concedant etiam nobis, ut juxta eamdem consequentiam glorificationem fidei consimilem persolvamus. Quod si glorificandi modum veluti scripto non traditum rejiciunt, proferant nobis et professionis fidei et cæterorum, quæ commemoravimus, probationem e Scripturis. Adhæc cum tam multa sint, quæ scripto prodita non sunt, et tantum habent momenti ad pietatis mysterium; unicam dictiunculam, quæ a majoribus ad nos devenit, non concedent, quam nos ex inaffectata consuetudine in ecclesiis, quæ perversæ ut corruptæ non sunt, permanentem invenimus, haud mediocrem rationem habentem, neque mediocre adjumentum ad mysterii vim afferentem?

IV. Dictum quidem est quæ sit vis utriusque pronuntiationis. Dicetur autem et rursum ubi concordent inter sese, et ubi differant : non quod inter se pugnent per contrarietatem, sed quod utraque peculiarem afferat intellectum ad pietatem. Nam præpositio, « In, » ea quæ ad nos spectant magis declarat : at præpositio, « Cum, » exprimit communionem Spiritus cum Deo. Quapropter vocibus ambabus utimur, altera quidem dignitatem Spiritus exprimentes, altera gratiam, quæ in nobis est, enuntiantes. Sic et in Spiritu et cum Spiritu offerimus gloriam Deo : nihil ex nobis dicentes, sed ex tradita a Domino doctrina, velut e regula, ad ea, quæ conjuncta sunt, sibique invicem cohærent, ac necessariam in mysteriis copulationem habent, dictionem transferentes. Nam eum, qui in baptismate

connumeratus est, necessario judicamus et in fide oportere copulari. Professionem autem fidei, velut initium quoddam ac matrem glorificationis fecimus. Sed quid faciendum est? Nunc enim doceant nos, ne baptizemus, quemadmodum accepimus; aut ne credamus, quemadmodum baptizati sumus; aut ne glorificemus, quemadmodum credimus. Demonstret enim aliquis, aut non esse necessariam et indivulsam horum inter se consequentiam, aut in hisce novitatem non esse totius destructionem. At non desinunt isti sursum deorsum jactare, glorificationem cum sancto Spiritu carere testimonio, carere scriptura, et alia hujusmodi. Dictum est quidem nihil referre ad sensum, sive dicas : « Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, » sive dicas : « Gloria Patri et Filio cum sancto Spiritu. » Non igitur fas est cuiquam syllabam « Et » ex ore Domini profectam rejicere, aut expungere : nec quidquam vetat alteram, quæ idem pollet, recipere : quæ quomodo cum illa vel conveniat vel discrepet, superius demonstravimus. Confirmat autem sententiam nobis et Apostolus, indifferenter utraque voce utens interdum ita loquens : « In nomine Domini Jesu » Christi, et in Spiritu Dei nostri [1]. » Ac rursus, « Congre- » gatis vobis et meo Spiritu cum virtute Domini Jesu [2]. » Nihil interesse ratus, sive conjunctione, sive præpositione ad nominum conjunctionem utaris.

[1] 1 Cor. vi, 11. — [2] Id. v, 4.

CAPUT XXVIII.

Quod quæ de hominibus dicit Scriptura tanquam una cum Christo regnantibus, ea de Spiritu dici non concedunt adversarii.

I. VIDEAMUS porro an defensionem aliquam Patribus nostris super hujusmodi usu possimus excogitare. Nam qui nobis ita loquendi fuerunt auctores, magis quam nos hærent in crimine. Paulus igitur Colossensibus scribens : « Et vos, inquit, cum essetis mortui delictis ac præputio, » vivificavit simul cum Christo [1]. » Num igitur toti populo et Ecclesiæ donavit Deus vitam quæ est cum Christo, sancto autem Spiritui non est vita cum Christo ? Quod si istud vel animo concipere impium est, annon pium fuerit, ut habet natura, ita etiam professionem conjunctim persolvere ? Adhæc, annon extremi stuporis est fateri Sanctos esse cum Christo : (siquidem Paulus peregrinans a corpore præsens est apud Dominum [2] ; et ubi emigravit, jam cum Christo est) hos vero Spiritui, quantum quidem in ipsis est, neque hoc tribuere, ut æque saltem atque homines cum Christo sit ? Quin et Paulus seipsum Dei cooperatorem appelat in administratione Evangelii : sed Spiritum sanctum, per quem in omni creatura, quæ sub cœlo est, fructificat Evangelium, si cooperatorem appellemus, hic quoque impietatis nos reos peragent ? Et ut videtur, « Vita sperantium in Domino abscondita est cum Christo in Deo : » cumque Christus apparuerit vita nostra, tum et ipsi cum

[1] Coloss. II, 13. — [2] 2 Cor. V, 8.

» eo apparebunt in gloria [1]. » Ipse autem Spiritus vitæ, qui liberavit nos a lege peccati, nequaquam est cum Christo, neque in vita latente et abscondita cum illo, neque in manifestatione gloriæ, quam nos in Sanctis patefaciendam esse expectamus? « Hæredes Dei et cohæredes Christi nos » sumus [2] : » Spiritus vero exhæres est, et exors communionis Dei et Christi ejus? « Et ipse quidem Spiritus testi» monium perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei [3] : » nos vero Spiritui, ne ejus quidem societatis, quam illi cum Deo esse a Domino didicimus, testimonium præbemus? Porro quod est amentiæ caput, nos per fidem in Christum quæ est in Spiritu, resurrecturos cum illo et simul cum illo sessuros esse in supercœlestibus speramus, cum transformaverit corpus humilitatis nostræ ab animali ad spirituale : Spiritui vero non consessum, non gloriam, non aliud quidquam eorum, quæ ab ipso habemus, impertimus? sed quibus nos ipsos esse dignos, ex ejus qui promisit non mendaci munere, credimus, horum nihil Spiritui sancto, quasi superent illius dignitatem, concedimus? Et tibi quidem pro merito licet semper esse cum Domino : et expectas, ut raptus in nubibus in occursum in aërem, semper sis cum Domino [4]; Spiritum autem nunc esse cum Christo negas? Qui scilicet eum, qui ipsum cum Patre ac Filio numerat ac locat, expellis et ejicis, velut qui impietatem non ferendam admiserit.

II. Pudet reliqua adjungere; quod tu quidem expectas fore, ut cum Christo glorificeris : « Siquidem simul affli» gimur, ut simul quoque glorificemur [5] : » Spiritum autem sanctificationis non glorificas simul cum Christo, quasi ne pari quidem tecum honore dignum. Et tu quidem speras te cum eo regnaturum, Spiritum vero gratiæ afficis con-

[1] Coloss. III, 3, 4. — [2] Rom. VIII, 17. — [3] Ibid. 16. — [4] 1 Thess. V, 16. — [5] Rom. VIII, 17.

tumelia, servi famulique locum illi assignans. Atque hæc dico, non ut duntaxat ostendam tantumdem honoris deberi Spiritui in glorificatione, sed ut illorum dementiam redarguam, qui ne hoc quidem illi concedunt, sed velut impietatem horrent, Spiritus cum Patre et Filio in gloria consortium. Quis potest hæc absque gemitu commemorare? Annon manifestum est, ita ut vel puer intelligat, ea quæ nunc fiunt prooemia esse defectionis fidei, quam minatus est Dominus? Quibus contradici fas non erat, ea facta sunt ambigua. Credimus in Spiritum, et nostris ipsorum professionibus repugnamus. Baptizamur, et rursum pugnamus. Ut vitæ auctorem invocamus, et ut conservum despicimus. Cum Patre et Filio Spiritum accepimus, et eum ut creaturæ partem contemptui habemus. Isti autem, quid orare debeant nescientes[1], si eo adducuntur, ut aliquid etiam magnifice loquantur de Spiritu, perinde quasi dignitatem ipsius assequantur; quod in dictis modum excedit, reprimunt. Quos suam infirmitatem deplorare oportebat: quoniam idonei non sumus, qui pro beneficiis, quibus reipsa afficimur, verbis gratias agamus. Superat enim omnem intellectum, ac sermonis naturam redarguit, cum ea ne minimam quidem dignitatis illius partem adæquet, juxta verba libri qui inscribitur Sapientia : « Exaltate enim, » inquit, quantumcumque potueritis, superat enim et adhuc, et exaltantes eum multiplicate. Nolite laborare, » non enim assequemini[2]. » Profecto terribiles vobis istius modi sermonum reddendæ rationes, qui a Deo mentiri nescio audistis, irremissibilem esse blasphemiam in Spiritum sanctum[3].

[1] Rom. VIII, 26. — [2] Eccli. XLIII, 33, 34. — [3] Luc. XII, 10.

CAPUT XXIX.

Enumeratio virorum in Ecclesia illustrium, qui in scriptis suis usi sunt hac voce, Cum.

I. Sane contra id quod dicunt, glorificationem « Cum » Spiritu » carere testimonio, nec in Scripturis extare, illud dicimus : « Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur : sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiemus. » Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. « Laudo enim, inquit, vos, » quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi » vobis, traditiones tenetis [1]. » Et illud, « Tenete traditiones » quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam [2] : » quarum una est et hæc de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in ecclesiis irradicarunt. Ergo si velut in tribunali, probationibus e scripto destituti, multos vobis testes producamus, nonne sententiam absolventem a vobis consequemur ? Ego quidem arbitror : « In ore siquidem duorum » ac trium testium stabit omne verbum [3]. » Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostendamus, annon videbimur vobis probabilia dicere ; non posse litem istam jure nobis intendi ? Veneranda enim sunt quodammodo vetusta dogmata, quæ ob antiquitatem, ceu canitiem quamdam, habent quiddam reverendum.

[1] 1 Cor. xi, 2. — [2] 2 Thess. ii, 14. — [3] Deut. xix, 15.

Enumerabo itaque vobis hujus dictionis patronos vindicesque (simul enim æstimatur in eo quod tacetur, etiam tempus), neque enim ex nobis primum initium sumpsit. Quî potuit? Nimirum nos revera hesterni sumus, quemadmodum dicit Job [1]; saltem si tam longi temporis, quod huic consuetudini æquale est, habeatur ratio. Equidem ipse, si modo par sit me quod mihi proprium est dicere, vocem hanc tanquam paternam quamdam hæreditatem conservo, acceptam a viro multum temporis in servitio Dei versato, per quem et baptizatus sum, et Ecclesiæ ministerio admotus. Cæterum cum apud me reputo, an quis veterum ac beatorum virorum his, quibus nunc reclamatur vocibus, usus sit, multos reperio, et ob antiquitatem fide dignos, et accurata, non secundum hos homines, scientia ornatos; quorum alii præpositione, alii conjunctione in glorificatione sermonem copulantes, nihil diversum, sane quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam, existimati sunt facere.

II. Irenæus ille, et Clemens Romanus, et Dionysius Romanus, et Alexandrinus Dionysius, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi cognominem epistola « De accusatione ac defensione, » hunc in modum finivit sermonem. Transcribam autem vobis ipsa hominis verba. « His omnibus, inquit, congruenter et nos, forma etiam ac regula a presbyteris, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agentes, tandem nunc vobis scribere desinimus. Deo autem Patri et Filio Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. » Nec quisquam dicere possit hæc correcta fuisse ac immutata. Neque enim ita sermonem confirmasset, dicens videlicet accepisse se formam ac regulam, si « In Spiritu » dixisset : hujus

[1] Job. VIII, 9.

enim vocis usus creber est. At illud erat, quod egebat defensione. Qui quidem et in medio scripti, sic loquitur adversus Sabellianos : « Si eo quod tres sunt hypostases, divisas esse dicunt, tres sunt etiamsi nolint : aut divinam Trinitatem prorsus e medio tollant. » Ac rursum, « Divinissima enim ob id etiam post unitatem Trinitas est. » Sed et Clemens simplicius : « Vivit, inquit, Deus et Dominus Jesus Christus et Spiritus sanctus. » Irenæus autem qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, quomodo faciat mentionem Spiritus, disputans adversus hæreses, audiamus. « Eos vero, inquit, qui effrenes sunt, et feruntur ad suas concupiscentias, nullum habentes divini Spiritus desiderium, merito Apostolus carnales vocat[1]. » Et alibi dicit idem : « Ne expertes facti divini Spiritus, frustremur regno cœlorum, inclamat Apostolus, quod caro non possit hæreditatem capere regni cœlorum[2]. » Quod si cui et Eusebius Palæstinus propter multiplicem experientiam idoneus videtur, cui habeatur fides; et ex illo voces easdem ostendimus in dubitationibus de priscorum multiplici conjugio. Loquitur enim hunc in modum, se ad dicendum excitans : « Sanctum Prophetarum Deum lucis auctorem per Salvatorem nostrum Jesum Christum cum sancto Spiritu invocantes. »

III. Jam vero et Origenem in multis Psalmorum expositionibus deprehendimus, cum sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones : nihilominus et hic multis in locis reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu : qui quidem in sexto, ni fallor, libro Enarrationum in Evangelium Joannis (21), etiam adorandum Spiritum evidenter pronuntiat, ita scribens ad verbum : « Quoniam aquæ lavacrum significat purgationem animæ ab omnibus

[1] 1 Cor. III 3. — [2] Id. XV, 50.

malitiæ sordibus ablutæ, nihilo tamen minus et per seipsum, ei qui seipsum præbet divinitati adorandæ Trinitatis, per virtutem invocationum, donorum principium ac fontem habet. » Ac rursus in Commentariis, quibus exponit Epistolam ad Romanos : « Sacræ, inquit, virtutes capaces sunt Unigeniti et sancti Spiritus Deitatis. » Ad hunc modum, opinor, traditionis vis sæpe compulit homines etiam suis ipsorum dogmatibus contradicere. At nec Africanum historicum talis glorificandi forma præteriit. Siquidem constat in quinta de temporibus Epitoma, et ipsum ad hunc loqui modum : « Nos enim qui et illorum verborum modum didicimus, nec ignoramus fidei gratiam, gratias agimus Patri, qui nobis suis creaturis præbuit universorum Servatorem ac Jesum Christum, cui gloria, majestas, cum sancto Spiritu in sæcula. » At de cæteris fortassis dubitari possit, aut credi possint immutata eam rationem habere, ut fraus ægre deprehendi possit, cum in unica syllaba positum sit discrimen. Verum quæ pluribus verbis dicta citavimus, ea nec insidias admittunt, et ab ipsis libris paratum habent testimonium. Porro quod alioqui fortassis humilius foret, quam ut in medium adducatur, sed ei tamen qui de novitate accusatur, perutile propter temporis antiquitatem, hoc quoque nunc adjicimus. Visum est Patribus nostris vespertini luminis gratiam haudquaquam silentio accipere, sed mox ut apparuit agere gratias. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt, « Laudamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum Dei. » Quod si quis etiam novit Athenogenis hymnum, quem tanquam aliud aliquod valedictionis donum discipulis suis reliquit, festinans jam ad consummationem per ignem;

is novit et martyrum sententiam de Spiritu. Et hæc quidem hactenus.

IV. Cæterum Gregorium magnum et illius voces quo loco ponam? Annon cum Apostolis et Prophetis? Virum qui eodem spiritu quo illi versatus, quique Sanctorum vestigiis per omnem vitam inhæsit, quique evangelicæ conversationis vigorem, quandiu vixit, præstitit. Equidem hoc dixerim : Injuria affecerimus veritatem, si non animam illam annumeremus iis, qui Deo juncti sunt, qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit, qui e Spiritus ope tremendam habuit adversus dæmones potestatem. Tantam vero sermonis gratiam acceperat ad obedientiam fidei inter gentes, ut acceptis non plus septemdecim Christianis universum populum et urbanum et rusticanum per agnitionem adjunxerit Deo. Ille et fluminum aquas in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi; et paludem exsiccavit, belli causam præbentem fratribus avaris. Cæterum prædictiones de futuris ejusmodi sunt, ut nihilo sit inferior cæteris Prophetis. Sed omnino perlongum fuerit viri percensere miracula : qui propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur Spiritus in omni virtute et signis ac prodigiis, ab ipsis veritatis hostibus alter Moses appellabatur. In tantum in illo in omnibus tum dictis tum factis, quæ per gratiam peragebantur, veluti lumen quoddam refulgebat, cœlestis virtutis indicium, quæ ex occulto assectabatur illum. Hujus adhuc etiamnum magna est apud ejus regionis homines admiratio, novaque ac semper recens memoria sic infixa est ecclesiis, ut nullo tempore obsolescat. Itaque non factum aliquod, non dictum, non ritum ullum mysticum, ultra quam ille reliquit, Ecclesiæ adjecerunt. Quapropter etiam multa ex his, quæ apud illos aguntur, imperfecta esse videntur, propter institutionis antiquitatem. Nam qui in

ecclesiarum administrationem successerant, nihil ex his, quæ post illum excogitata sunt, loco additamenti voluerunt recipere. Unum itaque ex Gregorii institutis est, etiam ille ipse glorificationis modus, cui nunc contradicitur, ex illius traditione in Ecclesia custoditus. Nec multum fuerit negotii, ei, qui iter breve susceperit, super his certitudinem accipere. Hanc fidem et Firmiliano nostro fuisse, testantur libri quos reliquit. Insuper et Meletium illum admirandum (22) in eadem fuisse sententia, narrant qui cum illo vixerunt. Sed quid opus est vetera commemorare? Sed et nunc in Oriente, nonne hoc uno potissimum eos qui pie sentiunt agnoscunt, hac voce veluti quodâm signo suos ab alienis dijudicantes? Ut autem ego e quodam Mesopotamio audivi, viro et linguæ perito, et sententia incorrupto, ne fieri quidem potest ut aliter lingua vernacula loquantur etiamsi velint : sed necesse illis est ut per syllabam, « Et » vel potius per voces, quæ idem pollent quod illa, juxta proprietatem linguæ regionis illius glorificationem proferant. Quin et Cappadoces sic juxta regionis morem loquimur, jam tum in linguarum divisione, dictionum utilitatem providente Spiritu. Quid porro Occidens totus, propemodum ab Illyrico usque ad fines nostri orbis? Nonne hanc vocem tuetur?

V. Quî fit igitur, ut ego sim innovator, et recentiorum verborum architectus? cum totas nationes, civitates, et consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper et viros Ecclesiæ columnas, omni scientia ac virtute Spiritus claros, duces ac patronos hujus vocis exhibeam? Ob hæc hostilis illa acies adversus nos commota est, omnisque civitas, vicus, et omnes extremi fines pleni sunt nos calumniantium vocibus. Molesta quidem hæc ac lugenda cordibus quærentium pacem : verum quoniam est magna patientiæ merces, toleratas pro fide afflictiones se-

cutura, præter hæc et gladius splendescat, et securis acuatur, et ignis ardeat babylonico illo vehementius, et omnia suppliciorum instrumenta in nos moveantur; quod ad me quidem attinet, nihil arbitror formidabilius, quam non formidare minas, quas Dominus in Spiritum blasphemias jacientibus intentavit. Igitur apud cordatos homines ad purgationem mei sufficiunt hæc quæ dicta sunt, quod recipimus vocem adeo gratam ac familiarem Sanctis, insuper et tam diutino usu confirmatam. Nam ex quo tempore est annuntiatum Evangelium usque ad præsens, ostenditur in ecclesiis usitata fuisse : et quod est omnium maximum, pium ac religiosum sensum habere demonstratur. Cæterum apud magnum illud tribunal, quam nobis excusationem apparaverimus? Nimirum quod induxit nos ad gloriam Spiritus, primum honos illi habitus a Domino, in baptismate Spiritum adjungente sibi et Patri [1] : præterea, quod quisque nostrum per talem initiationem ad Dei cognitionem institutus est : super omnia vero terror minarum arcens omnem indignitatis et humilioris opinionis cogitationem. Adversarii porro quid tandem dicturi sunt? Quam blasphemiæ excusationem afferent? qui neque honorem, quem Dominus tribuit Spiritui, reveriti sunt, nec minis illius deterriti. Istis quidem liberum est de suo consultare negotio, aut etiam mutare consilium. Ipse vero optarim, maxime quidem ut Deus bonus det suam pacem, quæ ita in cordibus omnium præsideat, ut isti qui in nos fremunt, et in nos atrociter conglomerati insurgunt, in spiritu lenitatis et charitatis compescantur. Quod si prorsus efferati sunt, nec mansuescere possunt, certe det nobis illorum facta toleranter ferre. In summa, qui mortis sententiam in sese habent, his molestum non est pro fide affligi : sed maxime intolerabile est pro ea non certasse, quandoqui-

[1] Matth. xxviii, 19.

dem athletis non perinde grave est in certamine plagas accipere, quam ne admitti quidem omnino in stadium. Aut fortassis hoc erat silentii tempus [1], juxta sapientem Salomonem. Nam quid prodest revera clamare adversus ventum, cum tempestas adeo violenta vitam occupet, a qua mens quælibet eorum, qui verbo initiati sunt, ut oculus in quo pulveris aliquid insidet, ita ratiocinationum falsarum errore oppleta, confusa est : quælibet aures gravissimis et insolitis sonis obtunduntur, turbine vero circumaguntur omnia, suntque in periculo ruinæ.

CAPUT XXX.

Expositio præsentis ecclesiarum status.

I. Cui igitur comparabimus præsentem statum ? Profecto similis prælio navali, quod ex veteribus offensis viri quidam bellis nauticis assueti ac bellaces, dum multum inter sese odium alunt, suscitarunt. Nunc igitur in hac imagine mihi specta classem utrinque adverso impetu horrendum in modum ingruentem; mox ira jam eo erumpente ut sit immedicabilis, congressos dimicare. Pone, si vis, violento turbine circumagi classem, caliginemque densam e nubibus incumbere, adeoque obscurare omnes rerum visibilium species, ut nulla jam sit amicorum et hostium discretio, propterea quod ob confusionem symbola militaria sint ignota. Huic imagni evidentiæ ergo addamus etiam mare intumecere, atque ab imo sursum ferri, ac vehemen-

[1] Eccli. III, 7.

tem imbrem e nubibus deorsum erumpere, horribilemque procellam ingentibus ac decumanis fluctibus exurgere: post hæc ventis undique concursantibus, totam classem inter se cum fragore collidi, atque iis, qui in acie stant, alios quidem castra sua prodere, atque flagrante prælio transfugere; alios vero cogi, ut pariter et scaphas impellant a ventis actas, et occurrant irrumpentibus, seseque mutuo per seditionem trucident: quam seditionem partim invidia adversus præstantiores, partim quæ singulis adest vincendi cupiditas excitavit. Ad hæc cogita confuso quodam et indiscreto sonitu universum illud mare compleri, partim e ventorum strepitu, partim e collisione navium, partim ex undarum impetu ferventium, partim ex vociferatione præliantium varias voces ob ingruentia mala emittentium, ut neque naucleri, neque gubernatoris exaudiatur vox, sed sit ingens quædam perturbatio confusioque, incredibili quadam malorum magnitudine, ob vitæ desperationem, omnem eis peccandi licentiam afferente. Adjice iisdem et immedicabilem quemdam morbum, gloriæ adipiscendæ insanam cupiditatem, adeo ut nave jam in fundum prolabente, ipsi vectores de primatus contentione nihil remittant.

II. Transi jam ab imagine ad ipsum mali exemplar. Annon olim videbatur quodam modo Arrianum schisma, in adversariam Ecclesiæ Dei partem separatum, in hostium acie ipsum per se solum obsistere? Verum postea quam e longa atrocique contentione usque ad manifestum certamen in nos instructi sunt, tum denique bellum in multas partes juxta modos innumerabiles dissectum est, sic ut partim ob communem simultatem, partim ob privatam suspicionem omnibus odium implacabile esset. Hæc vero tempestas ecclesiarum, qua tandem marina procella non est atrocior? In qua ut omnes Patrum termini loco

moti sunt, ita omne fundamentum, et si quod dogmatum munimentum, convulsum est. Volvuntur insuper et quassantur omnia, putri basi innitentia, dumque alii in alios vicissim impetum facimus, alii ab aliis subvertimur. Etsi te prior non percusserit hostis, is qui auxiliatur, vulnerat. Quod si cecideris ictus, commilito jam insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum communi odio adversarios prosequimur. Ubi porro prætcrierint hostes, jam nos inter nos hostes videmus esse. His de causis quis enumerare possit naufragiorum multitudinem, vel eorum qui hostium impressione demerguntur, vel qui ex occultis sociorum insidiis occidunt, vel qui per imperitiam ducum pereunt; cum Ecclesiæ una cum ipsis hominibus, hæreticorum dolis velut sub aqua latentibus scopulis illisæ, perditæ sint : alii vero ex hostibus salutiferæ passionis, qui gubernacula occuparunt, circa fidem naufragium fecerint? Cæterum turbæ ab hujus mundi principibus proficiscentes, qua non procella, quo non turbine horribilius subvertunt populos? Ecclesias vero caligo quædam adeo plane tristis ac mœsta occupat, videlicet luminaribus mundi, quæ Deus posuerat ad illuminandas populorum animas, domo profligatis. Porro immodica jam inter ipsos vincendi contentio, cum jam immineat terror minitans ruinam universi, adimit mali sensum. Nam privata simultas plus est quam commune publicumque bellum, dum adversarios vincendi gloria præfertur publicæ omnium utilitati, quibus præsens temporariaque gloriæ voluptas, prior ac potior est præmiis in posterum repositis. Eoque omnes pariter quocumque possunt modo interfectrices manus sibi invicem afferunt. Acerbus autem quidam clamor eorum, qui ex contentione sese mutuo collidunt, confusaque vociferatio, et indistinctus sonitus e nunquam silentibus tumultibus, totam prope jam Ecclesiam implevit, per excessus

ac defectus rectum pietatis dogma subvertentibus. Nam alii quidem ad judaïsmum, ob personarum confusionem : alii contra, ad paganismum per naturarum contrarietatem deferuntur : adeo ut nec divinitus inspirata Scriptura inter illos sequestram agere possit, nec apostolicæ Traditiones illos inter se conciliare valeant. Sed unicus amicitiæ finis est ad gratiam loqui : ac sufficiens est inimicitiæ causa, opinionibus dissentire. Porro erroris similitudo res est quavis conjuratione firmior ad seditionis societatem. Theologus vero quilibet est, is etiam, qui maculis innumerabilibus animam habeat notatam. Hinc rerum novatoribus multa copia simul excitantium seditionem. Itaque qui seipsos suis elegere suffragiis, quique affectant principatum, ii ecclesiarum præfecturas sortiuntur, repulsa sancti Spiritus administratione : jamque prorsus evangelicis ritibus ob sublatum rerum ordinem confusis, ineffabilis est ad præfecturas irruptio, unoquoque eorum qui ambitione laborant sese in dignitates per vim intrudente. Jam vero gravis quædam anarchia ab hoc principatus amore populos invasit : unde irritæ sunt prorsus ac inanes præfectorum exhortationes, dum nemo se magis alteri auscultare, quam aliis imperare debere, ob factum ex inscitia conceptum existimat.

III. Has ob res silere utilius judicavi, quam loqui, tanquam hominis vox per tantos tumultus exaudiri non possit. Nam si vera sunt quæ dixit Ecclesiastes : « Verba sa» pientum in quiete audiri[1] » plurimum abest, ut in hoc statu rerum de his loqui conveniat. Me vero etiam illud propheticum dictum reprimit : « Intelligens in tempore illo » tacebit : eo quod tempus malum est[2], » in quo alii quidem supplantant, alii vero insultant lapso, alii vero applaudunt. Sed qui labascenti manum ex misericordia porrigat,

[1] Eccl. IX, 17. — [2] Amos. V, 13.

nullus est ; quanquam juxta legem veterem, ne is quidem qui vel jumentum inimici sub onere collapsum præterierit [1], caret reprehensione. Sed non itidem fit hisce temporibus. Quînam fieret ? Quando refrigerata omnium charitate, sublata est fratrum conspiratio, concordiæ vero etiam nomen ignoratur ; sublatæ sunt autem etiam amicæ admonitiones, nusquam viscera christiana nusquam lacryma ex commiseratione. Non est qui infirmum in fide suscipiet, sed tantum odium inter tribules exarsit, ut quisque magis de proximi lapsibus, quam de propriis recte factis exultet. Quemadmodum autem in contagiis pestilentiarum, etiam ii qui summa cura servant victus rationem, tamen iisdem morbis quibus alii laborant, dum ob consuetudinem eorum qui corrupti sunt, opplentur ipsi ægrotatione : itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, a contentione, quæ nostros animos occupavit, ad malorum æmulationem perducti. Hinc implacabiles et amari sedent erratorum examinatores, iniqui vero et malevoli recte factorum judices : ac tantum, ut videtur, malum nobis insedit, ut ratione destituamur magis, quam ipsa animalia bruta. Siquidem illa quæ sunt ejusdem generis, inter sese consociantur : at nobis atrocissimum bellum est adversus domesticos.

IV. Itaque propter has omnes causas silendum erat, sed in diversam partem retraxit charitas, non quærens quod ipsius est [2], ac vincere cupiens omnem temporum ac rerum difficultatem. Quin et pueri qui fuerunt in Babylonia [3] docuerunt nos, etiamsi nemo sit qui pietati suffragetur tamen privatim quod officii nostri est peragere, qui quidem ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi invicem sufficientes, cum essent tres. Quapropter ne nos quidem deterruit hostium nubes, sed fixa spe in præsidio Spiritus,

[1] Exod. XXIII, 5. — [2] I Cor. XIII, 5. — [3] Dan. III, 12.

cum omni fiducia veritatem annuntiavimus. Alioqui foret omnium miserrimum eos, qui conviliis incessunt Spiritum, tam facile adversus piam doctrinam animo efferri ac insolescere, nos vero qui talem habemus protectorem ac patronum, non audere doctrinam tradere, quæ ex majorum traditione perpetua memoriæ serie ad nos usque servata fuit. Magis tamen excitavit impetum nostrum igneus charitatis tuæ non fistæ fervor, morumque tuorum gravitas ac taciturnitas, quæ res spondebant fore, ut ea, quæ dicturi essemus non prodirent in vulgus, non quod digna sint, quæ celentur, sed ne margaritæ projiciantur porcis. Et hæc quidem hactenus. Quod si tibi de his satis dictum videtur, sit hic sermonis finis; sin minus, nulla invidia est, studiose insidentem inquisitioni, per interrogationem a contentione alienam aliquid addere cognitioni. Dabit enim Dominus aut per nos aut per alios, eorum, quæ desunt, complementum, juxta scientiam, quæ dignis subministratur a Spiritu.

S. BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

ARCHIEPISCOPI,

LIBRI II DE BAPTISMO.

LIBER I.

CAPUT I.

Quod oportet primum Domini doctrina imbui, tumque baptismate sancto initiari.

I. DOMINUS noster Jesus Christus, unigenitus Dei viventis Filius, cum post resurrectionem ex mortuis accepisset promissionem Dei et Patris, per prophetam Davidem dicentis : « Filius meus es tu, ego hodie genui te ; Postula » a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et posses» sionem tuam terminos terræ [1], » assumpsissetque Discipulos suos, eis primum datam sibi a Patre potestatem declarat, his verbis : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in » terra [2]; » et tunc mittit ipsos, dicens : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et

[1] Psal. II, 7, 8. — [2] Matth. XXVIII, 18.

» Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque » mandavi vobis [1].» Cum igitur, Domino præcipiente, primum, « Docete omnes gentes, » et deinde subjungente, « Baptizantes eos, » et quæ sequuntur, vos quidem, omisso priore, posterioris a nobis rationem exegistis; nos vero rati contra mandatum Apostoli facturos nos, si non statim responderemus, cum dicat : « Parati estote ad respondendum » cuilibet rationem vos interroganti [2], » tradidimus doctrinam baptismatis secundum Evangelium Domini, ejusque præstantioris baptismate beati Joannis, sed sicut pauca ex multis, quæ de eo in sacris Scripturis dicta sunt, in medium proferamus. Necessarium tamen duximus ad traditum a Domino ordinem recurrere, ut sic etiam vos hujus vocis, « Docete, » vim ac intelligentiam primum edocti, post deinde doctrina de gloriosissimo baptismate accepta, ad perfectionem prospere perveniretis, discentes servare omnia, quæ Dominus Discipulis suis præcepit, sicut scriptum est. Hic igitur audivimus dicentem : « Docete, » sed jam opus est de iis, quæ alibi de hoc mandato dicta sunt, mentionem facere, ut primum sententiam Deo acceptam assecuti, deinde vero aptum necessariumque ordinem servantes, sic, juxta propositum placendi Deo, ab intelligentia hujus præcepti non aberremus. Familiare est enim Domino, ea, quæ alicubi strictim præcepta sunt, per ea, quæ in aliis locis relata sunt, perspicue explanare. Quale est illud : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo [3]. » Nam hic simpliciter locutus, quomodo id fieri oporteat, in alio loco declarat, cum ait : « Vendite quæ possidetis, et date eleemo» synam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, the» saurum non deficientem in cœlis [4]. » Et multa hujusmodi alia.

[1] Matth. XXVIII, 19, 20. — [2] I Pet, III, 15. — [3] Matth. VI, 20. — [4] Luc. XII, 33.

II. Disciplus igitur est, ut ab ipso Domino discimus, quisquis ad Dominum accedit, ut eum sequatur, hoc est, ut sermones ipsius audiat, credatque, ac ei obediat uti Domino, et regi, et medico, et doctori veritatis ob spem vitæ æternæ, idque, si modo in his permanserit, sicut scriptum est : « Dicebat igitur ad eos, qui in se crediderant, » Judæos : Si vos maneatis in sermone meo, vere Discipuli » mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit » vos [1]; » sine dubio intelligens animæ libertatem, qua ab amarulenta diaboli tyrannide libera fit, dum a peccatorum domino liberatur; « Qui enim, inquit, facit peccatum, » servus est peccati [2], » et sub mortis condemnatione constitutus; quemadmodum etiam tradidit nobis Paulus apostolus, cum ait : « Eum enim, qui peccatum non novit, » peccatum pro nobis fecit, ut nos efficeremur justitia » Dei in ipso [3], » et rursus : « Sicut enim per inobedientiam » unius hominis, peccatores contituti sunt multi, ita per » unius obedientiam, justi constituentur multi [4]. » Qui autem credit Domino, seque idoneum exhibet ad dicendum, discat oportet primum quidem desistere a peccato omni, deinde vero a re quacumque secedere, quæ ab obedientia Domino debita multas ob causas retrahat, etiamsi speciosæ esse videantur. Fieri enim non potest, ut qui peccatum patrat, aut hujus vitæ negotiis implicatur, aut de rebus ad vitam necessariis sollicitus est, servus sit Domini, nedum discipulus illius, qui non prius adolescenti dixit : « Veni, sequere me [5], » quam præcepisset ut bona sua venderet, daretque pauperibus. Imo ne hoc quidem ante præcepit, quam ita ipse confessus esset : « Hæc omnia custodivi [6]. » Qui enim nondum veniam peccatorum consecutus est, nec ab iis purgatus est in sanguine Domini nostri

[1] Joan. VIII, 31, 32. — [2] Ibid. 34. — [3] 2 Cor. V, 21. — [4] Rom. V, 19. — [5] Luc. XVIII, 22. — [6] Ibid. 21.

Jesu Christi, sed servit diabolo, et ab inhabitante in se peccato detinetur, non potest Domino servire, qui sententiam stabilem protulit, cum dixit: « Qui facit peccatum, » servus est peccati, servus vero peccati non manet in » domo [1]. » Testatur hoc idem et qui in Christo loquebatur Paulus, cum scribit: « Qui vero servus est peccati, liber » est a justitia [2]. » Et iterum Dominus dicit: « Nemo potest » duobus dominis servire, etc [3]. » Ex iis autem, quæ breviter et fuse docuit, ostendit, qui de rebus sibi ad vivendum necessariis anxii sunt, eos ne servos quidem Dei esse posse, nedum discipulos. Unde re amplius considerata, didicit Apostolus dicere: « Quæ participatio justitiæ cum iniqui» tate? Aut quæ societatis lucis ad tenebras? Quæ autem » conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli infideli? » Qui autem consensus templo Dei cum idolis [4]? » Ac rursus definite ait: « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus » vero adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversan» tur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis [5]. » Atque adhuc etiam modo ad pudorem incutiendum aptiore docens nos, quid dixerit referamus: «Scimus enim, inquit, quia lex » spiritualis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub » peccato. Quod enim operor, non intelligo, non enim » quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud » facio. Si autem quod nolo ego, illud facio, consentio legi, » quoniam bona est. Nunc vero non jam ego operor illud, » sed quod habitat in me peccatum [6]. » Et ubi hanc ipsam contemplationem pluribus persecutus est, quod fieri non possit, ut homo, in quo peccatum dominatur, Domino serviat, manifeste nobis commonstrat eum, qui nos ex ejusmodi tyrannide exemit, cum dicit: « Infelix ego homo, quis » me liberabit de corpore mortis hujus? Gratias ago

[1] Joan. VIII. 34, 35. — [2] Rom. VI, 20. — [3] Matth. VI, 24. — [4] 2 Cor. VI, 14-16. — [5] Gal. V, 17. — [6] Rom. VII, 14-17.

» Deo per Jesum Christum Dominum nostrum [1]; » et paulo post addit : « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt » in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant [2]. »

III. Quinetiam ex iis, quæ alio in loco dicta sunt, magnum benignitatis Dei beneficium, per incarnationem Domini nostri Jesu Christi collatum, palam ostendit his verbis : « Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores » constituti sunt multi, ita et per obedientiam unius, justi » constituentur multi [3]. » Et alibi considerans Dei in Christo benignitatem, eamque magis admirabilem, ait : « Eum » enim qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit, » ut nos efficeremur justitia Dei in ipso [4]. Omnino igitur necesse est tum ex dictis, tum ex similibus locis nisi inaniter gratiam Dei susceperimus, primum liberari nos ab imperio diaboli, qui hominem peccato mancipatum ad mala, quæ non vult, inducit; deinde unumquemque, posteaquam præsentia omnia et seipsum abnegaverit, atque a vitæ studio recesserit, discipulum fieri Domini, quemadmodum dixit ipse : « Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat » crucem suam, et sequatur me [5], » hoc est, discipulus meus fiat. Cæterum hoc idem Lucæ Evangelio, cujus verba haud multo post referemus, latius, clariusque et significantius tradit. Liberamur autem omnes a tali peccatorum mulcta, quotquot credimus, gratia Dei, quæ est per Unigenitum ipsius Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui dixit : « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro » multis effundetur in remissionem peccatorum [6]. » Sed et Apostolus idem testatur, cum scribit, nunc quidem : « Di» ligite vos mutuo, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit » semetipsum oblationem et hostiam Deo [7], » nunc vero :

[1] Rom. vii, 24, 25. — [2] Id. viii, 1. — [3] Id. v, 19. — [4] 2 Cor. v, 21. — [5] Matth. xvi, 23. — [6] Id. xxvi, 28. — [7] Ephes. v, 2.

« Christus nos redemit de maledicto legis [1]; » et alia ejusdem generis multa. Cum igitur data fuerit venia peccatorum, tunc accipit homo libertatem a peccato, ab eo, qui nos redemit, Jesu Christo Domino nostro, ut possit ad Verbum accedere. Necdum tunc quispiam dignus est qui sequatur Dominum, (iterum hoc dico,) qui non prius adolescenti dixit: « Veni, sequere me, » quam dixisset: « Vende quæ habes, et da pauperibus [2]. » Imo ne hoc quidem ante præcepit, quam se ab omni transgressione purum esse confessus esset, dicens fecisse se omnia, quæ fuerant a Domino dicta. Quamobrem ea in re etiam ordinem servare necessarium est. Non autem ea tantum, quæ quovis modo habemus, et quæ ad vitæ usum necessaria sunt, contemnere docemur, sed ea etiam jura ac officia, quæ tum lege, tum natura inter nos stabilita sunt, aspernari discimus, Domino nostro Jesu Christo dicente: « Qui amat » patrem aut matrem supra me, non est me dignus [3]: » quod similiter et de reliquis intelligendum est, qui nobis sunt proximi, et sine dubio multo magis de alienis, de iisque, qui a fide peregrini sunt. Quibus subjungit: « Qui » non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me » dignus [4]: » quod cum præstaret Apostolus, ita ad nos erudiendos scribit: « Ego mundo crucifixus sum, et mun» dus mihi. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me » Christus [5]. »

IV. Rursus autem Domini meminisse juvat, qui unicuique in faciem, alii quidem dicenti: « Permitte mihi pri» mum abire, et sepelire patrem meum, » ait: « Sine ut » mortui sepeliant mortuos suos: tu vero abiens annuntia » regnum Dei [6]: » alii vero qui dixerat: « Permitte mihi » prius, ut abeam, et disponam res domi meæ [7], » severius

[1] Gal. III, 13. — [2] Luc. XVIII, 22. — [3] Matth. X, 37. — [4] Ibid. 38. — [5] Gal. VI. 14, et II, 20. — [6] Luc. IX, 59, 60. — [7] Ibid. 61.

et cum comminatione vehementiore respondit. Dixit videlicet : « Nemo admovens manum ad aratrum, et conversus » retro, aptus est regno Dei[1]. » Adeo humanum omne officium, quod vel modicam dilationem jugi obedientiæ Domino debitæ affert, etiamsi honestum esse videatur, alienum est ab eo, qui vult esse discipulus Domini, minisque gravioribus dignum habetur. Generalius autem decernit, cum dicit : « Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me[2]. » Quod si revocemus in memoriam verba Domini ad eum qui dixit, « Beatus qui comedit panem in regno Dei[3]; » discimus magis horrendum iræ ac severitatis judicium, et quod ejusmodi homines ab omni bona spe abalienet. Ita autem loquitur : « Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ, qui diceret » invitatis : Venite, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt excusare se simul omnes. Primus dixit : Villam emi, » et necesse mihi est exire, et videre illam; rogo te, habe » me excusatum. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, » et eo ad probandum illa; rogo te, habe me excusatum. » Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. » Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi cito in plateas, et » vicos civitatis, et pauperes, ac debiles, et cœcos, et » claudos introduc huc. Et ait servus : Domine, factum est » ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait Dominus servo » suo : Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim vobis, quod nemo virorum » illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam[4]. » Rursus autem unigenitus ipse Dei viventis Filius, qui missus est a Patre, non ut judicet mundum, sed ut servet mundum,

[1] Luc. IX, 62. — [2] Matth. XVI, 24. — [3] Luc. XIV, 15. — [4] Ibid. 16-24.

constans sibi ipsi, et voluntatem boni Dei et Patris sui adimplens, severitatis sententiam proferens, doctrinam subjungit, quæ nos reddat dignos, qui ipsius fiamus discipuli, et ait : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et » matrem et uxorem suam, et liberos, et fratres, et sorores, » adhuc autem et animam suam, non potest meus esse dis» cipulus [1]. » Odium videlicet præcipitur, non quod insidiarum struendarum studium impertiat, sed pietatis virtutem pariat, ne iis, quæ ab ipsa retrahunt, morem geramus. « Et quisquis, inquit, non bajulat crucem suam, et sequi» tur me, non potest meus esse discipulus [2]. » Quod per baptisma in aqua collatum videmur pacisci, cum confiteamur, nos simul crucifixos esse, simul mortuos, simul sepultos [3], et quæ sequuntur, sicut scriptum est.

V. Cæterum considerata imbecillitate nostra, etiam per exempla voluit animum nostrum in veritatis certa persuasione confirmare, nosque ob obedientiam reddere paratiores, cum ait : « Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, » non prius sedens computat sumptus, an habeat quibus » opus habet ad perficiendum, ne postquam posuerit fun» damentum, et non potuerit perficere, omnes qui viderint, » incipiant illudere ei, dicentes : Hic homo cœpit ædifi» care, et non potuit consummare ? Aut quis rex proficis» cens ad committendum prælium cum altero rege, non » sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occur» rere ei, qui cum viginti millibus venit ad se ? Alioqui adhuc » illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pa» cis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat om» nibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Bonum est sal, si vero sal infatuatum fuerit, in quo con» dientur ? Neque in terram, neque in sterquilinium utile » est, foras projiciunt illud. Qui habet aures ad audiendum,

[1] Luc. XIV, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Rom. VI, 4 et seqq.

» audiat [1]. » Si fidem his habeamus, liberati primum a diaboli tyrannide, ut qui ab omni re diabolo grata abstineamus, idque domo Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, si modo non frustra ejusmodi donum susceperimus, deinde renuntiantes non solum mundo, ejusque cupiditatibus, sed et juribus etiam atque officiis mutuis, itemque nostræ ipsorum vitæ, si quid horum nos a debita Deo obedientia, quæ intenta veloxque esse debet, abstraxerit, ita demum digni sumus, qui Domini efficiamur discipuli. Præterea discimus et a Moyse, et a Prophetis, et ab Evangelistis, et ab Apostolis omnia tam visibilia quam invisibilia initio a Deo per unigenitum suum Filium Dominum et Deum nostrum Jesum Christum condita fuisse : docemur quoque et ea, quæ in divinis Scripturis narrantur de Dei bonitate atque severitate in multa patientia, ad justitiam ejus declarandam, et ad erudiendum nos, et vaticinia de incarnatione Domini nostri Jesu Christi, et de rebus inter se contrariis, quæ tunc simul contigere ; itemque de gloriosa ex mortuis resurrectione, et assumptione, et gloriosissimo adventu in consummatione sæculi, et dogmata illa puræ secundum Evangelium et Deo acceptæ pietatis, in dilectione Christi Jesu Domini nostri, ob spem vitæ æternæ et regni cœlestis, et judicia justæ mercedis, tam eorum, qui patrant prohibita, aut respuunt approbata, ad supplicium æternum, quam eorum, qui pro dignitate Evangelii Dei in sana fide, « Quæ per Dei charitatem operatur [2], » vixerunt, ob spem vitæ æternæ et regni cœlestis, quod est in Christo Jesu Domino nostro.

[1] Luc. XIV, 28-33 — [2] Gal. 5, 6.

CAPUT II.

Quomodo quis eo baptismate baptizatur, quod in Evangelio Domini nostri Jesu Christi commendatur.

I. Cum Dominus noster Jesus Christus præceperit nobis, ut diligamus nos mutuo, sicut ipse dilexit nos[1], hocque nos per apostolum Paulum doceat, ut nos mutuo in dilectione toleremus[2], vestræ in Christo pietatis præceptum, de gloriosissimo secundum Evangelium Domini nostri Jesu Christi baptismate animo alacri accepi, non tanquam qui pro rei dignitate quidquam dicere queam, sed ut ad exemplum mulieris, quæ duo minuta conjecit[3], aliquid conferam. Et ea in re quoque precibus diligentium Dominum mihi opus est, ut boni Dei ac Christi ipsius gratia, sanctus ac bonus Spiritus commonefaciens ac docens nos quæ de Domino audierit, dirigat et nostram mentem in viam pacis, et sanam doctrinam ad fidei ædificationem, sic ut tam in nobis quam in vobis impleatur illud, « Da sapienti » occasionem, et sapientior erit[4]. » Cæterum sciendum est, quod primum doceri oportet, sicque perquam miro baptismate dignum fieri. Ita enim Dominus ipse, et Deus noster Jesus Christus, unigenitus Dei viventis Filius, Dispulis suis præcepit. Necessario igitur ea etiam, quæ ab ipso Domino dicta sunt de iis, qui discipuli Christi fieri volunt, vobis separatim tradidimus, sic ut pauca saltem ex multis protulerimus. Quoniam autem promittitur fore, ut regnum Dei videamus, propterea quod denuo nascamur, itemque, ut introeamus in regnum Dei, propterea quod nascamur

[1] Joan. XIII, 34. — [2] Ephes. IV, 2. — [3] Luc. XXI, 2. — [4] Prov. IX, 9.

ex aqua et Spiritu, necesse esse duco pauca e multis, quæ de regno cœlorum dicta sunt, apponere; ne ullo modo ab eo aberremus. Nam in vita parvum non est quod parum abest, uti quidam nostrorum sapientum dixit, ac plerisque ex ipsis rebus manifestum est : sed tamen firmius etiam ejus rei sacerdotum et animalium sacrificandorum accurata consideratione convinci possumus : in quibus si modica aliqua macula reperiretur, aut mutilatio non totius membri, sed, quemadmodum scriptum est, partis alicujus, puta summitatis auriculæ, neque homo eligebatur ad sacerdotium, neque animal ad sacrificium admittebatur [1], cum Apostolus dixerit : « Hæc quidem in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad commonefaciendum nos, in quos termini ætatum devenerunt [2]. » et Dominus excellentiam præstantiamque aperte declaraverit, his verbis : « Templo majus aliquid hic est [3], » etiam magis ostenderit, animæ curam diligentiorem nobis habendam esse, ubi dixit : « Cui commendaverunt multum, plus repetent ab eo [4].

II. Itaque regni cœlorum faciamus mentionem. Dominus noster Jesus Christus, cum ascendisset in montem, et initium doctrinæ ex beatitudinibus sumeret, eam beatitudinem prædicavit primam, quæ pollicetur regnum cœlorum. Dixit enim : « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum [5]. » In octava vero beatitudine ait : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum [6]. » Et rursus futuram in tempore retributionis benedictionem per parabolam Pastoris vaticinans, ait : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

[1] Lev. xxi, 18 et seqq., et xxii, 21, 22. — [2] I Cor. x, 11. — [3] Matth. xii, 6. — [4] Luc. xii, 48. — [5] Matth. v, 3. — [6] Ibid. 10.

» Esurivi enim, et dedistis mihi manducare [1], etc. » Quin et in Lucæ Evangelio, in alio tempore et loco, velut ipsa scripta indicant, rursus beatitudines exponens, dicit : « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum » cœlorum. » Et iterum, « Noli timere, pusille grex, quia » placuit Patri vestro cœlesti dare vobis regnum. Vendite » quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis saccu- » los qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in » cœlis [2] » Hæc igitur et alia ejusdem generis sunt, per quæ quis regno cœlorum dignus efficitur. De iis autem, sine quibus nemo in regnum cœlorum ingredi potest, hanc sententiam Dominus pronuntiat in Evangelio Matthæi, et ait : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et » Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [3]. » Et rursus : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, » non intrabitis in regnum cœlorum [4]. » Et iterum : « Quisquis » non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit » in illud [5]. » Quinetiam dicit ad Nicodemum in Evangelio secundum Joannem : « Nisi quis natus fuerit denuo, non » potest videre regnum Dei [6]. » Ac rursus : « Nisi quis natus » fuerit ex aqua et Spiritu, non introibit in regnum Dei [7]. »

III. De quibus autem una sententia prolata est, profecto si vel unum desit, par etiam et æquale omnibus periculum est. Si enim dicit Dominus : « Iota unum, aut unus apex » non præteribit a lege, donec omnia fiant [8], » quanto magis ab Evangelio, cum Dominus ipse dicat : « Cœlum et » terra transibunt, verba autem mea non præteribunt [9] ? » Unde confisus apostolus Jacobus pronuntiavit, dicens : « Quicumque fecerit totam legem, offenderit vero in uno, » erit omnium reus [10]. » Didicit autem hoc dicere, ex iis,

[1] Matth. xxv, 34, 35. — [2] Luc. xii, 32, 33. — [3] Matth. v, 20. — [4] Id. xviii, 3. — [5] Marc. x, 15. — [6] Joan. iii, 3. — [7] Ibid. 5. — [8] Matth. v, 18. — [9] Id. xxiv, 35. — [10] Jac. ii, 10.

quæ Dominus post beatitudines, post testimonia conditionem humanam superantia, post promissa Petro data, comminatus est, ita locutus : « Nisi lavero te, non habes par» tem mecum [1]. » Paulus vero apostolus, qui « Ea quæ desunt » passionum Christi, pro corpore ipsius, quod est Eccle» sia, adimplebat [2], » in Christo loquens declarat ea, ob quæ quis maxime regnum cœlorum non adipiscitur, subjacetque mortis judicio, modo cum minus late dicit : « Quia ta» lia agunt, digni sunt morte [3]; » cur vero non dixit : « Qui » hæc, » sed, « Qui talia agunt, regnum cœlorum non conse» quentur [4] ? » et iterum cum generalius ait : « Iniqui regnum » Dei non possidebunt [5]; » et alibi similiter. Atque etiam ipse Dominus noster Jesus Christus in Evangelio secundum Lucam sententiam protulit, his verbis usus : « Nemo admo» vens manum ad aratrum, et retro conversus, aptus est » regno Dei [6]. » Est autem hic necessario observandum, quod non in peccata multa, sed in unum pronuntiatum sit horrendum adeo et inevitabile judicium, idque, de concessis ac licitis, etsi quis duntaxat atque vel brevi tempore obedientiam Domino multis de causis necessario debitam, quæ sine ulla excusatione et celerrima et intentissima esse debet, distulerit. Ex his igitur omnibus et similibus edocemur, adimplenda esse integre ac legitime omnia, quibus promissio regni cœlorum indicitur, et sine quibus donum regni denegatur : vitanda vero omnia, ob quæ nemo regni cœlorum hæres evadit, et ita demum expectandum esse, dum promissione digni efficiamur. Oportet enim certamen, quod ad placendum Deo suscipitur, non ab omni solum malitia remotum esse, sed integrum etiam et inculpatum in omni verbo Dei, cum Paulus apostolus magnam et ineffabilem Dei et Christi ipsius erga nos

[1] Joan. XIII, 8. — [2] Col. I, 24. — [3] Rom, I, 32. — [4] Gal. V, 21. — [5] I Cor. VI, 9. — [6] Luc. IX, 62.

dilectionem speculatus, pro justitia et salute nostra subjungat : « Nullam in ulla re dantes offensionem, ut ne » vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus com» mendemus nos ipsos, ut Dei ministri[1]. »

IV. Quemadmodum enim qui spiritu pauper est, nisi natus fuerit ex aqua et Spiritu, ob latam sententiam in regnum cœlorum ingredi non potest : sic rursus, « Nisi abun» daverit justitia illius plus quam Scribarum et Pharisæo» rum[2]; aut si quid aliud hujusmodi defuerit, ob similem senténtiam regno dignus non habetur. Scriptum est enim : « Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non haben» tem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut » sit sancta et immaculata[3]. » Et ejusmodi multa sunt, quæ si quis diligentius legerit, in eo vehementius confirmabitur, quod omnia implere debet, ut regno cœlorum efficiatur dignus. Quod autem is, qui justitia abundat, aut denuo natus est, omnium simul virtutum, in quibus beatitudines sitæ sunt, et reliquarum perfectionem adimpleverit, quodque in confesso sit hæc et ejusdem generis alia ab ipso præstari, sermo de secunda generatione mox habendus, Deo dante, demonstrabit. Quoniam autem pietatis vestræ mandatum, uti prius dictum est, requisivit a nobis, ut de Evangelii baptismate maxime mirando sermonem institueremus, post ea quæ jam de regno cœlorum dicta sunt, consequens esse puto, ut etiam quæ inter Mosis et Joannis baptismum differentia sit breviter discamus, et ita demum per gratiam Dei digni efficiamur, qui præstantissimam baptismatis Domini nostri Jesu Christi dignitatem in incomparabili gloriæ magnitudine intelligamus. Nam unigenitus viventis Dei Filius pronuntiavit aliquid templo majus hic esse[4], et majus etiam Salomone hic[5], et majus quoque

[1] 2 Cor. vi, 3, 4. — [2] Matth. v, 20. — [3] Ephes. v, 27. — [4] Matth. xii, 6. — [5] Ibid. 42.

Jona hic [1]. Et Apostolus cum jam Mosis gloriam Judæis in legis ministerio inaccessam explanasset, hoc testatur, hæc subjungens : « Nam nec glorificatum est quod claruit in hac » parte, propter excellentem gloriam [2]. » Et Joannes Baptista, « Quo inter natos mulierum major est nemo [3], » idem declarat, dum aliquando dicit : « Illum oportet crescere, » me vero minui [4] : » aliquando vero, « Ego quidem baptizo » vos in aqua in pœnitentiam, ille vero vos baptizat in Spi» ritu sancto et igni [5] ; » et talia multa. Quanto autem excellentior est Spiritus sanctus aqua, tanto videlicet præstat et is, qui baptizat in Spiritu sancto, ei, qui baptizat in aqua : quod dictum volo et de ipso baptismate, sicut Joannes ipse tantus et talis, et ita a Domino commendatus, prius citra verecundiam dixerit : « Non sum idoneus, ut solvam » corrigiam calceamenti [6]. »

V. Quare ex his omnibus manifestum est quæ sit baptismatis secundum Evangelium Christi præstantia : quam etsi pro dignitate mente assequi non possumus, tamen eam ex ipsis Scripturis pro viribus, et prout Deus idoneos nos effecerit, declarare pium est et utile. Quod igitur per Mosen traditum est baptisma, primum quidem cognoscebat discrimen peccatorum, cum non omnibus peccatis daretur veniæ donum : deinde vero requirebat sacrificia diversa, purificationem prorsus exigebat, aliquandiu separabat a reliquis impurum et pollutum, dierum et temporum statuebat observationem, tuncque baptisma suscipiebatur velut sigillum purificationis. At vero Joannis baptisma multis modis excelluit. Nam peccata nullo modo discernebat, non exposcebat diversitatem sacrificiorum, purificationis diligentiam non adhibebat, non observabat dies aut tempora. Quinetiam sine ulla prorsus dilatione simul atque ad

[1] Matth. XII, 41. — [2] 2 Cor. III 10. — [3] Matth. XI, 11. — [4] Joan. III, 30. — [5] Matth. III, 11. — [6] Marc. I, 7.

gratiam Dei et Christi ejus aliquis accesserat, quantacumque et qualiacumque peccata confessus fuisset, et baptizabatur in Jordane fluvio, et statim veniam consequebatur peccatorum. Verum Domini baptisma humanum omnem captum superat, gloriamque habet omni desiderio ac voto humano sublimiorem, et gratiæ virtutisque præstantiam tanto ampliorem, quanto sol stellis antecellit. Imo etiam si Sanctorum dicta in memoriam revocentur, validius adhuc incomparabilem illam excellentiam ostendunt. At non propterea silendum, sed nos ipsis Domini nostri Jesu Christi verbis veluti viæ ducibus usos, et velut per speculum et in ænigmate ductos necesse est loqui, non ut nostra interpretatione ob corporis debilitatem et abjectum sermonem gloria hæc imminuatur, sed ut etiam ea in re magnitudinem lenitatis ac benignitatis boni Dei miremur, quod eos, qui de dilectionis in Christo Jesu et gratiæ ipsius magnificentia ore balbutienti loquuntur, perferat.

VI. Cum igitur Dominus noster Jesus Christus dixisset « Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum » Dei [1]; » ac rursus : « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, » non potest introire in regnum Dei [2], » et post resurrectionem ex mortuis, (adimpleto in se vaticinio Davidis, qui ex persona Dei ac Patris dixerat : « Filius meus es tu, ego » hodie genui te : Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ [3], » quæ res et facta est, et jam omnium oculis exposita,) tum demum Discipulis suis, tanquam mandatum aliud opponens priori, quo in vias gentium abire prohibuerat [4], præcipit, dicens : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes » eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [5]. » Necesse autem esse duco singulorum verborum vim per fidem in-

[1] Joan. III, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Psal. II, 7, 8. — [4] Matth. X, 5. — [5] Id. XXVIII, 19.

telligere, et considerare, et ita loqui, ut nobis sermo per communes preces in apertione oris nostri dabitur. Scriptum namque est : « Nisi credideritis, non intelligetis [1]. » Et iterum : « Credidi propter quod locutus sum [2]. » Et quoniam mihi persuasum est usum et nominum, et verborum, et rerum, in divina Scriptura non accipi ex consuetudine, aut simpliciter et temere, ut contingere solet, neque a Deo, neque a Christo ejus, neque a sanctis Prophetis, neque ab Evangelistis aut ab Apostolis, sed in Spiritu sancto, examine præmisso, ad scopum piæ sententiæ, idque non integre, sed ex parte, et quantum quodque contulerit ad propositum sanæ doctrinæ, tum ut quis pie sentiat, tum ut mentem ad contemplationem judiciorum et dogmatum pietatis dirigat, necesse est et nos accurate diligenterque singulis dictis attendere, et ex supernæ vocationis scopo sententiam eligere. Atque hoc præstabimus, si modo per communes preces corroboraverit nos Jesus Christus unigenitus Dei viventis Filius, ut id et in nobis fiat, sicut Apostolus dixit : « Omnia possum in Christo, » qui me corroborat [3]. »

VII. Illud igitur, « Denuo, » arbitror prioris generationis, quæ in peccatorum sordibus facta est, emendationem ostendere, cum Job dicat : « Nemo purus est a sordibus, » ne si unus quidem dies sit vita ejus [4] ; » et David lugeat, ac dicat : « In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis » concepit me mater mea [5], et Apostolus ita contestetur : « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei : justificati » gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in » Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per » fidem in sanguine ipsius [6]. » Quapropter etiam peccatorum venia datur credentibus, Domino ipso dicente : « Hic est

[1] Esaï. VII, 9. — [2] Psal. CXV, 10. — [3] Philip. IV, 13. — [4] Job. XIV, 4, juxta LXX. — [5] Psal. L, 7. — [6] Rom. III, 23-25.

» sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur » in remissionem peccatorum [1] : » quemadmodum Apostolus rursus testatur, dicens : « Secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in Dilecto, in quo habemus redemptionem per » sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, de qua nobis impartivit ubertim [2] ; » ut quemadmodum statua contrita ac confracta, amissa regis forma eximia, denuo conformatur a sapiente artifice ac bono opifice, gloriam operis sui resarciente, atque pristino splendori restituitur : sic etiam nos ob præcepti transgressionem male affecti, velut scriptum est : « Homo cum » in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis » insipientibus, et similis factus est illis [3], » ad pristinam imaginis Dei gloriam revocemur. Nam, inquit, juxta imaginem et similitudinem Dei fecit Deus hominem [4]. Quomodo autem hoc factum sit, Paulus apostolus docuit, his verbis : « Gratia Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis » vero ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi » estis [5] ; » ut quemadmodum cera typo sculpturæ admota, prorsus conformatur ad insitam sculpturæ formam : ita nos quoque posteaquam nosmet typo doctrinæ evangelicæ tradidimus, informemur secundum internum hominem, implentes quod in modum præcepti ab eo dictum est. Ait enim : « Exuentes veterem hominem cum actibus suis, et » induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secun» dum imaginem ejus qui creavit illum [6]. » Et multa hujusmodi.

VIII. Modum quidem et rationem, qua oportet ex aqua generari, Paulus in Christo loquens, decretoriis his verbis tradit : « An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati su-

[1] Matth. XXVI, 28. — [2] Ephes. I, 5-8. — [3] Psal. XLVIII, 13. — [4] Gen. I, 27. — [5] Rom. VI, 17. — [6] Gal. III, 9. 10.

» mus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?
» Consepulti igitur sumus cum illo per baptismum in mor-
» tem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam
» Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim
» complantati facti sumus similitudini mortis ejus, et re-
» surrectionis quoque erimus. Hoc scientes quia vetus homo
» noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati,
» ut ultra non serviemus peccato. Qui enim mortuus est,
» justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum
» Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo,
» scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non
» moritur, mors illi ultra non dominatur. Nam quod mor-
» tuus fuit, peccato mortuus fuit semel : quod autem vivit,
» vivit Deo : ita et vos existimate vos ipsos mortuos quidem
» esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu [1]. » Ex quibus omnibus etiam ratio secundæ generationis per quamdam similitudinem consideratur. Fieri autem non poterat ut quis, gratia Dei non præeunte, generaretur denuo, ut Apostolus ipse cum præcedentibus, tum subsequentibus de baptismate capitibus declarat. Nam facto hinc initio,
« Commendat autem charitatem suam Deus in nos, quo-
» niam adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mor-
» tuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine
» ejus, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici
» essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,
» multo igitur magis reconciliati, salvi erimus in vita
» ipsius [2]. »

IX. Et multa ejusdem generis sunt, quæ perspicue et magnifice ostendunt magnam et inenarrabilem Dei in homines benignitatem, ob datam peccatorum veniam, ac potestatem atque virtutem eorum, quæ ad gloriam Dei ac Christi ejus in spe vitæ æternæ per Jesum Christum Do-

[1] Rom. VI 3-11. — [2] Id. V, 8-10.

minum nostrum perfecta sunt. Quapropter, « Sicut per » unius delictum, inquit, in omnes homines in condemna» tionem : sic et per unius justitiam in omnes homines in » justificationem vitæ [1]. » Et ubi ea, quæ sequuntur, in modum dogmatum exposuit, tunc dicit : « An ignoratis, fratres, » quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte » ipsius baptizati sumus [2] ? » Cur ? ut cum ea, quæ officii nostri sunt, secundum fidem per charitatem facta fuerint, simul, præeunte gratia, inferamus, sicque perficiatur in nos beneplacitum divinæ in Christo dilectionis. Itaque opus est certamine magno, eoque legitimo, ne talem ac tantam gratiam dilectionis Dei in Christo frustra accipiamus, eodem Apostolo dicente : « Eum namque, qui peccatum non » novit, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur jus» titia Dei in ipso [3]. Adjuvantes autem et exhortamur, ut » ne in vacuum gratiam Dei recipiatis [4]. » Quod autem cui multum concrediderint, plus ab eo sint repetituri, constanter Dominus pronuntiavit [5]; quod et inculpato modo fit, si tam ea, quæ ante dictis subjunguntur, quam ea, quæ in idem de baptismate argumentum conjunctim dicta sunt, diligenter serventur, et ea, quæ his cohærent, in virtute ejusdem gratiæ Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum in Spiritu sancto fideliter susceperimus, ut credentes intelligamus per gratiam Dei, eaque, quæ intelligere promeruerimus, in Christi dilectione faciamus, qui dixit : « Si hæc scitis, beati estis, si faciatis ea [6]. » Nam « Intellec» tus bonus omnibus facientibus eum [7], » uti testatur Propheta. Quin et ipse unigenitus Dei viventis Filius formidabile ac inevitabile judicium exponit, cum dicit : « Qui » cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit

[1] Rom. v, 15, 16. — [2] Id. vi, 3. — [3] 2 Cor. v, 21. — [4] Id. vi, 1. — [5] Luc. xii, 48. — [6] Joan. xiii, 17. — [7] Psal. cx, 10.

» multis [1]. » Imo ne eum quidem, qui per ignorantiam deliquit, impunitum dimisit.

X. Et ut, quemadmodmum ante dictum est, per manifestiora verba resque clariores ad cognitionem salutaris dogmatis ad baptisma attinentis, deducamur, in indubitata veritatis persuasione animum diligenter attendamus ad significata, omnemque sententiam ad pietatis scopum adaptemus. Baptizati sumus, inquit, ut per hoc illud discamus, quod quemadmodum lana in tincturam immersa colorem transmutat; imo potius, ut Joanne Baptista, qui vaticinium illud de Domino edidit : « Ipse vos baptizabit in » Spiritu sancto et igni [2], » duce utentes, ita illustremur luce cognitionis, ad magnam illam lucem intelligendam, hoc dicamus, quod sicut ferrum in igne a vento suscitato immersum, magis exploratur, an vitii aliquid in se habeat, paratiusque redditur ad purgationem, nec ejus modo color mutatur, sed ejus etiam durities ac renitentia transmutantur in mollitiem, efficiturque operi manuum opificis magis idoneum, ac rite adaptatur ad voluntatem domini, et relicta nigritudine, splendidius seipso factum, non solum ignescit, et splendet, sed etiam vicina illustrat et calefacit : ita consentaneum est et necessarium eum, qui fuerit in igne baptizatus, hoc est, in doctrinæ verbo, quod et peccatorum malitiam redarguit, et justificationum gratiam commonstrat, odio habere et execrari injustitiam, sicut scriptum est, et optare ut per fidem purificetur in virtute sanguinis Domini nostri Jesu Christi, cum dicat ipse : « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effun- » ditur in remissionem peccatorum [3], » et Apostolus ita testetur : « In quo habemus redemptionem per sanguinem » ejus, remissionem peccatorum [4] : » et ut non ab omni so-

[1] Luc. XII, 47, 48. — [2] Matth. III, 11. — [3] Id. XXVI, 28. — [4] Ephes. I, 7.

lum iniquitate et peccato, sed ab omni etiam inquinamento carnis et spiritus purgetur, et tunc demum in mortem Domini baptizatus, conformari ad mortem, hoc est, mori peccato, sibi ipsi et mundo, ut secundum incarnationem vivens, et corde et sermone et factis typum ac figuram doctrinæ Domini nostri Jesu Christi, sicut cera sculpturæ accipiens, impleat quod scriptum est : « Gratia » Deo, quod eratis servi peccati, obedistis vero ex corde in » eam formam doctrinæ, in quam traditi estis[1] : » et ita dignus fiat, qui servet quod conjunctim appositum est : « Consepulti igitur sumus cum illo per baptismum in mor- » tem[2]. » Quid causæ est ? « Ut quemadmodum excitatus est » Christus ex mortuis per gloriam Patris : ita et nos in novi- » tate vitæ ambulemus[3]. » Necesse est enim mortuum sepeliri, et eum, qui in similitudine mortis sepultus est, resurgere per gratiam Dei in Christo, nec amplius ob peccata faciem interni hominis velut adustionem ollæ præferre[4], sed peccatis in igne detectis, et accepta per sanguinem venia, deinceps per novam vitam iis, quæ in Christo sunt, justificationibus præ omni lapide, qui multum pretiosus sit, coruscare.

XI. Itaque deposita inobedientiæ duritia, ostendamus docilitatem ac obedientiam in præceptis, et spiritu ferventes resplendeamus, et a tenebrarum potestate, quæ in mortem abripit, liberemur : « Stipendia enim peccati, » mors[5] : » ut et in nobis fiat quod dictum est ab Apostolo : « Absorpta est mors in victoriam : ubi est mors, stimulus » tuus ? Ubi est victoria tua, inferne[6] ? » Verum Domino soli justitiæ obtemperantes, illuminemur ab ipso, intelligentiamque ac virtutem consequamur, adeo ut justificemur in ipso, nec reddamur solum nive candidiores, (verax est

[1] Rom. vi, 17. — [2] Id. 4. — [3] Ibid. — [4] Joël. ii, 6, et Nahum. ii, 10. — [5] Rom. vi, 23. — [6] 1 Cor. xv, 54, 55.

enim Deus, qui ita pollicitus est : « Si fuerint peccata vestra » quasi phœniceum, sicut nivem dealbabo [1],)» sed eos etiam, qui ad nos accedunt, illustremus, nunc quidem audientes Dominum, dicentem : « Vos estis lux mundi [2], » modo vero audientes ac facientes illud : « Sic luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum, qui in cœlis est [3]. » Tunc et Apostolus idem omnino testimonium nobis reddet, his verbis : « Inter » quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ con- » tinentes ad gloriam meam in die Christi [4]. » Quomodo vero vitæ novitas non foret lucidior, non comparatione modo gentilium, et mundanorum hominum, sed comparatione etiam longe præstantiori, eorum, qui secundum legem tanquam justi commendantur ? cum non solum non appetamus accessionem, et amplius quiddam, velut mundani homines solent, sed ne ea quidem, quæ jam parta et nostra sunt, vindicemus nobis, imo vero legem transcendentes, ipsa ad egenos beneficiis afficiendos exoptemus : siquidem non benefacimus solum proximis, sed ad inimicos etiam et pravos benignitas nostra sese extendit, ita facientes ex illo Domini nostri Jesu Christi præcepto, « Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis mise- » ricors est [5]. » Quomodo vero tunc in novitate vitæ non ambulamus, aut justitiam magis quam Scribæ et Pharisæi non perficimus, cum obtemperamus Domino, dicenti : « Dictum est antiquis : Oculum pro oculo, et dentem pro » dente. Ego autem dico vobis, ut ne resistatis malo : sed » quisquis te percusserit in dextram maxillam, obverte illi » et alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et » tunicam tuam tollere, dimittes et pallium. Et si quis » adegerit te ad milliarium unum, abito cum illo duo [6]. »

[1] Esaï. I, 18. — [2] Matth. v, 14. — [3] Ibid. 16. — [4] Philip. II, 15, 16. — [5] Luc. VI, 36. — [6] Matth. v, 38-41.

Non solum enim non ulciscimur peccata prius in nos admissa, uti, lege Moysis permittente, Scribæ et Pharisæi suadent : sed majorem etiam malorum tolerantiam ostendimus, alacritatem ad paria aut etiam graviora sustinenda præferentes. Et hoc pacto utrumque consequimur. Mortem quidem in eo quod ad indignationem adversus eum, qui primam plagam nobis inflixit, non provocamur : vitæ vero in Domino novitatem, in eo quod et alteri nosmet objicimus.

XII. Quomodo autem legi etiam non mortuus est, qui non vindicat quod aufertur ? Quomodo etiam non in Christo vivit, qui dimittit et pallium ? Similiterque et legalem omnem justitiam docemur transcendere. Quod autem non mundo tantum crucifigi, sed legi etiam mori nos oporteat, ex eodem Apostolo dogmatice discere licet. Aliquando enim dicit : « Ego mundo crucifixus sum, et » mundus mihi[1]. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus[2] : » aliquando vero, postquam multum de bona existimatione in lege olim comparata gloriatus fuerat, ait : « Quinetiam existimo omnia esse stercora, ut Christum » lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justi- » tiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est per fidem Jesu » Christi, justitiam ex Deo in fide, ad cognoscendum illum, » et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum » illius, configuratus morti ejus : si quomodo occurram ad » resurrectionem mortuorum[3]. » Et paulo post docens nos, ut sentiamus idem quod ipse, expressius dicit : « Quicum- » que ergo perfecti sumus, hoc sentiamus[4]. »

XIII. Et alibi animo vehementiore velut dogma necessarium exponens, ait : « Itaque et vos mortificati estis legi » per corpus Christi, ut sitis alterius, ejus scilicet, qui ex

[1] Gal. VI, 14. — [2] Id. II, 20. — [3] Philip. III, 8-11. — [4] Ibid. XV.

» mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim » essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem » erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent » morti: nunc autem soluti sumus a lege, mortui ei, in qua » detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritus, et non in » vetustate litteræ[1]. Littera enim, hoc est, lex, occidit: Spiri- » tus vero, hoc est, verbum Domini, vivificat[2]. » Quemadmodum dicit ipse: « Caro non prodest quidquam: Spiritus est, qui » vivificat. Verba mea spiritus et vita sunt[3]. » Atque etiam eximius ille inter Apostolos idem testatur, ubi dicit: « Ad quem » ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et » cognovimus quia tu es Christus Filius Dei viventis[4]. » Quod si in veritatis certa persuasione diligentius servaverimus, effugere poterimus formidabile illud judicium a Mose quidem minaciter ac prophetice scriptum: « Prophetam vobis suscitabit[5] Dominus Deus vester sicut me, ipsum audietis in omnibus, quæ præceperit vobis. Erit autem ita: Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur e populo. » A Joanne vero Baptista quo « Inter natos mulierum major est nemo[6], » sententiose modo terribiliori dictum est: « Qui credit in Filium, habet » vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non vi- » debit vitam, sed ira Dei manet super eum[7]. » Ut autem talis in baptismate mors, et ejusmodi in illa sepultura mœstitiam non exhibeat, ob corruptionis et interitus expectationem, sed vitæ novitas, quæ spem gloriosæ resurrectionis stabilit, sementem jactam exuperet, subjungit, dicens: « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, » nimirum et resurrectionis erimus[8]. » Nam si in tali mortis similitudine mortui, et una cum Christo sepulti, in novi-

[1] Rom. VII, 4-6. — [2] 2 Cor. III, 6. — [3] Joan. VI, 64. — [4] Ibid. 69, 70. — [5] Deut. XVIII, 18, 19. — [6] Matth. XI, 11. — [7] Joan. III, 36. — [8] Rom. VI, 5.

tate vitæ ambulaverimus, non expectabimus mortalitatis corruptionem, sed sepulturam et velut seminum plantationem imitamur; ac mortificantes quidem nos ipsos operibus vetitis, et fidem, quæ per charitatem operatur, ostendentes, digni reddimur, qui, utpote earumdem rerum spe suffulti, eadem atque Apostolus dicamus: «Nostra » enim conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem » expectamus Dominum Jesum Christum, qui transforma» bit corpus humilitatis nostræ, ut conforme reddatur cor» pori gloriæ ejus, secundum operationem, quæ etiam possit » subjicere sibi omnia[1]. Et sic semper cum Domino eri» mus[2], » cum ipse quidem Dominus noster Jesus Christus petat a Patre, et dicat: «Da Pater, ut ubi ego sum, et isti » mecum sint[3], » annuntiet vero nobis ac polliceatur idipsum, cum dicit: «Quisquis mihi ministrat, me sequatur; » et ubi sum ego, illic et minister meus erit[4], » et Paulus apostolus, qui et in Christo vaticinabatur, testimonium addat, ubi ita scribit: «Hoc enim vobis dicimus in verbo » Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in ad» ventu Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. » Quoniam ipse Dominus in jussu, in voce Archangeli, » et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui, qui in Christo » sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui re» linquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam » Domino in aëra, et sic semper cum Domino erimus[5]. »

XIV. Atque hoc pacto in iis, qui nunc servaverint illud, «Si enim complantati facti sumus similitudini mortis » ejus », tunc adimplebitur promissio illa: « Itidem et re» surrectionis erimus[6]; » quemadmodum et alibi dicit: «Nam si commortui sumus, et convivemus: si sustine» mus, et conregnabimus[7]. » Cum autem Apostolus non

[1] Philip. III, 20, 21. — [2] 1 Thess. IV, 16. — [3] Joan. XVII, 24. — [4] Id. XII, 26. — [5] 1 Thess. IV, 14-16. — [6] Rom. VI, 5. — [7] 2 Tim. II, 11, 12.

ignoraret repetitionem audientibus ad integram confirmationem utilem esse, etiam iisdem rebus repetitis veritatis persuasionem magis stabilit. De se enim dicentem audimus : « Eadem scribere vobis me quidem haud piget, vobis » vero tutum est[1]. » Quemadmodum didicimus et a Joseph, qui bis regi Pharaoni somnium interpretatus est[2], ita quoque somnii historiam imitatus, idem baptismatis dogma per rationes prioribus similes tradit, his verbis : « Hoc » scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, » ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato[3]. » Itaque et his verbis docemur eum, qui in Christo baptizatus est, baptizari in mortem ipsius, et non solum cum Christo sepeliri et conseri, sed primum simul crucifigi, ut in hoc etiam condiscamus quod, quemadmodum qui crucifigitur, abalienatur a viventibus, sic etiam qui in similitudine mortis simul cum Christo crucifixus est, omnino ab iis, qui secundum veterem hominem vivunt, abalienetur, cum Dominus quidem præcipiat ut caveamus a falsis prophetis[4]; Apostolus vero dicat : « Subtrahatis » vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secun- » dum traditionem, quam acceperunt a nobis[5]. » Vetus enim homo, quem vocat, omnia simul et singulatim tam peccata quam inquinamenta tanquam sua membra indicat.

XV. Et quemadmodum qui crucifixus est, recepta mortis sententia ab iis, qui secum olim vixere, sejungitur, iis qui in terra repunt effectus altior : ita quoque qui cum Christo crucifixus est per baptisma, is ab omnibus simul in hoc sæculo viventibus, sua mente ad cœlestem conversationem erecta, semotus est, sic ut vere et cum fiducia, quæ in Christo est, possit dicere : « Nostra enim conver » satio in cœlis est[6]. » Ac rursus subdit : « Qui enim mortuus

[1] Philip. III, 1. — [2] Gen. XLI. — [3] Rom. VI, 6. — [4] Matth. VII, 15. — [5] 2 Thess. III, 6. — [6] Philip. III, 20.

» est, justificatus est a peccato [1], » hoc est, solutus est, liberatus est, purgatus est ab omni peccato, quod non solum in operibus ac verbis, verum etiam in cogitatione libidines et affectus commovente, situm est. Et in alio loco sententiam protulit, ita scribens : « Qui autem sunt Christi » Jesu, carnem crucifixerunt cum affectibus et concupis» centiis [2]. » Nimirum hæc crucifigimus quotquot in aqua baptizamur, quod baptisma similitudo est crucis, et mortis, et sepulturæ, et resurrectionis mortuorum, sicut scriptum est. Et iterum : « Mortificate, inquit, membra » vestra, quæ sunt super terram (saltem in posterum omnino baptismatis pacta servantes), fornicationem, im» munditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et ava» ritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ » venit ira Dei [3] : » nec solum hæc dixit, sed generalius subjunxit : « In filios incredulitatis [4], » ita ut jam ne brevis quidem voluptas mentem coinquinans, eum, qui cum Christo in similitudine mortis consitus sit, infestet, sed per id ostendat cordis munditiem, quod odio habeat et execretur omnem malitiam vel ad ipsam usque cogitationem, quæ libidines et affectus commoveat, quemadmodum dicit David : « Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me » malignum non cognoscebam [5] : » siquidem omnino ne eo quidem accedente conversus est. Consiti autem in similitudine mortis, prorsus excitamur una cum Christo. Nam ea, quæ sequitur, sationis notio est ejusmodi. Nunc quidem juxta incarnationis mensuram internum hominem conformem præstamus in novitate vitæ, et in obedientia usque ad mortem, in integra persuasione veritatis verborum ipsius, ut digni efficiamur, qui vere dicamus : « Vivo au» tem jam non ego, vivit vero in me Christus [6]. » In poste-

[1] Rom. VI, 7. — [2] Gal. V, 24. — [3] Colos. III, 5, 6. — [4] Ibid. — [5] Ps. C, 3, 4. — [6] Gal. II, 20.

rum vero, sicut idem Apostolus confirmavit, his verbis : « Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustine- » mus, et conregnabimus [1]. » Et similiter his adducit nos ad fidem adhibendam, cum dicit : « Si enim complantati » facti sumus similitudini mortis ejus, itidem et resurrec- » tionis erimus [2]. » Ac rursus idem dogma baptismatis ejusmodi nos docens modo magis suasorio, et vi majore, subjicit, dicens : « Christus resurgens ex mortuis jam non mori- » tur, mors illi ultra non dominatur. Nam quod mortuus fuit, » peccato mortuus fuit semel : quod autem vivit, vivit Deo. » Ita et vos existimate, vos ipsos quidem mortuos esse pec- » cato, viventes autem Deo in Christo Jesu [3]. »

XVI. Itaque illam ipsius Domini nostri Jesu Christi de peccatorum nostrorum venia dispensationem per incarnationem ad mortem usque progressam adjiciens Apostolus, gravius ac validius, lata sententia, docet nos mortuos quidem esse peccato, viventes vero Deo in Christo Jesu, ut quemadmodum Christus propter nos mortuus, et excitatus ex mortuis pro nobis, non amplius moritur, ita nos quoque baptizati in mortem in similitudine, moriamur peccato; et per ascensum ex baptismate, velut ex mortuis excitati, vivamus Deo in Christo Jesu, et non moriamur amplius, hoc est, non amplius peccemus : siquidem « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur [4]. » Et quemadmodum mors ei non amplius dominatur, ita et nobis non ultra dominetur peccatum, hoc est, non amplius peccatum perpetremus. Et quoniam « Qui peccatum facit, servus est » peccati [5], » prorsus ab ejusmodi servitute liberati, sicut Paulus declaravit, his verbis : « Qui autem sunt Christi, » carnem crucifixerunt cum affectibus et concupiscen- » tiis [6], » vivamus Deo in Christo Jesu, qui liberavit nos,

[1] 2 Tim. II, 11, 12. — [2] Rom. VI, 5. — [3] Ibid. 9-11. — [4] Ezech. XVIII, 4. — [5] Joan. VIII, 34. — [6] Gal. V, 24.

uti scriptum est : « Christus nos redemit de maledicto legis, » factus pro nobis maledictum [1]. » Longe autem potiori jure sumus a peccato liberati, gratia videlicet Domini Jesu Christi, sicut scriptum est : « Sicut enim per inobedientiam » unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita per » unius obeditionem, justi constituentur multi [2]. State » igitur, inquit, et nolite iterum jugo servitutis detineri [3]. » Et ut ipse peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo : ita et nos in aquæ baptismate, quod crucis et mortis similitudinem refert, semel mortui peccato, custodiamus nos ipsos, et non amplius revertamur ad peccatum. Quinetiam pergamus vivere Deo in Christo Jesu, qui dixit : « Qui mihi ministrat, me sequatur [4] : » custodientes primum quidem præceptum illud ipsius Domini, dicentis : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera » vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis » est [5]; » deinde monitum etiam Apostoli scribentis : « Sive » editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam » Dei facite [6]. » Assequemur autem horum quodque, si cœlesti vocatione dignum quid sentientes, vitam agamus dignam Evangelio Christi, possimusque vere dicere : « Charitas enim Christi constringit nos, judicantes illud, quod » si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui » sunt : et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non » amplius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et » resurrexit [7]. » Et ita fit hoc : « Manete in dilectione mea. » Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, » sicut ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus » dilectione [8]. »

XVII. « Nullam autem ulla in re offensionem dantes, ut

[1] Gal. III, 13. — [2] Rom. V, 19. — [3] Gal. V, 1. — [4] Joan. XII, 26. [5] Matth. V, 16. — [6] 1 Cor. X, 31. — [7] 2 Cor. V, 14, 15. — [8] Joan. XV, 9, 10.

» ne vituperetur ministerium[1]; » sed velut Dei ministri in omnibus commendantes nosmetipsos, sinceram ac veram ostendamus baptismatis promissionem, custodientes scilicet quæ ab Apostolo hortamenti in morem ad quoscumque cum Christo consitos et cum ipso excitatos sic dicta sunt : « Ne igitur regnet peccatum in vestro mortali cor» pore, ut obediatis ei in ipsius concupiscentiis. Neque » exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed » exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et » membra vestra arma justitiæ Deo[2]. » Et iterum : « Igitur, » si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, » ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt » sapite, et non quæ super terram[3]. » Ac mea quidem sententia, sic per pauca quæ relata sunt, nobis Apostolus explicat magnam illam prævenientem, et cui vices referri non possint, immensæ benignitatis Dei gratiam, in dilectione Christi Jesu Domini nostri, cujus usque ad mortem obedientia, uti scriptum est, facta nobis est redemptio peccatorum, liberatio mortis in peccato, quod a sæculo est, regnantis, reconciliatio cum Deo, virtus qua grati efficimur Deo et accepti, justitiæ donum, societas Sanctorum in æterna vita, regni cœlorum hæreditas, et innumerorum aliorum bonorum præmium. Atque etiam sapienter ac valide nobis per ea, quæ conjunctim illata sunt, rationem baptismatis aquæ, quod in mortem Domini nostri Jesu Christi fit, tradidit. Quibus nos erudivit, ut communiamus nosmetipsos, ne frustra tantam ac talem gratiam suscipiamus, ubi videlicet ea dicit, quorum jam memini : « Ne igitur regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut » obediatis ei in concupiscentiis ipsius. Neque exhibeatis » membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete

[1] 2 Cor. VI, 3. — [2] Rom. VI, 12, 13. — [3] Col. III, , 2.

» vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra » arma justitiæ Deo, etc. »

XVIII. Quibus nos omnino ab omni peccato et a legis justitia removens, ad justitiam vero secundum Deum per minas magis horrendas ac per bonam desiderabilemque promissionem vehementius adducens, his verbis : « Stipen» dia enim peccati, mors; donum vero Dei, vita æterna, » in Christo Jesu Domino nostro[1], » id nos docet, ut rursus Dominum imitemur, et evadamus legali justitia superiores, subjungitque : « An ignoratis, fratres, scientibus » enim legem loquor, quod lex dominatur homini, quanto » tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente » viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir, soluta est » a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fue» rit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir, libera est » a lege, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, » fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, » ut sitis alteri, ei scilicet, qui ex mortuis resurrexit, ut » fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne, passio» nes peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in » membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem so» luti sumus a lege, mortui ei, a qua detinebamur, ita ut » serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate lit» teræ[2], etc. » Quibus discimus ineffabilem Dei in Christo Jesu benignitatem mirari, nosque majore cum timore ab omni inquinamento carnis et spiritus repurgare.

XIX. Cæterum discrimen quod spiritum inter et litteram intercedit, comparatis inter se alibi lege et Evangelio, sententiose declarat, his verbis : « Littera enim occidit, Spiritus » vero vivificat[3], » legem appellans litteram, ut ex iis quæ superius scripta sunt, et ex iis quæ subjunguntur, liquet : spiritum vero, doctrinam Domini; cum Dominus ipse di-

[1] Rom. VI, 23. — [2] Id. VII, 1-6. — [3] 2 Cor. III, 6.

cat : « Verba mea spiritus et vita sunt[1]. » Quod si legalis justitia diligenter observata quosdam, qui se Deo in baptismate devoverant, promiserantque se non amplius sibi victuros, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, tanquam adulteros judicat, veluti ex ante dictis clare demonstratum est, quidnam dixerit quis de humanis traditionibus? De legali autem justitia idem Apostolus sententiam vehementiorem profert, his verbis : « Quinetiam existimo » omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam » Jesu Christi Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror stercora esse, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens justitiam, quæ ex » lege est, sed illam quæ est per fidem Christi Jesu, justitiam » scilicet quæ ex Deo est[2]. » Judicium quidem de humanis traditionibus, ex verbis Domini manifestum est : quod vero attinet ad propria consilia, quæ ex sapientia humana fiunt, ea laboriosius evertenda esse docuit Apostolus, cum dixit : « Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus » scientiam Dei[3]. » Aut in universum institutus est sermo de justitia, quæ cuique manifesta est, etiamsi propter Deum studiose fiat, de qua ille ipse iterum dicit : « Testimonium » enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed » non secundum scientiam Dei. Ignorantes enim justitiam » Dei et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt » subjecti[4]. » Quare ex his et similibus manifesta est condemnatio eorum, qui Dei volunt judicia eludere. Scriptum est enim : « Væ qui sunt prudentes in semetipsis, et coram semetipsis scientes[5]. » Quin et Dominus apertius pronuntiavit fore, ut quisquis non susciperet regnum Dei velut puer, non

[1] Joan. VI, 64. — [2] Philip. III, 8, 9. — [3] 2 Cor. X, 4, 5. — [4] Rom. X, 2, 3. — [5] Esaï. V, 21.

troiret in ipsum [1]. Quapropter ab omnibus simul purum esse necesse est, tam diabolicis cupiditatibus, tum sæculi curis ac negotiis, tum traditionibus humanis, tum propriis voluntatibus, etiamsi speciosæ esse videantur, legisque fulciantur patrocinio, si vel ad modicum tempus diligentem celerrimamque ac debitam placitorum Dei executionem remorentur, ut qui in hujusmodi baptismate professi sunt se simul esse cum Christo crucifixos, simul mortuos, simul sepultos, simul insitos, simul ex mortuis excitatos, fiduciam habeant vere dicendi : « Ego mundo crucifixus sum [2], » et potiori jure diabolo, « Et mundus mihi. Vivo autem jam non ego, » vivit vero in me Christus [3] : » quibus justitiam justitia legali perfectiorem docet, ut digni habeamur regno cœlorum.

XX. Tempus jam fuerit procedere nos ad aliud considerandum, et per Christi fidem intelligere ac cognoscere quid sit baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Primum quidem necesse est in unoquoque nomine gloriam atque majestatem ejus qui significatus est, seorsum indicare : deinde scire quod Dominus ipse declaret quid sit in nomine Spiritus sancti baptizari, cum dicit : « Quod natum » est ex carne, caro est : et quod natum est ex Spiritu, spi» ritus est [4], » ut carnalis ortus serie pro exemplo accepta, ex re notiore dogma pietatis clare vereque discamus ; cum sciamus, planeque nobis persuasum sit, quemadmodum id quod secundum carnem ex aliquo generatum est, tale est, quale est id ex quo genitum est, ita nos quoque ex spiritu generatos necessario spiritum fieri, spiritum autem non secundum magnam illam et humanæ menti incomprehensibilem Spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ et in divisione donorum Dei per Christum ipsius unicuique ad

[1] Matth. xviii, 3. — [2] Gal. vi, 14. — [3] Id. ii, 20. — [4] Joan. iii, 6.

utilitatem fit, et in horum omnium operatione per ænigma conspicitur, similiterque aliis sententiis, sed in memoriam revocando præcepta Dei, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum annuntiata sunt, eaque docendo, cum Dominus ipse noster Jesus Christus dicat: « Ipse vos docebit, » et suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis [1], » prætereaque Apostolus fusius tradat quibus studiis quis efficiatur spiritus, cum scribit aliquando quidem : « Fructus autem Spiritus » est charitas, gaudium, pax, patientia [2], » et quæ sequuntur, priusque dixerat: « Quod si Spiritu ducimini, non estis sub » lege [3], » et alibi : « Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulemus [4]; » aliquando vero : « Habentes autem donationes » secundum gratiam Dei, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam, secundum rationem fidei, sive » ministerium in ministrando [5], etc. »

XXI. Per hæc et similia Dominus eos, qui ex Spiritu nati sunt, spiritum fieri dicit. Et Apostolus pariter idem testatur, his verbis : « Hujus rei gratia flecto genua mea ad » Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut det vobis secundum » divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum suum, » in internum hominem, ut inhabitet Christus [6]. » Quod si viventes spiritu, spiritu etiam ambulamus, sic quoque Spiritus sancti capaces effecti, poterimus Christum confiteri : siquidem nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Ad hunc igitur modum Dominus tum per seipsum, tum per Apostolum docuit generatos ex Spiritu, spiritum fieri. Atque in hoc rursus imitabimur carnalem generationem; primum quidem mutantes locum et mores transformantes, in eo quod internus homo spiritu corroboratur, ut possimus dicere : « Nostra autem conversatio in cœlis est [7]; corpus

[1] Joan. XIV, 26. — [2] Gal. V, 22. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 25. — [5] Rom. XII, 6, 7. — [6] Ephes. III, 14-17. — [7] Phil. III, 20.

quidem in terra tanquam umbram circumferentes, animam vero una cum cœlestibus conversantem custodientes : deinde ab iis quoque, qui in terra nobiscum vivunt, secedentes, cum David dicat : « Detrahentem secreto proximo » suo, hunc persequebar. Superbo oculo et insatiabili corde, » cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ ut se» deant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi mi» nistrabat. Non habitabat in medio domus meæ faciens » superbiam. Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu » oculorum meorum [1], » et in aliis similiter ; Apostolus vero gravius quiddam denuntiet : « Si quis frater nominatus aut » fornicator fuerit, aut avarus, aut idolorum cultor, aut » maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum tali ne cibum » quidem sumatis [2]. »

XXII. Et sæpe idem ille, ubi talia adversus ejusmodi scelera præscribit, præmisso de immensa et gloriosa benignitatis Christi gratia aliquo sermone, perspicue et diligenter tradit cum quibus et cum qualibus convivendum nobis sit, dum dicit : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit » utraque unum, et medium parietem maceriæ solvit, ini» micitiam in carne sua : legem mandatorum in decretis » evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum » hominem, faciens pacem ; et reconciliet ambos in uno » corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in se» metipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe » fuistis ; et pacem iis, qui prope : quoniam per ipsum ha» bemus accessum utrique in uno Spiritu ad Patrem. Ergo » jam non estis hospites, et advenæ ; sed estis concives » Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super funda» mentum Apostolorum et Prophetarum, summo angulari » lapide ipso Christo Jesu, in quo omnis ædificatio coag» mentata crescit in templum sanctum in Domino [3], » ut

Psal. c, 5-7. — [2] 1 Cor. v, 11. — [3] Ephes. ii, 14-21.

hoc pacto in similitudine mortis insititii Christo, et in nomine sancti Spiritus baptizati, et generati denuo secundum internum hominem in renovatione mentis, superstructique super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, sic digni habeamur qui baptizemur in nomine Unigeniti Filii Dei, promereamurque donum magnum, cujus Apostolus meminit, his verbis : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Græcus et Judæus[1], circumcisio et præputium, barbarus, Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus[2]. »

XXIII. Necessarium enim est et consequens, ut qui natus est, is etiam induatur : tantum si quemadmodum tabula ex quacumque tandem materia constet, inæqualitate deposita, derasaque asperitate, ita demum imaginis regiæ picturam induit, tuncque non ex ligni aut auri aut argenti discrimine æstimatur imaginis præstantia ; sed in accurata cum exemplari similitudine, cum multa diligentia ex artis præceptis rite expressa, materiæ quidem discrimen occultat, etiamsi in ea plurimum sit distantiæ atque discriminis, atque ad suam dignitatem admirandam spectatores inducit, fitque quovis principatu ac potentatu præstantior, sic etiam qui baptizatur, sive Judæus, sive Græcus, sive mas, sive fœmina, sive servus, sive liber, sive Scytha, sive barbarus, sive alius quivis ex quacumque generis differentia nomen adeptus, cum semel hominem veterem cum actibus suis in sanguine Christi exuerit, et in Spiritu sancto per illius doctrinam, induerit novum, creatum secundum Deum in justitia atque sanctitate veritatis, renovatum ad agnitionem secundum imaginem Conditoris sui, dignus reddatur, qui pertingat ad Dei placitum, ab Apostolo in his expressum verbis : « Scimus enim quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui

[1] Gal. III, 27, 28. — [2] Col. III, 11.

» secundum propositum vocati sunt. Nam quos præscivit, » et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit » ipse primogenitus in multis fratribus[1]. »

XXIV. Tunc enim quasi Filium Dei indutus, fit dignus gradu perfecto, baptizaturque in nomen Patris ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui juxta Joannis testimonium eam potestatem dedit, ut Dei fiamus filii[2], Dei, inquam, qui dicit : « Exite de medio eorum, et separamini, et im» mundum ne tetigeritis : et ego recipiam vos, et ero vobis » in Patrem, et vos eritis mihi in filios, et filias, dicit Do» minus omnipotens[3], » per gratiam ipsius Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei viventis, « In quo neque » circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides » quæ per charitatem operatur[4], » uti scriptum est, per quam nobis prospere cedit id quod ab ipso Domino nostro Jesu Christo continenter cum baptismatis præcepto appositum est, ubi dixit : « Docentes eòs servare omnia quæ» cumque mandavi vobis[5] : » quorum observationem argumentum nostræ in se dilectionis esse declaravit Dominus ipse, his verbis : « Si diligitis me, mandata mea servate[6]; » et rursus : « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est » qui diligit me[7]; » et iterum : « Si quis diligit me, sermo» nem meum servabit, et Pater meus diliget eum[8]. » Quinetiam vehementius ac modo ad persuadendum efficaciore ait : « Manete in dilectione mea. Si præcepta mea serva» veritis, manebitis in dilectione mea ; sicut et ego Patris » mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione[9]. » Quod si dilectionis necessaria testificatio observatio est mandatorum, illud timendum valde est, quod sine dilectione, etiam eximiorum donorum, supernarumque virtu-

[1] Rom. VIII, 28, 29. — [2] Joan. I, 12. — [3] Esaï. LII, 11, et 2 Cor. VI, 17, 18. — [4] Gal. V, 6. — [5] Matth. XXVIII, 20. — [6] Joan. XIV, 15. — [7] Ibid. 21. — [8] Ibid. 23. — [9] Id. XV, 9, 10.

tum, et ipsius fidei summa efficacia, mandatumque ipsum quod perfectos reddit, nihil prosunt, cum Paulus apostolus, qui in Christo loquebatur, dicat : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et » si habeam prophetiam, et noverim mysteria omnia, et » omnem scientiam : et si habeam omnem fidem, ita ut » montes transferam, charitatem vero non habeam, nihil » sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes faculta» tes meas, et si tradidero corpus meum, ut comburar, » charitatem vero non habeam, nihil capio utilitatis[1] : » quod arbitror ab Apostolo definitive fuisse dictum, memori videlicet Domini, dicentis : « Multi venient in illa die, di» centes : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophe» tavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in no» mine tuo virtutes multas fecimus[2], et comedimus coram » te, et bibimus, et nonne in plateis nostris docuisti[3] ? » et respondet ipsis : « Nunquam novi vos. Discedite a me » operarii iniquitatis[4]. »

XXV. Quare manifestum est et evidens, hæc citra charitatem, etiamsi præcepta et justificationes fiant, custodianturque mandata Domini et charismata magna edantur, pro iniquitatis operibus haberi ; non ex propria ratione charismatum et justificationum, sed ex proposito eorum, qui his utuntur ad proprias voluntates, dicente Apostolo, nunc quidem : « Existimantium quæstum esse pietatem[5] ; » nunc vero, « Quidam quidem propter invidiam et conten» tionem, quidam autem et propter bonam voluntatem » Christum prædicant : quidam autem ex contentione Chris» tum annuntiant, non pure, existimantes se afflictionem » addere vinculis meis[6] ; » et alibi : « Non enim sumus, in-

[1] 1 Cor. XIII, 1-3. — [2] Matth. VII, 22. — [3] Luc. XIII, 26. — [4] Ibid. 27. — [5] 1 Tim. VI, 5. — [6] Philip. I, 15-17.

» quit, sicut multi, adulterantes verbum Dei[1]. » Ac rursus per negationem dixit : « Neque enim unquam in sermone » adulationis fuimus erga vos, sicut scitis, neque in præ- » textu avaritiæ, Deus testis est : neque quærentes ab ho- » minibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis ; cum » possemus oneri esse ut Christi Apostoli[2]. » Ex his autem ac similibus aperte ostenditur Domini justam esse responsionem, dicentis : « Discedite a me operarii iniquitatis[3], » quod per Dei dona voluntati vestræ consulitis, tanquam si quis et medicis instrumentis, et peculiaribus condimentis, quæ ad morborum medelam et ad sanitatis salutisque curam confecta sint, utatur ad interitum, et illud Apostoli præceptum non servatis, qui dicit : « Sive manducatis, sive » bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite[4]. » Omnino igitur hominis interni necessaria est cura, ut intenta sit mens, et velut ad scopum gloriæ Dei alligata, ut servantes mandatum Domini, dicentis : « Facite arborem » bonam, et fructum ejus bonum[5]; » et iterum, « Pharisæe » cæce, purga prius internam poculi partem, et tunc externa » ipsius pars tota munda erit[6], » fructum ex boni cordis abundantia feramus, « Alius quidem centuplum, alius vero » sexagecuplum, alius autem trigecuplum[7], » sive operibus, sive verbis, ad gloriam Dei et Christi ipsius, caventes ubique ne Spiritum sanctum contristemus[8]; » et ita effugiamus judicium ejusdem Domini, qui dicit : « Væ vobis, quia » similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem appa- » rent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, » et omni spurcitia : sic et vos foris quidem apparetis homi- » nibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi et iniqui- » tate[9]. »

[1] 2 Cor. II, 17. — [2] 1 Thess. II, 5-7. — [3] Luc. XIII, 27. — [4] 1 Cor. X, 31. — [5] Matth. XII, 33. — [6] Id. XXIII, 26. — [7] Id. XIII, 8. — [8] Ephes. IV, 30. — [9] Matth. XXIII, 27, 28.

XXVI. Quapropter oportet ante baptisma, iis, quæ documenta impediunt, prius remotis, imbui doctrina, et sic ad disciplinam idoneos seipsos reddere, cum Dominus ipse noster Jesus Christus per exempla præcedentem sententiam confirmet, et rursus dogmatis in morem, inferat : « Sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus [1]. » Et iterum cum imperio : « Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me [2]. » Et iterum in modum definientis : « Qui non accipit crucem suam quotidie, et sequitur me, non est me dignus [3]. » Ex his et similibus ignitis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, dicentis : « Ignem veni missurus in terram, et quid volo, si jam accensus est [4] ? » manifesta dum fit peccatorum malitia, virtusque eorum, quæ ad gloriam Dei et Christi ipsius recte geruntur, affulget, tunc cupimus omnino ac confitemur quæ sunt ab Apostolo dicta : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum [5], » qui dixit : « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum [6], » ita attestante Apostolo, « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum [7], » et tunc accedimus ad aquæ baptisma, quod similitudo est crucis, mortis, sepulturæ, ac resurrectionis ex mortuis; facientes servantesque pacta, quæ Apostolus eo in loco, ubi de hujusmodi baptismate agitur, obsignavit, cum dixit : « Scientes quod Christus excitatus a mortuis, jam non moritur : mors illi ultra non dominatur. Nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel : quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos

[1] Luc. XIV, 33. — [2] Matth. XVI, 24. — [3] Id. X, 38. — [4] Luc. XII, 49. — [5] Rom. VII, 24. — [6] Matth. XXVI, 28. — [7] Col. I, 14.

» existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes » autem Deo in Christo Jesu. Non ergo regnet peccatum » in vestro mortali corpore, ut obediatis ei in concupiscen- » tiis ejus, neque exhibeatis membra vestra arma iniquita- » tis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis » viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo[1], etc. »

XXVII. Tunc quivis in nomine Spiritus sancti dignus fit, qui baptizetur, et denuo generatus mutet et locum et mores et convictores, ut Spiritu ambulantes evadamus digni, qui in nomine Filii baptizemur, induamusque Christum. Nam qui natus est, eum indui etiam oportet, sicut Apostolus dixit : « Quicumque in Christum baptizati estis, » Christum induistis[2]. » Ac rursus : « Exuentes veterem ho- » minem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui » renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui » creavit illum : ubi non est Gentilis et Judæus[3]. » Postquam autem induimus Dei Filium, qui eam potestatem, ut Dei filii fiamus, præbet, in nomine Patris baptizamur, prædicamurque filii qui præcepit et dixit, velut ait Propheta : « Quapropter exite de medio eorum, et separamini, » dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis : et ego reci- » piam vos, et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in » filios et filias, dicit Dominus omnipotens[4]. Has ergo ha- » bentes, inquit Apostolus, promissiones, charissimi, » mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis et » spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei[5]. » Et iterum admonet, his verbis : « Omnia facite sine murmu- » rationibus, ac disceptationibus, ut nulla fiat de vobis que- » rela, et sitis simplices, irreprehensibiles Dei filii, in me- » dio nationis pravæ ac perversæ : inter quos lucetis sicut » luminaria in mundo : verbum vitæ continentes ad glo-

[1] Rom. VI, 9-13. — [2] Gal. III, 27. — [3] Col. III, 9-11. — [4] Esaï. LII, 11, et 2 Cor. VI, 17, 18. — [5] Id. VII, 1.

» riam meam, in die Christi[1]. » Et rursus : « Igitur, si con» surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi » Christus est in dextra Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, » non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra » est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus appa» ruerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in » gloria[2], » quæ est ab ipso Domino promissa, ubi dixit : « Tunc fulgebunt Justi sicut sol[3]. »

CAPUT III.

Quod oportet regeneratum per baptisma, exinde divinorum mysteriorum participatione nutriri.

I. Ex boni Dei gratia, verbis unigeniti Filii Dei viventis, et sanctorum ipsius Evangelistarum Prophetarumque, et Apostoli, quæ baptismatis doctrinam secundum Evangelium Domini nostri Jesu Christi satis nobis declararunt, in medium adductis, illud didicimus, quod ignis quidem baptisma redarguat omnem malitiam ; justitiam vero, quæ secundum Christum est, suscipiat : quandoquidem ut vitii odium, ita virtutis desiderium parit, quodque sanguine Christi per fidem sumus ab omni peccato purgati, atque in aqua in Domini mortem baptizati, quasi quodam scripto professi, esse nos peccato et mundo mortuos, justitiæ vero justificatos; et ita demum in nomine Spiritus sancti baptizati, fuimus generati denuo ; generati vero et in nomine Filii baptizati, induimus Christum, induti autem hominem novum secundum Deum conditum, in nomine Patris baptizati sumus, et filii Dei appellati. Jam igitur opus est nutriri nos cibo vitæ æternæ, quem idem unigenitus Dei

[1] Philipp. II, 14-16. — [2] Col. III, 1-4. — [3] Matth. XIII, 43.

vivi Filius rursus nobis tradidit, cum aliquando quidem dixit: «Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo, » quod procedit de ore Dei[1]. » Et quomodo id fiat, docuit his verbis: «Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui » misit me, Patris[2]. » Ac rursus illa voce, « Amen, » ad eorum, quæ infert, confirmationem, et ad audientium persuasionem bis expressa, ait: « Amen, amen dico vobis, nisi » manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus » sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui manducat » meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam » æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro » enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, » in me manet, et ego in illo[3]. » Et paulo post scriptum est: «Multi ergo ex Discipulis ejus audientes hunc sermonem, » dixerunt: Durus est hic sermo, ecquis potest eum audire? » Sciens autem Dominus in semetipso, quod murmurarent » de hoc Discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si » ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? » Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. » Verba mea spiritus sunt et vita sunt. Sed sunt quidam » ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim Jesus ab initio » qui essent credentes, et quis traditurus esset eum. Et » dicebat: Propterea dixi vobis quod nemo potest venire » ad me nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ex hoc multi » Discipulorum ejus abierunt retro, et jam cum illo non » ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid » et vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, » ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus et cognovimus quod tu es Christus Filius Dei[4]. »

II. Atque sub finem Evangeliorum scriptum est: « Jesus

[1] Matth. IV, 4. — [2] Joan. IV, 34. — [3] Id. VI, 54-57. — [4] Ibid. 61-70.

» ergo, accepto pane, et gratiis actis, fregit deditque Disci-
» pulis, et dixit: Accipite, comedite; Hoc est corpus
» meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam
» commemorationem. Et accepto calice, et gratiis actis,
» dedit ipsis dicens: Bibite ex eo omnes; Hic est enim
» sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur
» in remissionem peccatorum, hoc facite in meam com-
» memorationem[1].» Hæc autem Apostolus confirmat testimonio suo, dicens: « Ego enim accepi a Domino quod et
» tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tra-
» debatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit:
» Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc
» facite in meam commemorationem. Similiter et calicem,
» postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamen-
» tum est in meo sanguine. Hoc facite in meam commemo-
» rationem. Quotiescumque enim manducabitis panem
» hunc, et calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntia-
» bitis, donec veniat[2].» Quid itaque utilitatis habent hæc verba? ut et edentes et bibentes, semper memores simus ejus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, sicque discamus necessario servare coram Deo et Christo ipsius traditum ab Apostolo dogma, quo dicit : « Charitas enim
» Christi constringit nos, judicantes hoc, quod si unus pro
» omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro
» omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non amplius sibi vi-
» vant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit[3].»
Qui enim edit et bibit, videlicet ad indelebilem memoriam Jesu Christi Domini nostri, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, rationem vero memoriæ obedientiæ Domini usque ad mortem, juxta doctrinam Apostoli non adimplet, qui, ut dictum est, ait : « Charitas enim Christi constringit

[1] Matth. xxvi, 28, et Luc. xxii, 19, 20. — [2] 1 Cor. xi, 23-26. — [3] 2 Cor. v, 14, 15.

»nos, judicantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus »est, ergo omnes mortui sunt,» (quod in baptismate professi sumus,) «et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt »non amplius sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus »est et resurrexit,» is nihil capit utilitatis, juxta sententiam Domini, qui dixit: «Caro non prodest quidquam [1].»

III. Præterea sibi ipsi accersit, qui ejusmodi est, judicium quoque Apostoli, dicentis: «Qui manducat et bibit »indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans »corpus Domini [2].» Etenim non horrendum modo judicium inest ei, qui in carnis ac spiritus inquinamento indigne ad sancta accedit; cum enim accedit, reus fit corporis et sanguinis Domini; sed etiam ei, qui otiose inutiliterque edit ac bibit (25), quod non per memoriam Jesu Christi Domini nostri, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, servat quod dictum est: «Charitas Christi constringit nos, judicantes hoc, »quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mor»tui sunt,» et quæ sequuntur. Nam velut citra conscientiam et inutiliter bonum tantum ac tale irritum faciens, velutque ingrate ad hujusmodi mysterium accedens, negligentiæ ac segnitiei judicio obnoxium se præstat, cum Dominus eos, qui vel otiosum verbum proferunt [3], non sinat esse injudicatos, et vehementius quoque inertiæ judicium declaret, in eo, qui in otio talentum servavit integrum [4]; Apostolus vero nobis tradiderit, quod et qui verbum bonum profert, nec ad fidei ædificationem dispensat, contristet Spiritum sanctum [5], et ita debemus judicium illius, qui indigne edit ac bibit, considerare. Quod si etiam is, qui fratri propter cibum molestiam creat [6], a charitate excidit, sine qua et donorum etiam magnorum et justificationum opera nihil prosunt, quid quis dixerit de eo, qui

[1] Joan. VI, 64. — [2] I Cor. XI, 29. — [3] Matth. XII, 36. — [4] Id. XXV, 25. — [5] Ephes. IV, 29, 30. — [6] Rom. XIV, 15.

otiose inutiliterque corpus edere, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi bibere non veretur, ob idque amplius Spiritum sanctum contristat, quique citra constringentem charitatem (ita ut non sibi ipsi, sed ei, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, Jesu Christo Domino nostro vivere apud se statuat), edere ac bibere audet? Oportet igitur, qui ad corpus et sanguinem Christi in recordationem illius, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, accedit, eum non ab omni solum carnis et spiritus inquinamento purum esse, ut ne in judicium edat et bibat, sed efficaciter etiam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, exprimere in eo, quod mortificatus est peccato mundoque et sibi ipsi, vivat autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.

LIBER II.

Quæstio I.

An quisquis baptizatus est baptismate, quod in Evangelio Domini nostri Jesu Christi traditur, debeat mortuus quidem esse peccato, Deo vero in Christo Jesu vivere.

Responsio.

I. Si quotquot regnum Dei concupiscimus, gratiam baptismatis æqualiter ac necessario nobis paramus, eaque opus habemus, juxta hanc sententiam a Domino prolatam: «Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest in-

» troire in regnum Dei[1], » omnes igitur pariter debemus eamdem baptismatis rationem sequi, cum Apostolus generatim baptizatis omnibus dicat: « An ignoratis, fratres, » quod quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in » morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum » illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit » Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in no» vitate vitæ ambulemus[2], etc. » Et alibi modo ad pudorem incutiendum aptiori clariusque tradit ejusmodi dogma, dicens: « Quicumque baptizati estis in Christo, Christum » induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est ser» vus, neque liber, non est masculus et fœmina. Omnes » enim vos unus estis in Christo Jesu[3]. » Quemadmodum rursus ad omnes dicit: « In quo et circumcisi estis circum» cisione non manufacta, in expoliatione corporis pec» catorum carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei » in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem[4]. » Quisquis igitur Evangelii baptismate baptizatus est, debet secundum Evangelium vivere, etiam ob ea, quæ alibi dixit: « Testificor rursus omni homini circumcidenti se, quoniam » debitor est universæ legis faciendæ[5]. »

II. Itaque plane constat quemque uno baptismate baptizatum, uti scriptum est, juxta modum ejus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, ex æquo implere debere quod ab ipso Apostolo scriptum est: « Nam charitas Christi con» stringit nos, judicantes illud, quod si unus pro omnibus » mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus » mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, » qui pro ipsis mortuus est et resurrexit[6]. » Si enim, qui circumcisus est parte aliqua corporis, juxta Mosis circumcisionem, debet legem totam servare, quanto magis qui

[1] Joan. III, 5. — [2] Rom. VI, 3, 4. — [3] Gal. III, 27, 28. — [4] Col. II, 11. — [5] Gal. V, 3. — [6] 2 Cor. V, 14, 15.

secundum Christi circumcisionem circumcisus est [1], propterea quod exuit totum corpus peccatorum carnis, sicut scriptum est, adimplere debet quod Apostolus dixit: « Ego » mundo crucifixus sum, et mundus mihi [2]: Vivo autem » jam non ego, vivit vero in me Christus [3]? » Quare qui vere juxta Apostoli verba in mortem Christi baptizatus est, seipsum et mundo mortificavit, et multo magis peccato, prout ab Apostolo, ubi de baptismate sermo habetur, dictum est: « Vetus homo noster simul crucifixus est, ut » destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus pec» cato [4]. » Nam inviolate pactus est Christum in omnibus sequi, quod est Deo integre vivere, implens omnino quæ dicta sunt ab Apostolo, nunc quidem, « Obsecro itaque » vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora » vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, ratio» nalem vestrum cultum [5], » et quæ sequuntur; nunc vero: « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut » obediatis ei in concupiscentiis ejus: neque exhibeatis » membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos » Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra » arma justitiæ Deo [6]. » Atque etiam juxta hæc et ejusdem generis dogmata rursus dicit: « Non est Judæus, neque » Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, » neque fœmina: omnes enim vos unus estis in Christo » Jesu [7], » ut digni reddamur omnes, veluti unus, qui id audiamus: « Adesdum serve bone, super pauca fuisti fidelis, » super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui [8], » quo habebimur digni, si quisque nostrum in quo vocatus est et electus, cura ampliore et studio impigro impertitam sibi gratiam [9], uti scriptum est, reddiderit auctiorem.

[1] Col. II, 11. — [2] Gal. VI, 14. — [3] Id. II, 20. — [4] Rom. VI, 6. — [5] Id. XII, 1. — [6] Id. VI, 12, 13. — [7] Gal. III, 28. — [8] Matth. XXV, 21. — [9] Ephes. IV, 7.

Quæstio II.

An is, qui ob pravam conscientiam, aut immunditiam, aut inquinamentum purus corde non est, sacerdotio citra periculum fungatur.

Responsio.

Moses quidem illius ætatis hominibus ad nos erudiendos formam dans, in lege a Deo tradita scribit : « Et locutus » est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron, di- » cens : Homo ex genere tuo in vestris generationibus, qui » habet in seipso maculam, non accedet ad offerendum » dona Deo suo : quia omnis homo, in quo fuerit macula, » non accedet [1]. » Atque postea maculam interpretatur. Non si admisceantur membra aliena, neque cum conteritur unum aliquod membrum, non solum si vel pars membrorum suorum vitiata impediat quominus munere suo facile ac expedito perfungatur, sed si decorum aut integritatem lædat. Dominus autem cum dicit : « Templo ali- » quid majus hic est [2], » nos docet tanto magis impium esse eum, qui inter sacrificandum audet tractare corpus Domini, qui dedit pro nobis seipsum Deo oblationem et hostiam in odorem suavitatis, quanto corpus unigeniti Filii Dei excellentius est arietibus ac tauris : quod dictum sit sine comparatione ; incomparabilis est enim hæc excellentia. Nunc autem macula, aut mutilatio non in membris corporis consideratur, sed in justificationibus evangelicæ pietatis cognoscitur, videlicet cum mandatum fit ex aliqua parte exigua, aut non integre, aut non ita fit, ut sit Deo acceptum, adeo ut consilium humanum tanquam cicatrix quædam aut le-

[1] Lev. xxi, 16-18. — [2] Matth. xii, 6.

pra in mandato appareat. Necessarium igitur est semper quidem, maxime vero tanti ac talis mysterii tempore, servare præceptum Apostoli, qui dicit : « Has igitur habentes » promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inqui» namento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem » in timore Dei [1]. Nullam in ulla re dantes offensionem, ne » vituperetur ministerium, sed uti Dei ministri in omnibus » commendantes nosmetipsos [2]. » Ita fiet quis dignus, qui Domini mysteriis juxta Dei Evangelium operam sacram impendat.

QUÆSTIO III.

An quispiam, cum ab omni carnis et spiritus inquinamento purus non est, tuto ac secure edat corpus Domini, et bibat sanguinem ?

RESPONSIO.

Cum Deus in lege extremam pœnam in eum, qui in immunditia attingere sancta ausus esset, constituerit, siquidem typice illis quidem, nobis vero admonitionis causa, ita scriptum est : « Et locutus est Dominus ad Moysen, di» cens : Dic Aaron, et filiis ejus, et attendant a sanctis filio» rum Israël et non profanabunt nomen sanctum meum ; » quæcumque ipsi sanctificant mihi. Ego Dominus. Dic » illis : In progenies ipsorum omnis homo, quicumque ac» cesserit ab omni semine vestro ad sancta, quæcumque » sanctificaverint filii Israël Domino, et fuerit immunditia » ejus in illo, exterminabitur anima illa a facie mea. Ego » Dominus [3] ; » Si adversus eos, qui temere accedunt ad ea, quæ ab hominibus sanctificata sunt, minæ ejusmodi intentantur, quid quis dixerit contra eum, qui ad tantum ac

[1] 2 Cor. vii, 1. — [2] Id. vi, 3, 4. — [3] Lev. xxii, 1-3.

tale mysterium non veretur accedere? Quanto enim plus templo illic est [1], juxta Domini vocem, tanto gravius est et formidabilius corpore Christi impure vesci audere, quam arietes aut tauros edere, cum Apostolus dicat: « Itaque » quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Do- » mini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini [2], » imo judicium per repetitionem vehementius simul et formidabilius declaret, his verbis: « Probet autem seipsum » unusquisque, et sic de pane edat, et de calice bibat. Qui » enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat » et bibit, non dijudicans corpus Domini [3]. » Quod si is, qui in sola immunditia constitutus est, (immunditiæ autem proprietatem typice ex lege discimus,) judicio tam horrendo obnoxius est, quanto magis qui in peccato est, Christique corpus temere edit, judicium gravius sibi accerset? Mundemus igitur nos ab omni inquinamento, (discrimen autem quod inquinamentum inter et immunditiam intercedit, prudentibus sapientibusque est manifestum,) et ita demum accedamus ad sancta, ut eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus judicium, videlicet « Quicumque manducaverit » panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit cor- » poris et sanguinis Domini; » possideamus vero vitam æternam, sicut promisit verax Dominus, et Deus noster Jesus Christus, si modo edentes bibentesque memores fuerimus ipsius, qui pro nobis mortuus est, servaverimusque sententiam Apostoli, qui dicit: « Charitas enim Christi cons- » tringit nos, judicantes hoc, quod si unus pro omnibus » mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus » mortuus est, ut qui vivunt non amplius sibi vivant, sed » ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit [4]: » qua de re in baptismate fecimus pactionem.

[1] Matth. XII, 6. — [2] 1 Cor. XI, 27. — [3] Ibid. 28, 29. — [4] 2 Cor. V, 14, 15.

Quæstio IV.

An omni verbo Dei credendum sit et obtemperandum, adeo ut id quod dicitur, verum esse persuasissimum sit, etiamsi aut aliquod verbum aut factum ipsius Domini vel Sanctorum inveniatur, quod videatur esse contrarium.

Responsio.

I. Hæc quæstio, tametsi prorsus indigna est quocumque, qui Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Dei vivi Filium, per quem omnia tam visibilia quam invisibilia facta sunt, confiteri non recusarit, quandoquidem ea verba, quæ locutus est, a Patre audivit; tamen respondere necesse habemus, obedientes Apostolo, dicenti : « Parati » eritis ad respondendum cuilibet interroganti vos rationem » ejus, quæ in vobis est, fidei [1]. » Et ne si de nostro aliquid dicamus, ambiguitatem afferamus audientibus, Domini ipsius faciamus mentionem, dicentis videlicet : « Amen, amen » dico vobis, iota unum aut unus apex non præteribit a lege » donec omnia fiant [2] : » et iterum : « Facilius est cœlum et » terram præterire, quam legis unum apicem cadere [3]. » Quod si quidpiam est hic plus Salomone, si quidpiam est hic plus Jona, consequens est ut dicamus : « Quidpiam etiam est hic plus Moyse, Apostolo, posteaquam Mosis gloriam Israëlitis inaccessam recensuit, eamque contulit cum Domini nostri Jesu Christi gloria, subjungente : « Glorificatum » non est, quod claruit in hac parte, propter excellentem » gloriam. Si enim quod evacuatur, per gloriam est, multo » magis quod manet, in gloria est [4]. » Ita etsi ex iis, quæ pro-

[1] 1 Pet. III, 15. — [2] Matth. v, 18. — [3] Luc. XVI, 17. — [4] 2 Cor. III, 10, 11.

tulimus, locis ea, quæ in Evangelio dicta sunt, ceu certissima per indubitatam fidem cognoscere ac confiteri didicimus, tamen hæc ipsius Domini verba in medium rursus adducamus: « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea » non præteribunt [1]. » Itaque Domini verba maxime omnium suffecerunt ad nostros animos in sancto atque principali Spiritu confirmandos, sic ut indubitanter constanterque omne verbum ex Dei ore procedens susciperemus : sed tamen, ut quorumdam opitulemur imbecillitati, par fuerit testimonium quoque unius aut alterius ex multis adjicere. Ait itaque David : « Fidelia omnia mandata ejus, » confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate [2]. » Ac rursus : « Fidelis Dominus in omnibus verbis » suis, et sanctus in omnibus operibus suis [3], » et ejusmodi multa. Jehu autem in Regnorum libris dixit : « Videte quod » non cadet verbum Domini in terram [4].»

II. De iis vero, quæ videntur inter se esse quodam modo contraria, satius est unumquemque sententiam adversus seipsum ferre, tanquam qui ad cognitionem divitiarum sapientiæ nondum pervenerit, et quod Dei judicia, quæ investigari non possunt, attingere difficile sit, quam audaciæ ac pertinaciæ judicio obnoxium fieri, et audire : « Impius » est qui dicit regi : Inique agis [5] : » et « Quis accusabit ad» versus electos Dei [6] ? » Quamvis autem, multorum judicio, multa perspicue solvantur, tamen in iis, quæ contraria inter se esse videntur, illud observare debemus, quod cum aliquod verbum aut factum præcepto contrarium esse videtur, necessarium est unumquemque præcepto obsequi, non autem altitudinem divitiarum et sapientiæ improbare, aut in peccatis prætextus prætexere [7]. Hoc enim Deo placere, et periculo carere ex divinis Scripturis didicimus.

[1] Matth. XXIV, 35. — [2] Psal. CX, 8. — [3] Id. CXLIV, 13. — [4] 4 Reg. X, 10. — [5] Job. XXXIV, 18. — [6] Rom. V,II, 33. — [7] Psal. CXL, 4.

Sed si præceptum præcepto repugnare videtur, argumentis interim intellectis, et lecto integro loco, ita demum nihil pugnans esse cognoscamus, et id quod cuique convenit, juxta scopum supernæ vocationis observemus, ad quem videlicet scopum utraque præcepta tendant, partim morbum curantia, partim afferentia talem profectum, quo ad perfecte Deo placendum deducamur, cum Dominus dicat aliquando quidem : « Nemo lucernam accensam abscondit » sub modio, sed super candelabrum ponit, et lucet omni» bus, qui sunt in domo. Sic luceat lux vestra coram ho» minibus, ut videant bona vestra opera, et glorificent Pa» trem vestrum qui in cœlis est [1] : » aliquando vero : « Te » autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat » dextera tua [2]. »

III. Et multa id genus invenias et apud Evangelistas et apud Apostolum. Quod si præceptum quidem datum fuerit, quomodo vero fiat non additum sit, obediamus Domino, qui ait « : Scrutamini Scripturas [3], » imitemurque Apostolos, qui Dominum ipsum de eorum, quæ ab ipso dicta erant, interpretatione interrogarunt, et eorum, quæ ab ipso dicta sunt, ex iis quæ in alio loco dixit, veritatem salubritatemque ediscamus. Exempli causa, cum dictum est : « Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo [4], » quid hæc sibi velint, tum ex iis, quæ adolescenti præcepta sunt, edocemur, ubi videlicet Dominus ipse dicit : « Vende » quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in » cœlo [5]; » tum ex iis, quæ ad eos, qui regnum cœlorum consequi cupiebant, dicta fuere : « Ne timeas, pusille grex, quia » complacitum est Patri vestro cœlesti dare vobis regnum. » Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam, facite vobis » ipsis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non defi-

[1] Matth. v, 15. — [2] Id. vi, 3. — [3] Joan. v, 39. — [4] Matth. vi, 20. — [5] Id. xix, 21.

» cientem in cœlis[1]. » Si vero periculum etiam observationem mandati comitatur, quæ est gloriatio nostra, meminerimus Apostoli, qui dicit : « Bonum est mihi mori magis » quam ut gloriam meam quis evacuet[2] ; » et alibi fusius : « Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an » angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an peri» culum ? an gladius[3] ? » et quæ sequuntur. Ex quibus impensius erudimur mandata custodire, atque commonstrare dilectionem majorem erga Dominum, qui dicit : « Qui diligit » me, mandata mea servabit[4], » et multis in locis similiter : in reliquis vero Apostolum imitari, ac dicere : « O altitudo » divitiarum, et sapientiæ, et scientiæ Dei, quam inscruta» bilia sunt judicia ejus, et impervestigabiles viæ ejus. Quis » enim cognovit mentem Domini[5], » qui ex cœlis descendit, et Patris nobis verba annuntiavit ? cui credere necessarium est ac salutare, velut liberos parentibus, et pueros præceptoribus, juxta ipsius Domini nostri Jesu Christi vocem, ubi ait : « Nisi quis susceperit regnum Dei velut par» vulus, non intrabit in illud[6]. »

Quæstio V.

Utrum verbo cuilibet non obsequi, sit aliquid ira et morte dignum, etiamsi privatim non singulis conjunctæ sint minæ.

Responsio.

I. Dictum quidem est fusius de hoc argumento in Epistola de concordia, an videlicet verbo cuilibet non obsequi, sit aliquid ira ac morte dignum : sed ut nunc unum aut alterum testimonium ex multis allegemus, audiamus

[1] Luc. xii, 32, 33. — [2] 1 Cor. ix, 15. — [3] Rom. viii, 35. — [4] Joan. xiv, 23. — [5] Rom. xi, 33, 34. — [6] Marc. x, 15.

Joannem Baptistam, dicentem : « Qui credit Filio, habet » vitam æternam : qui vero non credit Filio, » (quod autem definitum non est, id comprehendit omnia,) « non videbit » vitam, sed ira Dei manebit super eum[1] : » et Dominum ipsum more definientis pronuntiantem : « Iota unum aut » unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant[2]. » Quod si quæ legis sunt, sic se habent, quanto magis, quæ sunt Evangelii? sicut Dominus ipse sæpe confirmavit. De eo autem, an res ita sit, etiamsi privatim non singulis conjunctæ sint minæ, satis esse arbitror credentibus, si meminerint Domini ipsius, qui eo loco, ubi doctrinam post beatitudines tradit, plura prohibita recensuit, et aliquibus quidem minas adjunxit, his verbis : « Quisquis irascitur » fratri suo, obnoxius erit judicio : qui vero dixerit raca, » obnoxius erit concilio : qui autem dixerit fatue, ob- » noxius erit gehennæ ignis[3], » et ejusmodi multa : aliquibus vero nihil adjecit minarum, exempli gratia, cum dicit : « Omnis qui videt mulierem ad concupiscendum, jam » mœchatus est eam in corde suo[4] : » item, « Ego autem dico » vobis, non jurare omnino[5] : » et paulo post, « Erit autem » sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abun- » dantius est, a malo est[6]. » Et multa alia id genus locutus, nec proposita ulla propria pœna, generalius adversus omnes sententiam tulit, cum prius dixit : « Nisi abundave- » rit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, » non intrabitis in regnum cœlorum[7]. » Sub finem vero infert : « Omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, » assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam su- » per arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et » flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, » et fuit ruina illius magna[8]. »

[1] Joan. III, 36.— [2] Matth. v, 18.— [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 28. — [5] Ibid. 34. — [6] Ibid. 37. — [7] Ibid. 20. — [8] Id. VII, 26, 27.

II. Atque in aliis locis, peccatorum multorum facta mentione, non addidit destinatam unicuique pœnam : sufficere ratus quæ contra omnia in universum sæpenumero dicta erant. Quoniam autem indigent auxilio infirmiores, Apostoli quoque mentionem faciamus. Nam et ipse Dominum imitans, modo quidem dixit : « Si quis frater nominatus, aut fornicator est, aut avarus, aut idolis serviens, » aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum tali ne cibum quidem sumite[1]; » modo vero, « Nolite mentiri alius » adversus alium[2]. » Et alibi, « Omnis ira, et indignatio, et » clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia[3]. » Et multa similia sæpe prætermissis minis dixit. Alibi tamen generalius pœnam quoque adjicit, ubi dicit : « Nolite errare : Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum » concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, » neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt[4]. » Sed iterum alio loco fusius scribit : « Et sicut non » probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus » in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, » repletos omni iniquitate, fornicatione, nequitia, avaritia, » malitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, » malignitate, susurrones, detractores, Dei osores, contumeliosos, superbos, arrogantes, inventores malorum, » parentibus non obedientes, insipientes, pactorum violatores, sine affectione, absque fœdere, immisericordes. » Qui cum justitiam Dei cognovissent, videlicet, quod ii, » qui talia agunt, digni sint morte, non solum ea faciunt, » sed etiam assentiuntur facientibus[5]. Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas : eadem enim facis

[1] 1 Cor. v, 11. — [2] Col. III, 39. — [3] Ephes. IV, 31. — [4] 1 Cor. VI, 9, 10. — [5] Rom. I, 28-32.

» tu, qui judicas[1]. » Atque multis in locis similiter. Ex quibus illud conspicuum est, quod etiamsi singulatim singulis speciebus non sint adjectæ supplicii minæ, necessario cognoscere debemus eum, qui vel unum præceptum transgreditur, inevitabili necessitate sententiæ generali subjacere, cum Dominus noster Jesus Christus pronuntiarit, « Qui » spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet » eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in no- » vissimo die[2], » et quæ sequuntur modo formidabiliore; et Joannes Baptista, quo major nemo, in modum definientis hoc testimonium reddat : « Qui non obedit Filio, non » videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum[3]. » Hoc enim familiare est Scripturæ sacræ, etiam in Testamento Veteri. Nam per Mosen, qui multa in lege scripsit, non additis adversus transgredientem aut negligentem minis, contra omnes generalem induxit maledictionem, quæ supplicium gravissimum auspicatur, dicens: « Maledictus om- » nis qui non permanet in omnibus, quæ in libro legis hujus » scripta sunt[4]. » Et alibi, « Maledictus, inquit, qui facit » opera Domini negligenter[5]. » Si vero maledictus est qui negligenter facit, qui non facit, quonam supplicio dignus est?

[1] Rom. II, 1. — [2] Joan. XII, 48. — [3] Id. III, 36. — [4] Deut. XXVII, 27. — [5] Jer. XXXI, 10, juxta LXX et in Vulg. XLVIII, 10.

Quæstio VI.

An inobedientia posita sit in eo, si quid vetitorum fiat, aut etiam in eo, si quid comprobatorum omittatur.

Responsio.

I. Cum Dominus noster Jesus Christus hoc judicium validius confirmaret, tum ut errorem præteritum amoliretur, tum ut nostra corda in sana fide stabiliret, voluit nos docere timorem judiciorum, non solum per verba, verum etiam per exempla : siquidem res ipsæ veritatem magis persuadent. Et primum quidem ait : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [1]. » Atque post integrum hunc locum, in quo doctrinam suam proposuit, sententiam una cum exemplo adjunxit, his verbis : « Omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna [2]. » Et iterum : « Arborem fici habebat quis plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Et dicit ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ipsa, et non invenio : succide illam : ad quid vel terram occupat [3] ? » Et alibi apertius hoc judicium exponit, dicens : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus [4]. » Et adjungit non aliquod facinus

[1] Matth. v, 20. — [2] Id. vii, 26, 27. — [3] Luc. xiii, 6, 7. — [4] Matth. xxv, 41.

admissum, ex iis, quæ prohibentur, sed opus aliquod omissum, ex iis, quæ comprobantur, dicens : « Esurivi » enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non de» distis mihi potum [1], etc. » Quin et multa similia invenire est, ex quibus ostendi possit non solum eos, qui mala agunt, morte esse dignos, quibus et ignis inextinguibilis paratus est, cum quibus et ii, qui a bonis operibus vacant, condemnantur, sed eos etiam, qui bona negligenter faciunt. Scriptum namque est : « Maledictus omnis qui facit » opera Domini negligenter [2]. »

II. Tempestivum autem fuerit meminisse etiam Joannis, ad eos, qui per baptismum veniam peccatorum acceperant, dicentis : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis » fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœni» tentiæ. Et ne liceat vobis dicere intra vosmetipsos : Pa» trem habemus Abraham; dico enim vobis quod potest » Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam au» tem securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo » arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, et in » ignem conjicitur [3]. » Quæ singula non ostendunt malum aliquod fuisse patratum, sed prætermissum esse pietatis officium. Si enim maledictus est, quisquis opera Domini facit negligenter, quod ea non congruenti animi alacritate fecerit, quanto magis maledicti, qui ne facere quidem bonum ullo modo volunt? Nec immeritò audiunt : « Disce» dite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est » diabolo, et angelis ejus [4]. » Quare ex his planum est, necessario in præceptis Domini nostri Jesu Christi, celeritate multa et impigro studio una cum bono ac intento desiderio opus esse; ut et ipsi efficiamur digni beatitudine, sicut ipse Dominus noster Jesus Christus unigenitus Dei vivi Fi-

[1] Matth. xxv, 42. — [2] Jer. xxxi, 10, apud LXX et in Vulg. XLVIII, 10. — [3] Matth. III, 7-10. — [4] Id. xxv, 41.

lius dixit : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quo-» niam ipsi saturabuntur[1]. »

Quæstio VII.

An liceat, aut complacitum, aut gratum Deo sit, eum qui peccato servit, justitiæ opus facere, secundum regulam pietatis Sanctorum.

Responsio.

Cum Deus in Veteri quidem Testamento dicat : « Peccator » sacrificans mihi vitulum, est velut qui occidit canem, et » offerens similam, velut qui offert sanguinem suillum[2], » præscripseritque sedulitatem tantam circa ea, quæ in sacrificium offerebantur, et statuerit judicium horrendum adversus delinquentem; in Novo vero Testamento Dominus noster Jesus Christus per seipsum in Evangeliis dixerit : « Qui facit peccatum, servus est peccati[3]; » et, « Nemo » potest duobus dominis servire; » et, « Non potestis Deo ser-» vire et mammonæ[4]. » tradideritque dogma apertissimum, dicens : « Sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus » quæ possidet, non potest meus esse discipulus[5]; » Si igitur de mediis sententia talis lata est, quid quis dixerit de prohibitis? cumque per Apostolum dicat : « Nolite jugum ducere » cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniqui-» tate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem con-» ventio Christi ad Beliar? aut quæ pars fideli cum infideli? » qui autem consensus templo Dei cum idolis[6]? » declaratum est rem propositam nullo modo licere, ingratamque Deo esse, et audenti periculosam. Quapropter, adhortor,

[1] Matth. v, 6. — [2] Esaï. LXVI, 3. — [3] Joan. VIII, 34. — [4] Matth. VI, 24. — [5] Luc. XIV, 33. — [6] 2 Cor. VI, 14-16.

faciamus, quemadmodum Dominus docet, « Arborem bo»nam, et fructum ipsius bonum[1], » atque purgemus primum internam poculi ac patinæ partem, et tunc externa ipsius pars erit munda tota[2]. Atque per Apostolum eruditi, mundemus nosmetipsos ab omni carnis et spiritus inquinamento, et tunc perficiamus sanctificationem in dilectione Christi[3], ut reddamur Deo grati ac Domino accepti, ad regnum cœlorum.

Quæstio VIII.

An acceptum sit Deo opus præcepti, si non convenienter Dei præcepto fiat.

Responsio.

I. Hujus quæstionis explanationem et quasi quamdam regulam quam in omni ejusmodi negotio sequamur ex Veteri Testamento discimus, ubi velut ex persona Dei dicit : « Si recte quidem obtuleris, recte vero non diviseris, pec» casti. Quiesce, ad te conversio ejus[4], » sic ut non solum acceptum non sit, quod non est oblatum legitime ; sed imputetur etiam sic offerenti ad peccatum : quin et juxta allatam ab Apostolo similitudinem, discere est velut per humanum exemplum, regulam pietatis generatim in omnibus inviolabilem esse, ubi dicit : « Etiamsi certet quis, non » coronatur nisi legitime certaverit[5]. » Imo cum timore ma» jore licet ipsius Domini nostri Jesu Christi meminisse, qui modum ac regulam exponit, his verbis : « Beatus ille servus, » quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem[6]. » Etenim cum hac voce « Sic » usus est, ostendit a beatitudine

[1] Matth. xii, 33. — [2] Id. xxiii, 26. — [3] 2 Cor. vii, 1. — [4] Gen. iv, 7. — [5] 2 Tim. ii, 5. — [6] Matth. xxiv, 46.

excidisse eum, qui non sic facit, quemadmodum ex multis tum Veteris, tum Novi Testamenti historiis ac dictis accurate edoceri ac certissime convinci possumus. Illud autem, « Non sic, » fit, cum aliquid fit aut præter locum, aut præter tempus, aut præter personam, aut præter rem, aut præter modum, aut præter ordinem, aut denique cum non fit eo, quo decet, animo.

II. Primum autem, quomodo præter locum aliquid fiat, videamus. Apostolus sane, quo res clarius exhiberet, eosque, qui audiunt quæ pietatem decent, juvaret, iis, quæ consuetudinem obtinuerant, utitur, cum dicit : « Annon » natura ipsa docet vos, quod viro quidem si comam nu- » triat, ignominia sit; mulieri vero si comam nutriat, » gloria sit illi[1]? etc. » Par igitur fuerit nos etiam iis, quæ in natura obtinuere, ad præsentis vitæ necessitatem uti. Etsi enim in cibo ac potu continetur, quis tamen sapientum velit in foro edere ac bibere? Aut quis velit semina in saxa conjicere, ut et illa semina, et fructus expectatos perdat? Atque multa invenias præter locum periculose, aut etiam vitiose fieri. Rursus autem memores Apostoli, qui dixit : « Hæc in figura contingebant illis : scripta » sunt autem propter admonitionem nostri, in quos fines » sæculorum devenerunt[2], » videamus num ea, quæ sancita sunt a Deo ad pietatem, et quæ societatem inter se habent, differentiam inviolabiliter servarint. Alia enim assignata erant Jerosolymis, et qui extra fecissent, periclitabantur : alia vero, eaque plura, et in ipso templo, et in altari, et in ipsa Jerusalem aliisque locis, erant ad cultum Deo exhibendum selecta; nec quisquam quæ in templo et altari fiebant, in aliis Hierosolymæ locis facere audebat, neque quæ in aliis locis fiebant, etiam in templo fieri permittebantur. Periculum est quoque, ne nos præter locum mandatum

[1] 1 Cor. XI, 14, 15. — [2] Id. X, 11.

conficiamus, maxime si sacerdotii mysteria celebremus in profanis locis, cum ejusmodi res contemptum ostenderet in celebrante, et alii esset offendiculo pro alia variaque affectione, ob diversam multorum in harum rerum cognitione infirmitatem.

III. Quod si dicat quispiam : « Cur igitur Apostolus dixit : « Volo ergo viros orare in omni loco [1], » propterea videlicet, quod Dominus adorandi in omni loco potestatem dedit, his verbis : « Neque in Jerosolymis, neque in monte hoc » adorabitis Patrem [2] ? » Hoc dicere licet quod illud, « In » omni, » non comprehendit loca humanis usibus ac immundis ac profanis negotiis destinata, sed ab Jerosolymorum usque ambitu ad omnem totius orbis locum adorationem extendit [3], et juxta sacrificii prophetiam, ad eum locum, qui studiose videlicet Deo dicatus sit, ad gloriosi mysterii sacrificium celebrandum. Etsi enim audivimus Prophetam dicentem : « Vos sacerdotes Dei vocabimini [4], » tamen neque omnes ejusmodi sacerdotii aut ministerii potestatem usurpamus, neque alius alii datam gratiam sibi sumere potest, sed fideles singuli intra proprios doni Dei fines manent, ita docente nos Apostolo, cum dicit ad omnes quidem : « Obsecro autem vos, fratres, per miserationes » Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanc» tam, Deo placentem, rationalem cultum vestrum : et no» lite conformari huic sæculo, sed transformamini in novi» tate spiritus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, » et beneplacens, et perfecta [5] : » unicuique vero perspicue distinguit ministerium cuique conveniens, prohibetque alienum ordinem invadere, ubi ait : « Dico enim per Dei » gratiam, quæ data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ut » ne plus sapiat quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrie-

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Joan. IV, 21. — [3] Malach. I, 11. — [4] Esaï LXI, 6. — [5] Rom. XII, 1, 2.

» tatem, sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei[1]. » Quinetiam per mutuam necessariamque membrorum corporeorum ordinationem, quæ ad elegantiam securitatemque tendit, moderatur in nobis nostrum illum statum mutuum, ut Deo in dilectione Christi Jesu in differentia donorum placeamus. Quippe dicit : « Sicut in uno corpore multa » membra habemus, omnia autem membra non eumdem » actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, » singuli autem alter alterius membra; habentes autem do» nationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, » sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministe» rium in ministrando[2], etc. »

IV. Si vero ii, qui operam mutuam conferunt ad unum illum attingendum scopum, quo videlicet placeant Deo, ac tantam inter se habent conjunctionem societatis in dilectione Christi, ipsi tamen proprium locum accepti doni transgredi non permittuntur, quomodo non multo magis loca alienis et contrariis rebus addicta debemus a sanctis secernere? Etenim tum ex omnibus, quæ ex divina Scriptura relata sunt, tum ex ejusmodi aliis, et ex memoratis prius exemplis, discamus oportet opus, quod præter locum fit, in finem proposito scopo contrarium cedere. De eo autem, quod præter tempus geritur, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum jam audire licet, qui dicit : « Quapropter simile factum est regnum cœlorum decem » virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt ob» viam sponso. Quinque autem ex eis erant prudentes, et » quinque fatuæ : quæ fatuæ, acceptis lampadibus suis, non » sumpserunt oleum secum : prudentes vero acceperunt » oleum in vasis suis. Moram autem faciente sponso, dor» mitaverunt omnes, et dormierunt : media autem nocte » clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

[1] Rom. XII, 3. — [2] Ibid. 4-7.

» Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. » Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat » nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. » Dum autem irent emere, venit sponsus, et quæ paratæ » erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. » Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis : at ille respondens dixit eis : » Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam [1]. »

V. Quare cum sciam admonitionem sæpius de eodem judicio adhibitam validius commovere, magisque credi; eam quoque, quæ alio loco in eamdem sententiam prolata est, adjiciam. Dicit autem Dominus ipse : « Multi » quærent intrare, et non poterunt. Cum autem ingressus » fuerit paterfamilias, et clauserit ostium, et cœperitis dicere : Domine, Domine, aperi nobis, tunc respondens » dicet : Non novi vos, unde sitis [2] : propterea dico vobis » estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis » venturus est [3]; » atque multis locis similiter. Quod si et Apostolus in testimonium advocandus est, audiamus ipsum, Prophetæ verba ita referentem : « Tempore accepto, » exaudivi te, et in die salutis adjuvi te [4] : » et posthac ex seipso inferentem : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce » nunc dies salutis [5] : » et iterum : « Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes quidem, maxime » autem ad domesticos fidei [6]. » Si vero et testimonio alio opus est, meminerimus Davidis, qui dicit : « Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno [7] : » Sa-

[1] Matth. xxv, 1-13. — [2] Id. xiii, 24, 25. — [3] Id. xxiv, 44. — [4] Esaï. xlix, 8. — [5] 2 Cor. vi, 2. — [6] Gal. vi, 10. — [7] Psal. xxxi, 6.

lomonis itidem, qui in universum pronuntiavit omnia bona fieri in tempore suo [1].

VI. In Veteri quidem Testamento, puta in Core, et in illis, qui sacerdotium sibi non concreditum invadere ausi sunt [2], et propter iræ severitatem in perniciem et exitium horrendum inciderunt, videmus quam grave sit præter personam aliquid facere : ab ipso vero Domino, ut cauti simus, erudimur : qui videlicet ad Discipulos dixit : « Non » missus sum nisi ad oves quæ perierunt domus Israël [3] : » et ad mulierem : « Non est bonum sumere panem filiorum, » et projicere catellis [4]. » Præter rem vero quidpiam fieri, ex Veteri quidem Testamento discimus, ubi cum præceptum esset, ut sacrificium fieret ex mundis et integris et maculæ expertibus, tamen non ex talibus oblatio facta est : qua de re Deus dixit : « Offer illud principi tuo, si » admittet illud, si suscipiet faciem tuam [5] : » ex Novo vero Testamento ab ipso Domino nostro Jesu Christo hoc idem edocemur, qui prophetiam Esaïæ contra Judæos profert, hoc modo : « Bene prophetavit Esaïas de vobis, dicens : » Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe » est a me. In vanum autem colunt me, docentes doctri- » nas, mandata hominum [6]. » Ab Apostolo quoque, qui fert testimonium de conscientia Judæorum, condemnatque ipsos ob justitiæ differentiam. Scribit autem sic : « Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem » Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes » enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ » Dei non sunt subjecti [7]. » Quapropter Apostolus, qui Deo placere vere studebat, cum quas in lege jamdiu fecerat justitias narrasset, hæc subjungit : « Quinetiam existi-

[1] Eccl. III, 11. — [2] Num. XVI, 31. — [3] Matth. XV, 24. — [4] Marc. VII, 27. — [5] Malac. I, 8. — [6] Marc. VII, 6, 7. — [7] Rom. X, 2, 3.

» mo omnia detrimentum esse propter eminentem scien- » tiam Christi Jesu Domini mei : propter quem omnia » detrimentum feci, et arbitror stercora esse, ut Christum » lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justi- » tiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est per fidem Jesu » Christi justitiam, quæ ex Deo est in fide, ad cognoscendum illum [1], etc. » Per hæc autem et similiter audit nos, ut multo magis caveamus, ne unquam regulæ, quæ a Domino nostro Jesu Christo ad placendum Deo proposita est, humanam justitiam adjungamus.

VII. De eo autem, quod præter mensuram fit, satis esse arbitror meminisse Domini nostri Jesu Christi, ad distinguendam mensuram veteris dilectionis, (scriptum autem est : « Diliges proximum tuum sicut teipsum [2],) » qui dixit : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, » sicut ego dilexi vos [3]. Majorem hac dilectionem nemo » habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis [4]. » Et in summa hoc idem de omnibus simul justificationibus ab ipso Domino discere licet, cum ita definierit : « Nisi » abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pha- » risæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [5]. » Præter ordinem vero et rerum seriem agitur, cum quis prima in secundo aut tertio loco tractat, et ea quæ in tertio loco collocata sunt, eorum, quæ prius locata fuerant, principium esse putat. Velut cum Dominus ei, qui dixerat : « Hæc omnia custodivi a juventute mea [6], » hoc mandatum dedit : « Vende quæ habes, et da pauperibus, et tolle » crucem tuam, et veni, sequere me [7], » si quis ei, qui nihil eorum quæ præmissa sunt præstitisset, illud, « Sequere » me, » (quod posterius est), injungeret, et velut cum rursus Dominus dicit : « Si quis venit ad me, abneget se-

[1] Philip. III, 8-10. — [2] Matth. XIX, 19. — [3] Joan. XIII, 34. — [4] Id. XV, 13. — [5] Matth. V, 20. — [6] Id. XIX, 20. — [7] Ibid. 21.

» metipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me [1], » si quis sequendi præceptum ponat ante priora. Et rursus cum Dominus post multa subjungit : « Sic omnis ex vobis » qui non renuntiat iis, quæ possidet, non potest meus esse » discipulus [2], » si quis anteaquam ea, quæ prius dicta sunt, servasset, discipulum se esse in animum inducat. Quapropter necesse est servare præceptum Apostoli, qui dicit : « Omnia honeste et secundum ordinem fiant [3]. »

VIII. Denique fit aliquid non eo, quo debet, animo ; exempli causa, cum dicit Dominus de iis, qui studio placendi hominibus faciunt eleemosynam, aut alteri cuivis justificationi operam dant, ut videantur ab hominibus, « Amen dico vobis, habent mercedem suam [4]. » Adhuc autem malitiam eorum, qui ob affectum humanum præceptum Domini faciunt, gravius declarat, ubi illud ostendit, quod non mercede solum destituitur, sed supplicio etiam dignus est qui præceptum perficit, non secundum pietatem, sed ex studio placendi hominibus, aut alicujus alterius voluptatis gratia, aut avaritiæ, aut negotii : quos redarguit et Apostolus. Imo vero Dominus ipse vehementius tales condemnans dicit : « Multi venient in illa die di» centes : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophe» tavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes » multas fecimus [5], et manducavimus tecum, et bibimus, » et in plateis nostris docuisti? Et tunc respondebo illis » dicens : Discedite a me, non novi vos unde sitis, operarii » iniquitatis [6] : » ut ex his ac similibus illud perspicuum sit, quod etiamsi quis charismata operetur, etiamsi conficiat mandata, si tamen non conficit eo, quo debet, animo, et ex scopo, quem Dominus docuit his verbis : « Sic luceat » lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra

[1] Matth. XVI, 24. — [2] Luc. XIV, 33. — [3] I Cor. XIV, 40. — [4] Matth. VI, 5. — [5] Id. VII, 22. — [6] Luc. XIII, 26, 27.

»bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est [1], » et quem Paulus apostolus in Christo loquens, tradidit, cum dixit : « Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite [2], » jure ac merito ea, quæ Dominus respondit, auditurus sit. Unde Apostolus dicere didicit : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, » charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, » aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et » noverim mysteria omnia, et si habuero omnem fi» dem, ita ut montes transferam, charitatem autem non » habeam, nihil sum. Et si distribuero in alendos paupe» res omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum » ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil capio » utilitatis [3]. » Et alibi generalius ac vehementius ait : « Si » adhuc hominibus placerem, Christi servus non es» sem [4]. »

IX. Quod si Veteris etiam Testamenti testimonium ad ejusmodi sententiam certo probandam requiris, Moyses dicit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua [5] : » et diliges proximum tuum sicut teipsum [6]. » Quibus Dominus subjungit : « In his duobus mandatis universa lex » et Prophetæ pendent [7]. » Testatur hoc ipsum et Apostolus, his verbis : « Plenitudo ergo legis est dilectio [8]. » Quod autem impuniti non relinquuntur qui non conficiunt hæc mandata, et pendentes ab ipsis justificationes, sed suppliciis sunt obnoxii, Moses ipse clamat, dicens : « Ma» ledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ scrip» ta sunt in hoc libro [9]. » David vero ait : « Iniquitatem » si aspexi in corde meo, non exaudiat me Dominus [10]. »

[1] Matth. v, 16. — [2] 1 Cor. x, 31. — [3] Id. xiii, 1-3. — [4] Gal. i, 10. — [5] Deut. vi, 5. — [6] Matth. xxii, 39. — [7] Ibid. 40. — [8] Rom. xiii, 10. — [9] Deut. xxvii, 26. — [10] Psal. lxv, 18.

Et alibi : « Illic trepidabunt timore, ubi non erit timor, » quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus pla» cent [1]. » Itaque multa diligentia ac intenta cura opus est, ne si præter modum aliquem ex his quos retulimus, mandatum conficiamus, non modo talem ac tantam mercedem amittamus, sed etiam tam horrendis minis fiamus obnoxii.

Quæstio IX.

An conveniat societatem cum iniquis habere, aut participem esse infructuosorum operum tenebrarum, etiamsi tales non sint ex numero eorum, qui mihi sint concrediti.

Responsio.

I. Iniquus quidem est quisquis legem integram non servaverit, aut violaverit vel unum mandatum. Etenim si pars, vel modica desit, totum periclitatur. Nam quod pene factum est, factum non est. Quemadmodum enim qui fere mortuus est, mortuus non est, sed vivit ; et qui fere vixit, non vivit, sed mortuus est ; et qui pene ingressus est, ingressus non est, sicut illæ quinque virgines : ita qui prope legem servavit, non servavit, sed iniquus est. Quapropter etiam erga iniquos, etiamsi germani et affines esse videantur, necesse est obedire Apostolo, qui aliquando quidem ait : « Si quis frater nominatus, aut fornicator, aut avarus, » aut ebriosus, aut convitiator, aut raptor fuerit, cum tali » ne cibum quidem sumite [2]. » Observandum autem hic est, quod non eum modo, qui in his omnibus offendit, ab ipsa etiam communi diæta segregaverit, sed eum etiam, qui in uno aliquo ex his omnibus deliquit, cum non dixe-

[1] Psal. LII, 6. — [2] 1 Cor. v, 11.

rit, « Cum hoc, » sed, « Cum tali : » aliquando vero, « Mor» tificate membra vestra quæ sunt super terram, fornica» tionem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam ma» lam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus; propter » quæ venit ira Dei, » (et quidem generalius adjunxit,) « in » filios inobedientiæ [1]. Nolite ergo fieri participes eorum [2]. » Ac rursus : « Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante » inordinate, et non secundum traditionem, quam acce» perunt a nobis [3]. » Et alibi similiter.

II. Quid sit autem infructuosorum operum participem non esse, ut perspicue cognoscamus, primum perpendamus quibus de rebus nomen infructuosi usurpetur, utrum de reprobatis tantummodo, an etiam de laudabilibus quidem, sed quæ non sano animi affectu fiant. In Veteri igitur Testamento, sumpta ab arbore comparatione, dixit de Sanctis Propheta : « Quæ fructum suum dabit in tem» pore suo [4]. » Salomon vero ait : « Opera Justorum vitam » faciunt; fructus vero impiorum peccata [5]. » Osee itidem dicit : « Serite vobis ipsis ad justitiam, vindemiate fructum » vitæ [6]. » Et Michæas : « Et erit terra in dissipationem cum » habitantibus in ipsa, a fructibus studiorum ipsorum [7]. » Et Prophetæ alii alia plura : sed hæc quidem lucernæ instar luceant. Vera autem lux, sol ille justitiæ, ipse Dominus noster Jesus Christus clarius rem exprimit, dicens : « Non potest arbor bona malos fructus facere, neque ar» bor putris, fructus bonos facere [8]. » Et alibi similiter. Itaque cum fructuum nomen, æqualiter rebus inter se contrariis impositum habeamus, de reliquo expendamus qui sint arbores infructuosæ, et quæ opera Apostolus dicat infructuosa. Arbores itaque infructuosæ declarantur nobis

[1] Col. III, 5. — [2] Ephes. v, 7. — [3] 2 Thess. III, 6.— [4] Psal. I, 3. — [5] Prov. x, 16, apud LXX. — [6] Osee. x, 12. — [7] Mich. VII, 13. — [8] Matth. VII, 18.

a Joanne Baptista, ubi iis, qui baptisma recipiebant ad remissionem peccatorum, et ut a sordibus omnibus purgarentur, dixit : « Facite igitur dignos pœnitentiæ fructus [1]. » Et paulo post subjungit : « Omnis ergo arbor, » quæ non facit fructum bonum, exciditur, et in ignem » conjicitur [2]. » Dominus vero clarius nos docet, iis quidem, qui a dextris sunt, dicens : « Venite benedicti Patris » mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione » mundi [3], » eorumque bonos fructus per ea, quæ subjungit, indicat ; eos vero, qui a sinistris sunt, mittit in ignem æternum, diabolo et angelis ejus paratum [4]; quos non propterea culpat, quod peccatum patrarint, sed quod vacarint a bonis fructibus. « Esurivi enim, inquit, et non » dedistis mihi manducare [5], » et quæ sequuntur : quæ inertia eos ad sortem redegit peccatorum, qui angeli diaboli a Domino vocantur.

III. Cum igitur declarata sit differentia eorum, qui contrarios fructus afferunt, et eorum, qui infructuosi sunt, de cætero videamus quæ maxime sint, quæ Apostolus appellet opera infructuosa. Ego autem dum hæc mecum reputo, non invenio quemquam medium inter eum, qui ritu legitimo et Deo placente præceptum exequitur, et eum, qui malum patrat, et eum qui neutrum efficit, nisi eos, qui bonum quidem faciunt, sed non ita, ut Deo sit acceptum, ob aliquam videlicet rationem ex his, quas prius in ea quæstione memoravimus, ubi an placeat mandati opus, si juxta mandatum non fiat, disputatum est : de quibus hoc dicit Dominus, quod mercedem suam habeant [6]. Hunc ad modum fatuæ quinque virgines, quæ, juxta Domini ipsius testimonium, et virgines erant, et paraverant lampades, et accenderant, hoc est, fecerant idem quod prudentes, et

[1] Matth. III, 8. — [2] Ibid. 10. — [3] Id. XXV, 34. — [4] Ibid. 41. — [5] Ibid. 42. — [6] Id. VI, 5.

ierant obviam domino, et in omnibus studium studio prudentum haud impar ostenderant, tamen ob hoc solum, quod in vasis oleum defuit, aberravere a scopo, atque ab ingressu ejus loci, ubi sponsus erat, exclusæ sunt [1]. Quales etiam sunt, qui si duo sint in pistrino et in eodem lecto, relinquuntur. Quorum fortasse causam Dominus obticuit, ut ostenderet, si res quævis vel parva desit, modo conveniat, et maxime, ut Apostolus docuit, si desit sincera charitas, rem nullam gratam esse et acceptam. Cum igitur perspectum nobis sit, unde opera fiant infructuosa, caveamus ne re aliqua deficiente, legitimum certamen, quod ad placendum Deo suscipiendum sit, certemus, sed in omnibus commendemus nos ipsos velut Dei ministros. Neque vero hoc solum, sed ne cum talibus quidem societatem ullam habeamus, uti Paulus in Christo loquens definite pronuntiavit, cum dixit : « Nolite communicare operibus » infructuosis tenebrarum harum [2]. » Atque cum subjunxit illud : « Quin potius etiam redarguite [3], » ita modum non habendæ societatis docuit.

IV. Quid autem sit rem participare, aut etiam quot modis hoc fiat, expendamus. Itaque dum mihi in mentem venit, quod in Proverbiis dictum est : « Veni nobiscum, » particeps esto sanguinis [4] ; » et apud Apostolum : « Existentes vos omnes mihi consortes gratiæ [5]; » et, « Communicantes tribulationi meæ [6]; » et, « Communicet autem is » qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus » bonis [7]; » item, « Si videbas furem, currebas cum eo, et » cum adulteris portionem tuam ponebas [8]; » itidem, « Arguendo argues fratrem tuum, et non accipies propter eum » peccatum [9]; » et, « Hæc fecisti, et tacui, suspicatus es ini-

[1] Matth. xxv, 2, et seqq. — [2] Ephes. v, 11. — [3] Ibid. — [4] Prov. I, 11. — [5] Philip. I, 7. — [6] Id. IV, 14. — [7] Gal. VI, 6. — [8] Psal. XLIX, 18. — [9] Lev. XIX, 17.

» quitatem, quod ero tibi similis, arguam te, et statuam » contra faciem tuam [1] : » dum, inquam, horum et talium recordor, puto secundum opus societatem esse tum, cum aliqui eumdem scopum spectantes, mutuam sibi ad agendum operam præbuerint : secundum mentem vero, cum quis affectui agentis assensus fuerit, eique indulserit. Altera autem societas, quæ plerosque latet, divina Scriptura accurate expensa, perspicue cognoscitur, cum quis videlicet neque operam suam ad aliquid conferens, neque assentiens affectui, quin potius consilii, quo ductus agit, malitiam cognoscens, tamen conticuerit, et non redarguerit, neque juxta ea, quæ superius scripta sunt, neque juxta id quod ab Apostolo Corinthiis dictum est : « Non luxistis ut tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit [2] : » quibus subjunxit : « Modicum fermentum totam massam corrumpit [3]. » Metuamus itaque, et obtemperemus dicenti : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio [4]. » Qui autem una cum aliquo facit quidem bonum bono animo, sed ignorat et affectus et propositi ipsius malitiam, non propterea quod una cum eo agit, communionis crimini futurus est obnoxius, sed propterea quod ab alieno affectu separatus est, servatque seipsum in regula dilectionis erga Deum, mercedem propriam juxta proprium laborem recipiet, quemadmodum ille, qui in lecto, et illa, quæ in pistrino reperietur [5], indicati nobis sunt ad ipso Domino Jesu Christo. Cæterum differentia quæ intercedit inter eos qui nobis concrediti sunt, aut non, in diligentiæ ac curæ debito sita est, non in participatione peccatorum. Curam enim proprie ac peculiariter iis solis, qui mihi concrediti sunt, debeo : sed mali et operum infructuosorum participatio, in omnibus pariter vetita est.

[1] Psal. XLIX, 21. — [2] 1 Cor. V, 2. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Luc. XVII, 34, 35.

Quæstio X.

An semper periculosum sit scandalum dare.

Responsio.

I. Primum quidem necessarium arbitror scire quid sit scandalum : deinde vero quæ sit differentia inter eos qui scandalum dant, et inter ea, quibus præbent scandalum, atque ita cognoscere tum quod vacat periculo, tum quod periculum habet. Scandalum igitur est, ut ego ex Scripturis inductus opinor, quidquid aut ad quamdam defectionem a veritate, quæ secundum pietatem est, abducit, aut errorem asciscit, aut parat ad impietatem, aut in summa, quidquid impedit quominus præcepto Dei ad ipsam usque mortem obediamus. Itaque si id quod aut dicitur, aut fit, bonum ex seipso fuerit, morbus vero illius, qui opere aut sermone utitur, ei rei in usu detrimentum attulerit, purus est a judicio eorum, qui scandalum perpessi sunt, is, qui bonum ad fidei ædificationem aut dixit, aut fecit, quemadmodum Domino contigit, cum dixit : « Non quod intrat in » os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc » coinquinat hominem [1], » et ubi adversus eos qui scandalum perpessi fuerant, subjunxit : « Omnis plantatio quam » non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur [2] ; » itidem, cum dixit : « Qui manducat meam carnem, et bibit » meum sanguinem, habet vitam æternam [3] : » et paulo post, « Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a » Patre meo [4] : » quo tempore his verbis abusi sunt nonnulli ad perniciem, sicut scriptum est : « Et multi ex Dis» cipulis, audito hoc sermone, abierunt retro, nec amplius

[1] Matth. xv, 11. — [2] Ibid. 13. — [3] Joan. vi, 55. — Ibid. 66.

» cum illo ambulabant. Dixit igitur Jesus ad Duodecim : » Num et vos vultis abire? Respondit ergo Simon Petrus : » Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, et » nos credidimus, et cognovimus, quod tu es Christus Fi- » lius Dei viventis [1]. » Etenim quibus verbis ii, quorum fides sana erat, ad fidei ædificationem, et ad salutem æternam comparandam usi sunt, iisdem ii, quorum cognitio, aut fides infirma erat, ob propriam malitiam ad interitus occasionem abusi sunt, sicut Scriptum est de Domino : « Hic » positus est in ruinam et resurrectionem multorum [2], » non quod sibi ipse contrarius sit, sed ob utentium contrariam animi sententiam, quemadmodum et Apostolus ait : « Aliis » quidem odor vitæ ad vitam, aliis vero odor mortis ad » mortem [3]. »

II. Quod si suapte natura malum est quod vel fit, vel dicitur, is qui illud fecit, aut dixit, tum proprii peccati, tum scandali judicium subibit, etiamsi is, cujus gratia scandalum oritur, scandalum non sit perpessus, velut de Petro discimus, ad quem Dominus, ministerium ac dispensationem obedientiæ usque ad mortem explere prohibitus, dixit : « Vade post me satana, scandalum es mihi [4]. » Et ratio, quæ subjicitur, licet paucis expressa, generales scandali proprietates ostendit : « Quia non sapis ea quæ » Dei sunt, sed ea quæ hominum [5], » Unde cognoscere possumus omnem sententiam sententiæ Dei adversam scandalum esse, et ad opus usque progressam, homicidæ judicio fieri obnoxiam, ut Scriptum est apud Oseam prophetam: « Absconderunt sacerdotes viam, interfecerunt Sicima, » quoniam iniquitatem fecerunt in populo [6]. » Si vero quidpiam ex sua ipsius ratione fuerit licitum, sed accipiatur cum detrimento, et iis qui in fide aut cognitione debiles

[1] Joan. VI, 67-70. — [2] Luc. II, 34. — [3] 2 Cor. II, 16. — [4] Matth. XVI, 23. — [5] Ibid. — [6] Osee. VI, 9.

sunt, scandali occasio fiat, is qui fecit, scandali judicium non effugit, cum de iis, qui tales sunt, nec debilibus parcunt, dicat Apostolus : « Sic autem peccantes in fratres, et » percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum » peccatis [1]. » Itaque, quando quod fit, inde offendiculi causa est, quod in se consideratum malum est, aut si ex licitis aliquid, et in nostra potestate constitutis, cuipiam in fide vel cognitione infirmo offensioni fuerit, tunc apertum et inevitabile judicium habet, horrendum videlicet illud, quod ab ipso Domino pronuntiatum est, hoc mòdo : « Utilius est illi, ut suspendatur mola asinaria circa collum » ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum » ex pusillis istis [2]. » Fusius autem hoc in prioribus quæstionibus exposuimus, ubi et eorum, qui scandalum perpetiuntur, clarius expensa est indoles. Quapropter Apostolus etiam de licitis dicit : « Bonum est non manducare carnem, » et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendi» tur, aut scandalizatur, aut infirmatur [3]. » Et rursus alibi ait : « Omnis creatura Dei bona est, nec quidquam, quod » cum gratiarum actione sumatùr, rejiciendum est [4] : » sed tamen dicit : « Non manducabo carnem in æternum, ne » fratrem meum scandalizem [5]. » Quod si de licitis judicium ejusmodi fertur, quid quis dixerit de vetitis? Idcirco universalius erudit nos, cum dicit : « Sine offensione estote » et Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per » omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, » sed quod multis, ut salvi fiant [6]. »

[1] 1 Cor. VIII, 12. — [2] Luc. XVII, 2. — [3] Rom. XIV, 21. — [4] 1 Tim. IV, 4. — [5] 1 Cor. VIII, 13. — [6] Id. X, 32, 33.

Quæstio XI.

An conveniat, aut tutum sit, aliquid eorum, quæ a Deo præcepta sunt, recusare, aut prohibere eum, cui imperatum fuerit hoc ipsum facere, aut prohibentes tolerare, maxime si germanus et affinis sit qui prohibet, aut si speciosa aliqua ratio præcepto obstet.

Responsio.

I. Cum Dominus dicat : « Discite a me quod mitis sum et » humilis corde [1], » perspicuum est omnia etiam a nobis certius disci tum, cum ipsius Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei vivi memores sumus, qui cum Joannes Baptista ei dixisset : « Mihi opus est ut abs te baptizer, et » tu venis ad me [2] ? » respondit : « Sine modo : sic enim decet » nos implere omnem justitiam [3]. » Atque etiam coram Discipulis, cum Petrus deprecaretur eas tentationes, quas Dominus ipse sibi in Jerusalem subeundas prænuntiarat, videlicet, ut ne ipsi inducerentur, tunc cum indignatione majore dixit : « Vade post me satana, scandalum mihi es : quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum [4]. » Et rursus, cum ille ipse Petrus, affectu reverentiæ erga Dominum pulsus, ministerium recusaret, iterum dominus dixit : « Nisi lavero te, non habes partem mecum [5]. » Quod si eorum, qui nobis genere similes sunt, exemplis amplius adjuvanda anima est, recordemur Apostoli, qui dicit : « Quid facitis flentes et affligentes cor meum ? Ego enim » non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, » propter nomen Domini Jesu [6]. » Quis autem aut gloriosior

[1] Matth. XI, 29. — [2] Id. III, 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Id. XVI, 23. — [5] Joan. XIII, 8. — [6] Act. XXI, 13.

ac celebrior fuerit Joanne, aut sincerior Petro? aut quæ rationes iis, quas illi obtenderunt, videri possint religiosiores? Ego vero scio quod neque sanctus ille Moses [1], neque Jonas propheta, ratiocinationibus suis ad obedientiam denegandam usi, inculpati permanserint apud Deum. Quibus erudimur, ut neque contradicamus, neque prohibeamus, neque toleremus prohibentes. Quod si Scriptura prorsus nos docuit hæc et ejusdem generis alia non tolerare, quanto magis in reliquis necesse habuerimus Sanctos imitari? qui nunc quidem dicunt: « Obedire oportet Deo » magis quam hominibus [2]: » nunc vero, « An justum sit » vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim pos» sumus quæ vidimus et audivimus, non loqui [3]. »

Quæstio XII.

An quisque debeat omnium in omnibus curam suscipere, an solum eorum, qui sibi concrediti sunt, idque juxta impertitum sibi a Deo per Spiritum sanctum donum.

Responsio.

I. Cum Dominus noster Jesus Christus unigenitus Filius Dei, per quem omnia facta sunt et visibilia et invisibilia, confiteatur: « Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt » domus Israël [4], » et Discipulis suis dicat: « Sicut misit me » Pater, et ego misi vos [5], » præcipiat vero, « In viam gen» tium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne in» traveritis [6], » et post completam in se prophetiam Davidis, qui velut ex persona Dei et Patris dixit: « Filius meus es

[1] Exod. III, 11. — [2] Act. V, 29. — [3] Id. IV, 19, 20. — [4] Matth. XV, 24. — [5] Joan. XX, 21. — [6] Matth. X, 5.

» tu, ego hodie genui te : postula a me, et dabo tibi gentes » hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos ter» ræ [1], » tum demum Discipulis suis præcipiat, « Euntes do» cete omnes gentes [2], » quomodo non multo magis unusquisque nostrum diligentius servare debet præceptum Apostoli, qui scripsit : « Ne quis plus sapiat, quam oportet sapere, » sed sapiat ad sobrietatem, sicut unicuique Deus divisit » mensuram fidei [3], » et expectandum quando, et quid præcipiatur, ut iterum etiam ait : « Unusquisque in quo voca» tus est, fratres, in hoc maneat [4]. » Sed et idem Apostolus id quod aliis præcipit, accuratius custodiens dicit : « Dextras » dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos quidem in » gentes, ipsi vero in circumcisionem [5]. »

II. Sed si necessitas aliqua ita aliquando postulet, dilectione Dei aut proximi ad id quod deest supplendum vocante, is qui obedierit, mercedem habebit voluntariæ obedientiæ. Vocat autem illa, quando Dei et Christi ipsius dilectio exigit ut impleatur mandatum Domini, qui dicit : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut » ego dilexi vos [6]. Majorem hac dilectionem nemo habet, » ut animam suam ponat quis pro amicis suis [7]. » Vocat vero proximi dilectio, quando aut ei, qui præfectus est, opus est auxilio, aut agmen eorum qui curantur, aliquo, qui quod deest suppleat, indiget, dicente Apostolo : « Nemo quærat » quod suum est, sed quisque quod alterius [8]; » nam Christi dilectio « Non quærit quæ sua sunt [9] : » et alibi, « Ædificate » singuli singulos, sicut et facitis [10]. » Quamobrem qui prædicationem, ad quam missus est, opere et sermone non complevit, reus est sanguinis eorum, qui non audierint ; nec dicere potest eadem, quæ Paulus Apostolus senioribus

[1] Psal. II, 7, 8. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Rom. XII, 3. — [4] 1 Cor. VII, 24. — [5] Gal. II, 9. — [6] Joan. XII, 34. — [7] Id. XV, 13. — [8] 1 Cor. X, 24. — [9] Id. XIII, 5. — [10] 1 Thess. V, 11.

Ephesiorum declarat : « Mundus sum ab hoc tempore a » sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi, quo» minus annuntiarem vobis omne consilium Dei[1]. » Si vero amplius quid, quam quod præceptum est, facere potuerit ad ædificationem fidei, in dilectione Christi, mercedem habet, quam ostendit nobis Apostolus, dicens : « Si enim » volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dis» pensatio mihi credita est[2]. »

Quæstio XIII.

An quævis tentatio pro servanda erga Deum obedientia, etiamsi mortis comminationem habeat, sustinenda sit, et maxime in iis, qui nobis concrediti sunt, curandis.

Responsio.

I. Si Dominus noster Jesus Christus unigenitus Filius Dei viventis, per quem omnia tum visibilia tum invisibilia facta sunt, qui vitam habet, quemadmodum habet qui ei dedit Pater, qui potestatem omnem a Patre accepit, cum accederent qui ipsum ad mortem pro nostra justitia et æterna vita subeundam erant apprehensuri, alacritate tanta obviam ivit, dicens : « Ecce traditur Filius hominis in ma» nus peccatorum. Surgite, eamus : ecce qui tradit me, » prope est[3], » et sicut in Evangelio secundum Joannem scriptum est : « Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura » erant super se, progressus dixit eis : Quem quæritis ? Res» ponderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego » sum[4], » nec multo post : « Dixi vobis, quod ego sum. Si » ergo me quæritis, sinite hos abire[5], » quanto magis nos

[1] Act. xx, 26, 27. — [2] 1 Cor. ix, 17. — [3] Marc. xiv, 41. — [4] Joan. xviii, 4, 5. — [5] Ibid. 8.

ea, quæ naturaliter accidunt, debemus libenter perferre, ut propter obedientiam erga Deum nostram tentationes ab inimicis illatas vincentes, Deum afficiamus gloria, quod molestias, quæ nobis ab inimicis exhiberi videntur, hilare ad mortem usque sustinemus, sententiam assecuti ejus, qui dixit : « Vobis donatum est pro Christo, non solum ut » in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini[1]. » Prædicant autem Acta certamina Apostolorum, in quibus narrantur contumelias ac mortes cum gaudio suscepisse, ut complerent prædicandi munus juxta mandatum Domini[2].

II. Docet autem nos et Apostolus, cum dicit : « Quis nos » separabit a charitate Dei? tribulatio? an angustia? an per- » secutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? » sicut scriptum est : Propter te mortificamur tota die : » æstimati sumus sicut oves occisionis[3]. Sed in his omnibus » superamus, per eum qui dilexit nos. Nam mihi persua- » sum habeo, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, » neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, ne- » que instantia, neque futura, neque altitudo, neque pro- » fundum, neque ulla creatura alia poterit nos separare a » charitate Dei, quæ est in Christo Jesu[4] : » siquidem charitas, quæ in Christo est, necessario et indesinenter conjunctam habet mandatorum observationem, quemadmodum Dominus ipse dixit : « Qui diligit me, mandata mea » servabit : qui vero sermones meos non servat, hic non » diligit me[5] : » et, « Vos amici mei estis, si feceritis quæ » ego præcipio vobis[6]. » Novum autem et proprium ipsius mandatum est, ut nos mutuo diligamus, quod adimplens Apostolus, dicit : « Ita desiderantes vos, cupide volebamus » tradere vobis non solum Evangelium Christi, sed etiam

[1] Philip. I, 29. — [2] Act. IV, 5. — [3] Psal. XLIII, 22. — [4] Rom. VIII, 35-39. — [5] Joan. XIV, 23, 24. — [6] Id, XV, 14.

» animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis [1]. » Itaque respicientes ad Christum, per gloriosam imitationem intendamus animi alacritatem, considerantes vero Sanctos, quoad ejus fieri poterit, erudiamur, ut hac ratione alacriores facti, omne Domini mandatum citra maculam ac reprehensionem servemus, ingrediamurque in vitam æternam, et possideamus regnum cœlorum, quemadmodum promisit verax Dominus, et Deus noster Jesus Christus, unigenitus Dei vivi Filius.

[1] 1 Thess. II, 8.

FINIS TOMI QUADRAGESIMI TERTII.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 59.

Monet Ducæus se hunc locum diu quæsivisse, nec tamen in Scriptura invenisse. Recte ac prudenter suadet vir doctissimus, ut videamus proverbium, « Tunica propior. » Puto enim vulgare proverbium, non Scripturam sacram, hoc loco citari.

Annot. (2), pag. 156.

Galatæ titulus deest in regio manuscripto tertio, quod nemini mirum videri debet, cum Gregorius Nyssenus moneat eam vocem in aliquibus manuscriptis statim post mortem Basilii inventam non fuisse. Nam conquerenti Eunomio vocatum se esse a Basilio Galatam, cum esset Cappadox, respondit Gregorius hoc in suis codicibus non reperiri. Ubi notandum Gregorium rem non negasse, sed simpliciter dixisse id in suis deesse exemplaribus. Imo, ut mox patebit, Gregorius ipse Basilium excusavit, tanquam si Eunomium Galatam vocasset. Quare Basilius non injuria credi potest in errorem geographicum incidisse. Puto igitur Basilium scripsisse Γαλάτης, sed id nomen deletum fuisse ab aliquo, qui ægre ferret mendam vel minimam in illius libris inveniri, quique fortasse arbitraretur se Gregorio rem gratam facturum, si hanc maculam e fratris

charissimi scriptis tolleret. Sed quam levis sit et pusillus error ille, ostendit fratrum optimus Gregorius, lib. I. in Eunom., pag. 307 : « Mirum vero, inquit, si eum qui in » confiniis duarum regionum habitabat in obscuro quodam » Corniaspinæ angulo, non Oltiserium, sed Galatam no- » minavit, si tamen nominasse ostendi potest. Non enim » hoc reperi in nostris codicibus : sed esto, dixerit hoc Ba- » silius. » Aëtius ille Syrus, cujus aliquanto ante mentio facta est, ex impietate cognomen athei accepit. De eo copiosissime loquuntur tum alii multi, tum Gregorius Nyssenus, lib. I. contra Eunom.

Annot. (3), pag. 159.

Concilium illud, cujus hoc loco fit mentio, habitum fuit Constantinopoli, anno 360. De eo autem nihil attinet dicere, cum quale fuerit, satis superque ex verbis Basilii colligi possit. Ejus meminere multi gravesque doctores, Basilius ipse in suis Epistolis, Socrates lib. I, cap. 41. Soz. lib. IV, cap. 23 et 24, etc.

Annot. (4), pag. 161.

Præclara sententia, dignaque Basilio magno. Quotiescumque igitur hæretici proferunt Patrum testimonia, quæ sibi favere videantur; si testimonia illa petita sint ex peregrinis quibusdam locis, in quibus Patres de aliqua re non consulto, sed fortuito obiterque loquantur, toties egregia illa Basilii sententia debet adhiberi.

Annot. (5), pag. 168.

Cum vox ἐπινοία sæpius occurrat, alienum non videtur

eam paucis explicare. Igitur voce ἐπινοία Eunomius intelligebat mentis cogitata, subtilem quamdam animi perceptionem, uno verbo, hunc nostrum intelligendi modum, quo res metaphysice consideramus: quam ultimam notionem omnium aptissimam esse arbitramur ad declarandum hujus vocis usum. Quacumque igitur voce ad nomen ἐπινοία exprimendum utamur, ejus quam diximus notionis meminisse operæ-pretium est.

Annot. (6), pag. 194, lin. 2.

Ex his constat aliquod differentiæ genus in Patre et Filio a Basilio, more et exemplo Patrum Græcorum, plane agnosci: quale est videlicet, quod invenitur inter causam et id quod ab ea est; aut quale est, quod reperitur inter principium et id quod ab eo originem trahit. Sed illud differentiæ genus naturæ identitatem in Patre et Filio non destruit, imo firmat et constabilit.

Annot. (7), pag. 225.

Interpretes illos, quos non nominat Basilius, Aquilam, Symmachum et Theodotionem esse, ex Hexaplis cognoscimus, quorum interpretationem hic ascribere non pigebit. Aquilas igitur: Κύριος ἐκτήσατό με κεφάλαιον τῶν ὁδῶν ἀυτοῦ ἀρχῆθεν κατεργασμάτων ἀυτοῦ, « Dominus possedit me capitulum » viarum suarum a principio operum suorum. » Symmachus, Κύριος ἐκτήσατό με ἀρχὴν ὁδῶν ἀυτοῦ πρὸ τῆς ἐργασίας ἀυτοῦ, « Dominus possedit me principium viarum suarum ante » operationem suam. » Theodotio, Κύριος ἐκτησατο με ἀρχὴν ὁδου ἀυτοῦ πρὸ τῆς ἐργασίας ἀυτοῦ ἀπό τότε, « Dominus possedit » me principium viæ suæ ante operationem suam ex tunc. » Notum est LXX interpretes pro ἐκτησατο με, « Possedit

» me, » scripsisse ἔκτισέ με, « Creavit me : » quam lectionem tanquam impio suo dogmati stabiliendo accommodatissimam sequebantur Eunomiani. Neque vero frustra dixerat Basilius, interpretes eos, qui vocum hebraïcarum sensum melius veriusque consecuti fuerant, vertisse non ἔκτισέ με, « Creavit me : » sed ἐκτήσατό με, « Possedit me. » Ita enim Hebraïca in Hexaplis ad verbum vertuntur, « Dominus pos» sedit me principium viæ suæ ante opera sua ex tunc. » Paulo aliter in Vulgata legitur, nempe hoc modo : « Domi» nus possedit me initio viarum suarum, antequam quid» quam faceret a principio. » Sententiam fratris charissimi Basilii confirmaturus Gregorius, hunc eumdem locum tractavit lib. III, adversus Eunomium.

Annot. (8), pag. 235.

Nihil mirum si hic locus, qui philosophicis subtilitatibus intricatus sit, difficilis intellectu atque obscurus esse videatur. Basilius impugnat Eunomii sententiam, ex qua aperte efficiebatur contraria principalia et ea, quæ non sunt principalia, æque sibi invicem adversari : quod falsum esse Pater gravissimus ostendit, hoc exemplo. « Nec enim, » inquit, quod ex vigiliis vita sequitur, necessario ex somno » sequitur mors. » Hoc est, si quis vigilat, hinc quidem optime colligitur eum vivere ; sed si quispiam dormit, hinc concludi non potest eum mortuum esse. Cujus rei hæc est causa, quod, ut Basilii verbis utar, mors et somnus non sint contraria ἡγούμενα, hoc est, « Principalia. » Cæterum si quid in his subest obscuritatis, non statim ejus vitii accusatum volo Basilium : sed potius Eunomium, cui obscura proponenti non potuit Basilius respondere, quin et ipse obscurus esse videretur.

ANNOT. (9), pag. 248.

Locum nullum esse arbitror, aut ipsius Basilii, aut aliorum sanctorum Patrum, de quo acrius in concilio Florent. disputatum sit. Latini, ut patet ex sessione 20, proferebant codicem vetustissimum, in quo sic legebatur: ἀξιώματι μὲν γὰρ δεύτερον του Υἱου παρ' αὐτοῦ τό ἑιναι ἔχον κατὰ παρ αυτοῦ λαμϐάνον κατὰ ἀνάγγελλον ἡμῖν κατὰ ὅλως τῆς αἰτίας ἐκείνης ἐξημμένον, etc. « Dignitate namque secundum esse a Filio, cum ha» beat esse ab ipso, atque ab ipso accipiat, et annuntiet » nobis, et omnino ab illa causa dependeat, » [sermo pietatis tradit]. Græci vero hæc verba, παρ' αὐτοῦ τὸ εἰναι ἔχον, et sequentia usque ad vocem ἐξημμενον, in suo libro vetustissimo quoque et optimo deesse affirmabant; hodieque in editis et in nostris septem manuscriptis desunt. Sequitur in græco non procul ab initio sessionis 20, παραδίδωσιν ὁ τῆς εὐσεϐείας λόγος, « Tradit pietatis sermo : » sed hic Græci voculam ἴσως omissam esse, aut potius sublatam conquerebantur. Consentit cum libro Latinorum noster Regius secundus, in quo vox ἴσως deest : consentiunt vero cum libro Græcorum tum editi tum reliqui sex manuscripti in quibus omnibus hæc vox ἴσως invenitur. Monere libet, illa, ἀξιώματι μεν γὰρ, etc., paulo aliter legi sessione 21, sed ita tamen, ut eadem plane sententia efficiatur.

ANNOT. (10), pag. 258.

Non desunt qui hos ultimos libros revocent in dubium; sed perpauci inveniuntur, neque ii suam opinionem rationibus satis firmis stabiliunt; ob idque adversam opinionem ita vicit, ut eam omnes uno consensu amplexi sint.

Annot. (11), pag. 278.

Illud ad verbum sic interpretari licet : « Non est ex vo- » luntate Filius : siquidem credere in ipsum, vel cum ipso, » vel ante ipsum invenitur : » quæ verba quam aptam sententiam efficere possint, alius viderit. Suspicor tamen intelligi sic posse : Quanquam voluntas Patris est, ut in Filium credamus, non tamen propterea sequitur Filium ex voluntate esse. Nam credere nos oportet in Filium, ut primum in hunc mundum venit, imo antequam etiam naturam humanam assumeret, cum Patriarchæ et Judæi prisci ad salutem consequendam in Christum venturum credere necesse habuerint. Itaque cum debeamus necessario credere in Filium omni ætate et tempore, hinc efficitur Filium esse natura, non voluntate, neque adoptione.

Annot. (12), pag. 283.

Illud Scripturæ, « Hic Deus noster, etc. » non reperitur apud Jeremiam, sed apud Baruch, cap. III, v. 36. Nec cuiquam mirum videri debet librum Baruch nomine Jeremiæ citari, cum multi ex antiquis alterum librum cum altero confundere soliti sint, ut videre est apud Clementem Alexandrinum lib. I. Pædag. cap. II : apud eumdem lib. II. Pædag. cap. III : apud Cyprianum de oratione dominica : apud Ambrosium lib. III in Hexaëm cap. XIV, et alibi.

Annot. (13), pag. 304.

Hunc locum protulere Græci in concilio Florentino, ad suam sententiam stabiliendam. Legas, velim, tomum XIII conciliorum, edit. Labb. pag. 245 et seqq. Illic reperire erit

responsa Latinorum, quæ hic exscribere ut longum, ita inutile, cum a quolibet eo, quem dixi, loco facile legi possint.

Annot. (14), pag. 344.

Christi caro deifera vocatur Homil. in Psalmum XXXIX, et Comment. in caput II Isaïæ, ut observat Ducæus. Addit idem vir doctissimus Theodoretum graviter olim hallucinatum fuisse in reprehensione Anathematismi quinti, ubi ait Christum a Basilio Θεοφόρον ἄνθρωπον « Hominem deiferum » vocatum fuisse in libro de Spiritu sancto et in explanatione Psalmi quinquagesimi. Non enim parum interest inter hominem deiferum et carnem deiferam.

Annot. (15), pag. 369.

Hæc Combefisius memoriter a Basilio, non ut leguntur in Scripturis, referri opinatus est. Sed observare debuerat vir eruditus non Jacob, sed Josuë dicta a Basilio citari. Ne cui similis error illudat, parenthesi inclusimus quæ de Jacob interjecta sunt.

Annot. (16), pag. 399.

Fatendum est hæc verba neque in sacro contextu legi, et in tribus hujus libri manuscriptis codicibus deesse. Quinetiam in Regio quinto non occurrunt nisi secunda manu. Sed tamen cum paulo post a Basilio repetantur, ut e sacro contextu desumpta, nolim ea delere; ac verisimilius est ex codicibus, in quibus desunt, ob eam causam fuisse sublata, quia non legebantur apud Apostolum, quam sine causa in alios codices, in quibus occurrunt, injecta.

Annot. (17), pag. 416.

Non respicit Basilius ad ritum ostensionis Eucharistiæ, ut multi existimarunt, sed potius ad verba Liturgiæ ipsi ascriptæ, cum petit sacerdos ut veniat Spiritus sanctus ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Κυρίου. Hæc autem verba ἐπὶ τῇ ἀναδείξει, sic reddit Erasmus, « Cum ostenditur. » Vituperat eum Ducæus, sicque ipse vertit, « Cum conficitur, » atque hanc interpretationem multis exemplis confirmat. Videtur tamen nihil prorsus vitii habitura hæc interpretatio : « Invocationis verba cum » ostenditur panis Eucharistiæ, » id est cum panis non jam panis est, sed panis Eucharistiæ, sive corpus Christi ostenditur ; et in Liturgia : « Ut sanctificet et ostendat hunc qui- » dem panem, ipsum pretiosum corpus Domini. » Nam 1.° Cur eam vocem reformidemus, qua Latini uti non dubitant, ubi de Eucharistia loquuntur ; quale est illud Cypriani in Epistola LXIII ad Cæcilium : « Vino Christi sanguis » ostenditur. » Sic etiam Tertullianus 1. Marc. c. XIV. « Pa- » nem quo ipsum corpus suum repræsentat. » 2°. Ut græce, ἀναδεῖξαι, ἀποφαίνειν, ita etiam latine, « Ostendere, » corpus Christi præsens in Eucharistia significantiore quodam modo exprimit. Hoc enim verbum non solum panem fieri corpus Domini significat, sed etiam fidem nostram excitat, ut illud corpus sub specie panis videndum, tangendum, adorandum ostendi credamus. Quemadmodum Irenæus, cum ait lib. IV, c. XXXIII. « Accipiens panem, suum corpus esse » confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem » confirmavit, » non solum mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi exprimit, sed ipsam etiam Christi asseverationem, quæ hanc nobis mutationem persuadet. Sic qui corpus Christi in Eucharistia ostendi et

repræsentari dicunt, non modo jejune et exiliter loqui non videntur, sed etiam acriores Christi præsentis adorandi stimulos subjicere. Poterat ergo retineri interpretatio Erasmi; sed quia viris eruditis displicuit, satius visum est quid sentirem in hac nota exponere.

Annot. (18), pag. 417.

Videntur hoc nomine designari leges ecclesiasticæ, et canonum decreta, quæ promulgari in ecclesia mos erat, ut neminem laterent. Basilius in epist. alias CCXLI κήρυγμα vocat canonem a se in raptores editum. Eodem nomine designantur in epist. al. LXXII, quæ Eustathius adversus Euhippium et alios Arianos in litteris ad omnem fraternitatem missis, scripserat. Κήρυγμα dicitur jejunii quadragesimæ per totum orbem promulgatio, Homil. II de jejunio. Erant tamen κήρυγματα sive prædicationes nonnullæ, quarum cognitio non omnibus pateret. Preces Liturgiæ, quibus non intererant Catechumeni, vocantur prædicationes in ep. al. CCXLI. « Meministi enim procul dubio, inquit » Basilius, prædicationum ecclesiasticarum, fidelis cum sis » Dei gratia, in quibus et pro fratribus peregre constitutis » precamur, etc. » Dicebat initio hujus capitis ex dogmatibus et prædicationibus ecclesiasticis alia ex Scripturis, alia ex arcana Apostolorum traditione ad nos pervenisse.

Annot. (19), pag. 417.

Mirum videri potest, cur dicat Basilius dogmata sileri, cum constet catholici dogmatis prædicationem in omnibus semper ecclesiis viguisse. Sed observandum est, id quod postea pluribus probabitur, Basilium de Scripturis potissimum loqui, in quibus plura dogmata, traditione ad

nos transmissa, aut sileri ait, aut obscuritate, quæ est « Silentii species, » involvi. In ipsa etiam ecclesia Catechumenis multa abscondi solebant; non statim admittebantur in ecclesiam, nec admissis statim tradebatur Symbolum, ut ait Origenes lib. III, contra Celsum. Idem Origenes, cum christiana doctrina vocaretur a Celso κρύφιον δόγμα, « Clancularium dogma, » respondet prædicationem Christianorum toti orbi notiorem esse, quam placita philosophorum; sed tamen fatetur, ut apud philosophos, ita etiam apud Christianos nonnulla esse veluti interiora, quæ post exteriorem et propositam omnibus doctrinam tradantur, lib. I. In libro autem III, ait quæ maxime præclara et divina sunt palam et aperte prædicari, si adsint prudentes auditores; sin autem lacte indigeant, profundiora illis abscondi et sileri.

Annot. (20), pag. 419.

Non hoc loco statuit Basilius, quod ab eo eruditorum nonnulli, in his præstantissimus scriptor Eusebius Renaudot Liturg. Orient. dissert. I, cap. II, doceri existimant, Eucharistiæ et baptismi et aliorum sacramentorum preces et ritus ne in ecclesiis quidem ad sacerdotum usum scripta servari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur summam olim adhibitam fuisse cautionem, ne quid de mysteriis non solum ad Gentiles, sed etiam ad Catechumenos permanaret; ac recte observat scriptor modo laudatus, mysteria initiandis viva voce exponi, initiatis breviter et obscuriuscule in concionibus indicari solita, cum hac ἀποσιωπήσεως formula, « Norunt initiati. » Perincommode enim fuissent vulgata, quæ Catechumenis spectare non licebat; nec leve periculum erat, ne vilescerent mysteria, si violata arcani sanctitas fuisset. Sed tamen Basilius

dum scripta negat hæc instituta, non de veterum scriptorum libris, non de Liturgiis scripto consignatis, sed de Scripturis sanctis loquitur. Liquet Pneumatomachos dum glorificandi modum ὡς ἄγραφον rejiciunt, hoc tantum nomine argutias suas prætexuisse, quod in Scripturis non legeretur « Cum sancto Spiritu. » Hinc Basilius illis instituta non scripta opponit; in primis invocationis verba, quæ quidem negat ab ullo Sanctorum fuisse scripta, quia nec apud Apostolum, nec in Evangelio commemorantur. Sæpe alias apud Basilium ἄγραφα dicuntur, quæ non extant nominatim in Scripturis.

Annot. (21), pag. 426.

Locus Origenis, quem citat Basilius, non in sexto, sed in octavo libro invenitur, sive memoria effluxerit Basilio, sive alia fuerit olim horum distributio librorum.

Annot. (22), pag. 429.

Cocus dum tuetur Erasmi sententiam, qui Basilio magnam partem hujus libri, nempe a capite decimo quinto abjudicaverat, hoc inter alia commento utitur, quod Meletius, qui Basilii æqualis, et Basilio superstes fuit, inter antiquos numeretur. Sed jam dudum explosæ ab omnibus fuerunt inanes nugæ, nec quisquam ignorat Meletium hic memorati Ponticarum regionum episcopum, quem Eusebius Hist. l. VII, c. XXXII, mel Atticum vocari solitum, ac plurimis sanctitatis et doctrinæ ornamentis præditum fuisse dicit; seque illius consuetudine, dum persecutionem fugiens in Palæstina degeret, totis septem annis usum fuisse.

Annot. (23), pag. 482.

Quod hoc loco ait scriptor, id Combefisio gravius ac durius videtur. Sed tamen quod dixit, vere ab eo dici potuit, cum quicumque qui otiose ac inutiliter ad sancta accedit, metuendum quidem judicium subiturus sit, sed non tale tamen, quale futurum est eorum, qui accedunt in inquinamento carnis ac spiritus. Inter cætera quæ Scultetus non vere ex Basilio protulit ad suam falsam opinionem confirmandam, et hic quoque locus invenitur: sed, ut verum fatear, quid eum juvare possit non video. Imo quæ hoc toto loco scripta sunt, vel negligenter legenti videbuntur aptissima ac efficacissima ad catholicum dogma stabiliendum.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Liber I, contra Eunomium, pag. 155.	Ejusdem fragmenta, tom. VII, pag. 403-412.
Liber II, contra Eunomium, pag. 199.	Ejusdem fragmenta, pag. 413-417.
Liber III, contra Eunomium, pag. 247.	Ejusdem fragmenta, pag. 417-421.
Liber IV, contra Eunomium, pag. 258.	Ejusdem fragmenta, pag. 421.
Liber V, contra Eunomium, pag. 286.	Ejusdem fragmenta, pag. 421-422.
Liber de Spiritu sancto, pag. 331.	Ejusdem fragmenta, pag. 422-426.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI TERTII.

COMMENTARIA in Esaïam prophetam. Pag.

— Caput VII. 3
— Caput VIII. 22
— Caput IX. 44
— Caput X. 57
— Caput XI. 77
— Caput XII. 83
— Caput XIII. 86
— Caput XIV. 112
— Caput XV. 128
— Caput XVI. 138

CONTRA EUNOMIUM, LIBRI V.

Liber I. 155
Liber II. De Filio. 199
Liber III. De Spiritu sancto. 247
Liber IV. De Filio. 258
Caput I. *Pater et Filius unum sunt.* ibid.
Caput II. *Quod vox,* Ingenitus, *modum quemdam existendi, non substantiam significat.* 264
Caput III. *Quod Filius creatura non est.* 269
Caput IV. *In illud,* Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc et ipse Filius subjicietur. 273

Caput V. *In illud,* Propterea largitus est illi Deus nomen, quod est super omne nomen. Pag. 273
Caput VI. *In illud*, Pater meus major me est. 274
Caput VII. *In illud*, Horam autem et diem illam nemo novit. ibid
Caput VIII. *In illud*, Pater, si fieri potest, transeat calix iste. 275
Caput IX. *In illud*, Et ego vivo propter Patrem. 276
Caput X. *In illud*, Neque Filius a se facit quidquam. 277
Caput XI. *In illud*, Ego sum vitis. ibid
Caput XII. *In illud*, Nemo bonus. 278
Caput XIII. *In illud*, Pater glorifica me. 279
Caput XIV. *In illud*, Primogenitus omnis creaturæ. 280
Caput XV. *In illud*, Dominus creavit me. 281
Caput XVI. *In illud*, Ut cognoscant te solum verum Deum. 283
Caput XVII. *In illud*, Non est meum dare, sed quibus paratum est. 284
Caput XVIII. *In illud*, Quis Deus præter Dominum ? et quis Deus præter Deum nostrum ? 285

Liber V. De Spiritu sancto.

Caput. I. *Quod non sit creatura.* 286
Caput II. *Quod Spiritus creator est.* 288
Caput III. *De remissione peccatorum.* 291
Caput IV. *Quod eadem sit potestas Patris et Filii et Spiritus sancti.* 292
Caput V. *Quod neque visio, neque oraculum fit separatim a Patre et Filio et Spiritu sancto.* 294
Caput VI. *Quod Creatorem participant quæ sunt ad imaginem : hoc autem fit per Spiritum.* 295
Caput VII. *Quod Spiritus sanctus non sit Dei possessio, nec creatura.* 296
Caput VIII. *Quod imago vera et naturalis Dei et Domini Spiritus est.* 297
Caput IX. *Quod Spiritus natura divina est, quandoquidem ipsa perfecit Dei opera.* 298
Caput X. *Quod Spiritus cum conglorificetur cum Deo, ostendatur non esse creatura, sed divinæ naturæ.* 300
Caput XI. *Quod quemadmodum Filius ad Patrem se habet, a Spiritus ad Filium.* 301

Caput XII. *Cur et Spiritus Filius Filii non dicatur.* Pag. 301
Caput XIII. *Quod etiamsi Spiritus non vocetur filius, perspicuum tamen est eum ex Deo esse : et quomodo exempla humana sint Divinitati accommodanda, et non rejicienda.* 303
Caput XIV. *Quod si quis Spiritum ex Deo non dicat, ne Verbum quidem.* 305
Caput XV. *Quod non ab æquivocatione identitas, sed a natura divina unitas cognoscitur.* 312
Caput XVI. *Adversus eos, qui dicunt scriptum esse de Filio et Patre sæpe, de Spiritu vero in baptismate duntaxat.* 321
Caput XVII. *De Spiritu.* 326

LIBER DE SPIRITU SANCTO.

Caput I. *Proœmium in quo ostenditur necessarias esse de minutissimis theologiæ partibus perscrutationes.* 331
Caput II. *Unde sit orta hæreticorum de syllabis observatio.* 334
Caput III. *E mundana philosophia natam esse de syllabis sophisticam disputationem.* 336
Caput IV. *Harum syllabarum usum sine discrimine in Scriptura adhiberi.* 337
Caput V. *Et de Patre dici* Per quem, *et de Filio,* Ex quo, *et de Spiritu sancto.* 339
Caput VI. *Occurrit iis qui affirmant Filium non esse cum Patre, sed post Patrem ; ubi et de gloriæ æqualitate.* 344
Caput VII. *Adversus eos qui dicunt non congruenter de Filio dici,* Cum quo, *sed* Per quem. 349
Caput VIII. *Quot modis intelligatur hæc particula,* Per quem, *et in quo sensu congruentius dicitur,* Cum quo : *ubi etiam exponitur quomodo mandatum accipit Filius, et quomodo mittitur.* 351
Caput IX. *Propriæ ac distinctæ de Spiritu notiones, doctrinæ Scripturarum congruentes.* 358
Caput X. *Adversus eos qui dicunt non oportere Patri et Filio adjungere Spiritum sanctum.* 361
Caput XI. *Prævaricatores esse illos, qui negant Spiritum.* 364
Caput XII. *Adversus eos qui dicunt sufficere baptisma tantum in nomine Domi .* 365

Caput XIII. *Quare apud Paulum Angeli simul cum Patre et Filio adjunguntur.* Pag. 367
Caput XIV. *Objectio, quod et in Mosen nonnulli baptizati sunt, et in illum crediderunt; et hujus solutio, ubi et de figuris.* 369
Caput XV. *Responsio ad id quod subinferunt, nos et in aquam baptizari : ubi et de baptismate.* 373
Caput XVI. *Quod in omni notione Spiritus sanctus inseparabilis est a Patre et Filio, sive in creatione intelligibilium creaturam, sive in humanarum rerum dispensatione, sive in judicio quod expectatur.* 377
Caput XVII. *Adversus eos qui dicunt non connumerari Patri ac Filio Spiritum sanctum, sed subnumerari: ubi et de pia connumeratione summarius fidei decursus.* 384
Caput XVIII. *Quomodo in professione trium hypostaseon pium monarchiæ dogma servamus, ubi et eorum, qui dicunt Spiritum subnumerari, refutatio.* 388
Caput XIX. *Adversus eos qui dicunt non esse glorificandum Spiritum.* 392
Caput XX. *Adversus eos, qui dicunt Spiritum nec in servili, nec in herili conditione esse, sed in conditione liberorum.* 396
Caput XXI. *Testimonia ex Scripturis Spiritum appellari Dominum.* 398
Caput XXII. *Confirmatio naturalis communionis Spiritus, eo quod æque ac Pater et Filius incomprehensibilis.* 401
Caput XXIII. *Spiritus glorificationem esse enumerationem eorum quæ illi adsunt.* 404
Caput XXIV. *Redargutio absurditatis eorum qui non glorificant Spiritum, ex collatione eorum quæ in creaturis gloria afficiuntur.* 407
Caput XXV. *Quod Scriptura hac syllaba* In *pro* Cum *utatur : ubi etiam probatur et idem pollere quod* Cum. 410
Caput XXVI. *Quot modis dicitur* In, *totidem modis de Spiritu accipi.* 415
Caput XXVII. *Unde initium habeat syllaba,* Cum, *et quam vim habeat, ubi et de Ecclesiæ legibus nullo scripto proditis.* 421
Caput XXVIII. *Quod quæ de hominibus dicit Scriptura tan-*

quam una cum Christo regnantibus, ea de Spiritu dici non concedunt adversarii. Pag. 424
Caput XXIX. *Enumeratio virorum in Ecclesia illustrium, qui in scriptis suis usi sunt hac voce*, Cum. ibid
Caput XXX. *Expositio præsentis ecclesiarum status.* 431

DE BAPTISMO LIBRI II.

LIBER I.

Caput I. *Quod oportet primum Domini doctrina imbui, tumque Baptismate sancto initiari.* 436
Caput II. *Quomodo quis eo baptismate baptizatur, quod in Evangelio Domini nostri Jesu Christi commendatur.* 446
Caput III. *Quod oportet regeneratum per baptisma, exinde divinorum mysteriorum participatione nutriri.* 479

LIBER II.

Quæstio I. *An quisquis baptizatus est baptismate, quod in Evangelio Domini nostri Jesu Christi traditur, debeat mortuus quidem esse peccato, Deo vero in Christo Jesu vivere?* 483
Quæstio II. *An is, qui ob pravam conscientiam, aut immunditiam, aut inquinamentum purus corde non est, sacerdotio citra periculum fungatur?* 486
Quæstio III. *An quispiam, cum ab omni carnis et spiritus inquinamento purus non est, tuto ac secure edat corpus Domini, et bibat sanguinem?* 487
Quæstio IV. *An omni verbo Dei credendum sit et obtemperandum, adeo ut id quod dicitur, verum esse persuasissimum sit, etiamsi aut aliquod verbum aut factum ipsius Domini vel Sanctorum inveniatur, quod videatur esse contrarium?* 489
Quæstio V. *Utrum verbo cuilibet non obsequi, sit aliquid ira et morte dignum, etiamsi privatim non singulis conjunctæ sint minæ?* 492
Quæstio VI. *An inobedientia posita sit in eo, si quid vetitorum fiat, aut etiam in eo, si quid comprobatorum omittatur?* 496

Quæstio VII. *An liceat, aut complacitum, aut gratum Deo sit, cum qui peccato servit, justitiæ opus facere, secundum regulam pietatis Sanctorum?* Pag. 493

Quæstio VIII. *An acceptum sit Deo opus præcepti, si non convenienter Dei præcepto fiat?* 499

Quæstio IX. *An conveniat societatem cum iniquis habere, aut participem esse infructuosorum operum tenebrarum, etiamsi tales non sint ex numero eorum, qui mihi sint concrediti?* 508

Quæstio X. *An semper periculosum sit scandalum dare?* 513

Quæstio XI. *An conveniat, aut tutum sit, aliquid eorum, quæ a Deo præcepta sunt, recusare, aut prohibere eum, cui imperatum fuerit hoc ipsum facere, aut prohibentes tolerare, maxime si germanus et affinis sit qui prohibet, aut si speciosa aliqua ratio præcepto obstet?* 516

Quæstio XII. *An quisque debeat omnium in omnibus curam suscipere, an solum eorum, qui sibi concrediti sunt, idque juxta impertitum sibi a Deo per Spiritum sanctum donum?* 517

Quæstio XIII. *An quævis tentatio pro servanda erga Deum obedientia, etiamsi mortis comminationem habeat, sustinenda sit, et maxime in iis, qui nobis concrediti sunt, curandis?* 519

Annotationes. 523

Concordantia bibliothecæ latinæ cum gallica. 535

EXPLICIT INDEX.

AVIS IMPORTANT.

Messieurs les souscripteurs sont priés de vouloir bien faire mettre à leur place les deux cartons ci-joints, où l'on a corrigé deux fautes qui se sont glissées dans les premiers volumes de la collection. Le premier doit remplacer les pages 484 et 485 du tome III; le second les pages 465 et 466 du tome IV.